PACIFICATORIUM
Orthodoxæ Theologiæ
CORPUSCULUM.

SIVE BREVIS
Juniorum Sacris Ordinibus Initiandorum
AD
Sanam Doctrinam veréq; Christianam
MANUDUCTIO.
CUI
Omnes qui, seposito Partium studio, Christum sapiunt & profitentur, Unanimiter queant suffragari.

OPUS

Ad Connubium Unitatis cum Veritate sanciendum à *THOMA PIERCE*, S.T.P. Regiæ Majestati à Sacris, Decano *Sarisburiensi*, amicabiliter concinnatum.

Greg. Naz. Orat. 14.
Πάσης τῆς κτίσεως κόσμος τὸ ἀστασίαστον.

LONDINI,
Typis *Milonis Flesher*, Prostat apud *Ric. Davis*, Bibliopolam *Oxoniensem*. MDCLXXXIII.

BIBLIOTHECA ... Mar. 244

PACIFICATORIUM
Orthodoxæ Theologiæ
CORPUSCULUM

SIVE BREVIS

Juniorum Sacris Ordinibus Initiandorum

AD

Sanam Doctrinam vereq; Christianam

MANUDUCTIO:

CUI

Omnes qui, sepositо Partium studio, Christum sapiunt & profitentur, Unanimiter queant suffragari.

OPUS

Ad Connubium Unitatis cum Veritate sanciendum ATHOMA PIERCE, S.T.P. Regiæ Majestati a Sacris, Decano Sarisburiensi, amicabiliter concinnatum.

Greg. Naz. Orat. 14.

Ἔλεος τοῦ κρίσεως κόρρων τὸ ἀπαλλάτον.

LONDINI,

Typis Milonis Flesher, Prostat apud Ric. Davis, Bibliopolam Oxoniensem. MDCLXXXIII.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM
ΠΑΡΑΙΝΕΤΙΚΗ.

MUlta Systemata Theologiæ, in lucem à multis, ad quatuor præcipuè capita reducendis, nempe Papanis, Lutheranis, Calvinianis, Socinianisque esse edita, sed miserè passim & hostiliter sibi invicem adversantia, multùm diúque animadverteram; quin &, per annos elapsos aliquot, ægrè apud me tuleram. Hinc factum est, ut tanto dum malo ingemiscebam, noctes sæpe insomnes agerem, propè virili mea tentarem, (quanto, quantulo, quantulamcunque!) morbo huic tam lethali, tam pestifero, tam Ecclesiarum Christianarum publicæ paci perniciosæ, ecquam tandem ali-

aliquando medelam possem adhibere. Nec me interim latebat, jam inde usque ab initio hujus cogitationis, provinciam talem tamque difficilem (si quando talem in me reciperem quomodocunque administrandam,) non solummodo laboris, sed & periculi plenam fore; Ronchis saltem maligniorum, Invidiæque morsibus opportunam.

Solet nimirum usuvenire, ut qui studio veritatis pacisque allectus desiderio, adversis partibus contra se mutuò infesta arma inferentibus, dirimendæ pugnæ causâ sese medium interponit, omnium colaphos impetúsque in se unum sæpe convertat; & prorsus omnibus benè cupiens, nulli placeat. Non eram immemor * Nazianzeni, *qui, ut pacis conciliandæ conservandæque studiosissimus, in hæc ferè verba locutus est. " Quicunque paci student, " mediosque se profitentur, ab utrisque " malè mulctantur, vel etiam bello lacessuntur; à qua parte cùm nos quoque " stemus, haud mirandum erit, si ab utrisque dissidentium partibus conteramur, ac post multos labores & sudores " è medio submoveamur: ut sublato pariete & obstaculo, cominùs sese mutuò " vulnerent. Non eram nescius istius dicti, quo se monuit, sed incassum, celeberrimus Ille* * Spalatensis, *cui conamina pacifi-*

* ὅσον δ' οἰρηνικὸν τε καὶ μέσον ἐπ' ἀμφοτέρων πάσχει κακῶς, &c. Naz. in Orat. 14.

* Tom. 3. l. 7. c. 12. n. 134. p. 322.

pacificatoria necis sævitiam conciliârunt. Periculosa res est (*inquit*) inter acriter dissidentes medium esse. Absterrebit hoc periculum ex utraque parte multos, qui possent unionem promovere, nè animum tam præclaro operi adjiciant. *Nec mihi excidit è memoria, quod apud incomparabilem* Augustum Thuanum, & Joachimum Camerarium *de* Philippo Melancthone *narratum legeram. Quod cùm omni ope Vir ille optimus anniteretur, ut Doctrina, quam tradebat, perspicua foret, útque ambigua explicarentur, eo fine, ut rixas fugeret, quietísque se studio daret; nec putaret contendendum, nisi de maximè necessariis, sed ferendum esse aliquid, & connivendum esse ad multa; Hac suâ animi æquitate, licèt Exteros aliquàm multos ab ipso diversa sentientes sibi devinxerit felicissimè, & vel obviam ipsi* peregrinorum *promeritus sit humanitatem, (ut Homo erat quasi natus humano generi demerendo,) veruntamen inter* Suos, *& eandem cum ipso Doctrinam profitentes, Fortunam longè contrariam expertus est. Nam exortis tunc dierum in* Germania *divisionibus, suborti sunt etiam incendiarii quàm plurimi & Cinistones, qui ut se flagrantiore, in causa Religionis, versari studio venditarent, omnem pacis ineundæ mediam viam aspernabantur; omnésque*

pari studentes, præ omnibus Melanchthonem, *quos* Adiaphoristas & Interimistas *(nominibus ad odium compositis) vocitabant, cou* Desertores *damnabant, inque pietatis negotio* Tepidos. *Unde (præterquam quòd totâ vitâ Viro alioquin Concordiæ publicæ cupidissimo, cum confratribus etiam quibusdam suis certamen erat,) Ipsius Indoles pacifica & religiosarum rixarum fuga, ab aliquibus Protestantibus, sed ferocioribus & contentiosis, etiam post mortem reprehenduntur.*

Sed spretis tandem hujusmodi μορμολυκείοις *& terriculamentis, (Nam Res divinæ ab humanis & terrenis consiliis pendere non debent,) postquam alios atque alios cogitatuum Turbines circumvolvissem, nihilque ab aliis me multò habilioribus impetrâssem; tandem cupido mihi incessit periculum saltem faciendi, si tale Corpusculum Theologicum bono cum Deo concinnarem, quale Doctrinæ in Ecclesia Anglicana professæ in universum conforme foret, & partibus maximè dissidentibus quàm posset minimè displiceret. In toto penso hoc meo accurando expediendóque, ubicunque opus aut erat, aut esse saltem videbatur, temperamentum ità adhibui in Articulis Fidei tradendis, (præsertim iis, qui mihi sunt visi impeditissimi,) ut controversiis impediendis, nè de integro exo-*

exorirentur, aut jam exortis componendis & ad finem feliciter perducendis, omnes nervos meos intenderim, summáque quâ potui brevitate summam curam mecum attulerim. Quibus autem auspiciis hoc molimen susceperim, quóve tandem successu susceptum idem peregerim, aut è contrà infeliciter magnis his Ausis meis exciderim, æquis rerum Æstimatoribus libens permitto dijudicandum. Deus Animi mei Conscius, & καρδιογνώστης novit unicè, quem in finem usumque conatus meos impenderim, totámque hanc operam, qualem qualem, ἀνυπόκριτος sanè insumpserim.

Quæ sint hominibus utilissima, (τὰ * καλὰ καὶ ὠφέλιμα,) Quæ verò vana & inutilia, (ἀνωφελῆ καὶ μάταια,) apertè tradit Apostolus ad Titum Tertio. Inde admonitus atque edoctus in id potissimùm incubui, uti Didacticam Theologiam, & Energeticam, longè Elenchticæ anteponens, omnia κατασκευαστικῶς Lectoribus meis propinarem, ἀναιρετικῶς nihil; ut ea traderem, præ aliis, quæ aut scitu, aut creditu, aut factu esse necessaria judicaveram; ab iis è contrà abstinerem, (quoad ejus fieri posset,) de quibus inter litigantes vexatam controversiæ serram probè noveram reciprocari: ut alios periculo meo monitos cautiores redderem aliquantò, tutósque ab illis & illiusmodi Animorum paroxysmis

* Tit. 3.8,9.

roxysmis præstarem omnibus, quibus ut Ipse olim abreptus eram, ità Aliis succurrere iisdem itidem abreptis, & in votis habeo, & in deliciis. Omni denique ope mihi annitendum duxi, ut longè potiùs minuendis quàm augendis litibus, & animis hominum emolliendis, quàm iisdem exasperandis, quicquid opellæ meditabar (Deo juvante) inserviret. Quúmque mihi usque adeò sincerum fuerit Incepti hujus conficiendi desiderium, ex hoc enata desiderio spes aliqua mihi affulget, (aut mihi miserè adblanditur,) conatus meos qualescunque non ità incassum cessuros esse, ut non sint aliquem, quantulumcunque, Lectoribus fructum allaturi, nedum ut omni apud omnes successu careant.

Mirum quidem est dictu, & horribile cogitatu, quàm Vatinianis *interdum odiis, indéque profectis Bellis usquequaque* Archidamicis, *ἀσπένδοις utique καὶ ἀκηρύκτοις, propter diversas nonnunquam, & nonnunquam planè contrarias in Religionis Negotio Sententias, inter partes hinc inde motas, sit atrocissimè decertatum. Absumpti ferro sunt Exercitus Christiani. Licentia militum effrænata, rabiésque inexplebilis quaquaversùm grassata toleratáque. Exhaustæ vectigalibus & spoliationibus Provinciæ. Captæ, direptæ, incensæ urbes; complura mortalium millia miseriis extincta multiplicibus.*

Adeatur Sleidanus. Thuanus T. 1. l. 2. 4. 9. 16.

plicibus. In immensis Terrarum spatiis (præcipuè apud Germanos*) nihil ferè aliud ab annis aliquot retroactis videre erat, quàm Civitates aut expilatas, aut suis cineribus consepultas. Quibusdam etiam in locis, nihil, nisi aut corpora hominum lacerata, aut milvos corvósque, qui lacerabant. Quicquid denique apud Inferos* Furiæ *dicuntur perpetrare, apud nos homines perpetratum est* Christi *nomine insignitos. Victoribus æquè ac Victis, bella inter Christianos huc usque gesta, (quorum aut* πρόφασις *aut* ἀντία, *ut cum* Thucydide *distinguam,* Religio *erat,) infaustissimè cesserunt; quandoquidem* Turcæ *impurissimi stultitiis nostris atque furoribus callidè usi & sapienter, totam Rempublicam Christianam mirandum in modum labefactârunt.* † Caligulæ Ethnici *querimoniis de Temporis sui infortunio, [quòd nullis nimirum calamitatibus, nullâ cæde Exercituum, nullâ fame aut pestilentiâ, nullis Terræ hiatibus, nullis incendiis nobilitabatur,] apud nos homines* Christianos *(proh dolor dedecúsque!) locus est omninò nullus.*

Fatendum est liberè & humiliter, plusquàm humanæ Virtutis esse, tot tantisque humanæ mentis παραπικρασμοῖς *& fermentationibus, aut mederi posse, aut moderari. Tales sedare tempestates in affectibus hominum sævientes, maximè quidem*

Illius

Grotius de Bello Belg. ac de pace Germ. Cæsius Aug. Curio in Hist. Saracen. Procem.

† Sueton l. 4. cap. 31.

Illius est, qui tanquam vinculis quibusdam (ipsi quandocunque visum fuerit) constringit omnia: Illius qui Ventum * objurgavit, dixítque mari, σιώπα, περίμωσο. *Interim tamen* est quiddam prodire tenùs; *déque concordia inter Theologos aliquando tandem coalitura, non omninò, non penitus, non in perpetuum desperare; sed Dictum illud* Diodori *in memoriam sæpe & mentem revocare atque recolere;* ἆθλον δυσέρικτον τούτῳ μᾶλλον ἐπιφανέστερον. *Cogito mecum aliquando, quàm multæ olim simultates intercesserint inter* Chrysostomum, & Epiphanium, *inter* Hieronymum, & Ruffinum; *item inter eundem* Hieronymum, & Augustinum; *inter* Johannem Antiochenum, & Cyrillum Alexandrinum; Cyrillum *inter*, & Theodoretum, *qui tamen omnes eandem Fidem pacémque catholicam coluerunt, utut privatim, & ad tempus, fervidi nimis disceptaverint; & libens mecum revolvo quod* Georgius *quidam* † Scholarius *in Concilio* Florentino *dixisse dicitur;* εἰ δέ τις ἀδυνάτα τὰ πολλὴν δυσκολίαν ἔχοντα λέγοι, οὐ δεῖ τούτῳ προσέχειν.

Sunt mihi etiam incitamento quotquot ἑνωτικὰ *conscripserunt, conatúsque suos pacificatorios evulgârunt. Quin & Aureus ille Tractatus,* de officiis pii viri circa Religionis dissidium, *quod* Georgii Cassandri *nomen*

* Mat. 4. 39. ταῦτα δρίσας καὶ σῆσας, μάλιστα μὲν θεοῦ τοῦ πάντα συνδέοντος. Greg. Naz. Orat. 14.

† ὑπὲρ εἰρήνης. Bin. Tom. 8. p. 897.

nomen præfert celebratiſſimum, addebat mihi, additque currenti Calcar. Mihi verò, ex Symmyſtarum meorum minimis unî, ob oculos diu ponenti, & apud animum expendenti, quænam ſit ratio commodiſſima tot adverſantes ſibi invicem, quibus diſcindimur, ſententias conciliandi, præcipua (fateor) Argumenta ſpem Pacis aliquam aſſerentia, partim in ipſa Neceſſitate, cujus ingens eſt telum, & quâ ad optima nonnunquam (non autem ad turpiſſima ſemper) cogimur; partim in bonorum plurimorum propenſis ad pacem animis, eámque jugiter anhelantibus, (nota laquor, & compertiſſima,) fundamentum habent non contemnendum. Quotus enim quiſquis eſt, qui non ex animo ſuo exoptat, ut ex certiſſimè ſecuturâ Naufragii publicè periculo, in aliquam tandem ſtationem (qualiſcunque ea fuerit) jactatiſſima Chriſtianiſmi & Eccleſiæ Navis ſubducatur?

Mihi equidem (ſi quid ego hac in re perſpicio) nihil magis videtur aut jam conducere, aut poſſe eſſe conducibile, ad Pacem publicam in Eccleſiis inter Partes diſſentientes auſpicatiſſimè inundam, quàm ſi ab omnibus pervulgatur ipſi Deo Inſcrutabili, ſua habere Inſcrutabilia. Deo, inquam, ineffabiliter Æterno ſimul & Infinito, & cui maximè eſt proprium, prorſus non poſſe comprehendi. Inter ejuſmodi Inſcrutabilia,

Primâs

Primàs tenet Mysterium Illud, Mysteriorum μυστικώτατον, de Trinitate in unitate, eique communiter annexis articulis. Secundàs forsan Modus *præsentiæ Christi in Cœnæ Dominicæ Sacramento. Tertiàs Æternum Illud Decretum Dei, quod Prædestinationis nomine censetur, atque Articuli inde pendentes. Quartàs humanæ origo Animæ post* Adami *lapsum in ejus Posteris. In quibus, tanquam in tot Cardinibus, Harmonia Ecclesiastica præcipuè vertitur & consistit. Nam ex quatuor istis Mysteriis, tot tam perplexæ spinosæque (vexatissimæ planè) Simultates exortæ sunt, ut à doctrina imparati οὐδὲ μὴ quidem de iis explicandis intelligant; & in iisdem extricandis ab eadem paratissimi vix se possint expedire. Quocirca in istis rerum apicibus (ut & in aliis non paucis) perquàm pacificè pertractandis, & maxima, quâ fieri potuit, accuratione expediendis; summo me quidem studio, ut temperamentum adhiberem, præ me fero fuisse usum. Firmiter* credimus *Mysteria, quæ nullo modo* comprehendimus; *& liceat nobis bona cum venia diversum à nobis apprehendentium, illud ex animo venerari, illud animitùs confiteri, illique mordicùs adhærere, cujus notitiam exquisitissimam uni ei relinquimus libentissimè, qui supra omne sive humanum, sive etiam Angelicum fastigium sapit. Pace Vestrâ, Litigatores & Seminato-*

res dissidiorum, liceat nobis φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. In nobis misellis Viatoribus Deus vult Fidei obedientiam, *non Scientiæ perfectionem. Teneamus quod Nostrum est, dimittamus quod alienum. Ad quietandos intellectus abunde sufficit hoc unum, quòd potentia* Activa *comprehendendi inscrutabilia ideo nobis non datur, quia potentia* Passiva, *ut ea à nobis comprehendantur, rebus ipsis non conceditur. Sufficiat* Homines *nos esse, perinde atque* Christianos; *& Hominum esse* ignorare, *ut Christianorum est* credere, *quæ Pater Luminum sibi uni reservat liquido perspicienda.*

Si inter alia, nec pauca, nec contemnenda, ad pacem mutuam incitamenta, Illud præcipuum apud omnes habere locum fas sit, (nullo interim ad Christum *respectu habito,) quòd ex* uno Adamo omnes *originem nostram traducentes, unius etiam* [a] Sanguinis *participes sumus, atque unius, utcunque magnæ,* Familiæ [b] membra; *quantò magis* unitatem, *quam in* Christo *habemus,* Spiritualem, *summâ ope nitendum est, ut assequamur Nosmetipsi, atque in aliis quibuscunque pro nostra virili promoveamus? Ex duabus nimirum populis (Judæis Gentilibúsque) in* [c] *unum corpus, quod est Ecclesia, per* Jesum Christum *coalescimus, qui &* [d] Pax nostra *dicitur, &* [e] hæreditatis nostræ arrhabo. *Absit ut* [f] Paries intergerinus, *à* Christo *dirutus,*

[a] Act. 17. 26.
[b] Eph. 3. 15.
[c] Eph. 2. 14. & c. 3. v. 6.
[d] Eph. 2. 14.
[e] Eph. 1. 14.
[f] Eph. 2. 14

dirutus, de integro instauretur à Christianis. Quotquot verò in Christum fide imò cum Christo adunamur, ejusdem Corporis
[a] Col. 1. 18, &c. Eph. 1. 22, 23. etiam Mystici, cujus [a] Caput est Christus, [b] membra summis conjunctissima. Hæc autem
[b] 1 Cor. 12. 27. Unitas non efficitur, nisi ab ipso Spiritu
[c] 1 Joh. 4. 3. [c] Sancto, cui Fideles sunt Habitaculo, & qui est verè credentium Copula, tam cum Christo, quàm inter se. At quorum Unus est Spiritus, eorum unus sit Animus necessum est. Una etiam est nostri omnium ad Pietatem Probitatemque Vocatio saltem
[d] Eph. 1. 18. & c. 4 v. 4. generalis; & unicâ [d] Spe Vocationis in Christo Jesu propositâ, Nos erigimur simul omnes. Quorsum ergò? immo verò quam absurdum est, ut modo in Terris dissemus invicem, qui simul in Cœlis beatam vitam victuri summis sempiternum? Unicum omnes habemus Herum, unum Dominum Redemptorem; absit procul ut Conservi, in lites & jurgia incurrendo in communi Domino Excundescentiam adversus nos pariter incurramus. Unum est nobis Evangelium, unica Fides (si modo Fides) per unum Spiritum in nobis omnibus accensa, omnibus nobis est communis. At quorum mentes (quoad principia ac ad Salutem necessaria) sunt unitæ, eorum voluntates quorsum quæso dissingerentur? Aut quorum corda planè consentiunt, eorum capita cur dissentirent? [e] Uni-
[e] 1 Cor. 12. 13. co omnes nos Baptismate in unum corpus

* coag-

* coagmentamur : *Atque inter baptizandum, unius Spiritûs efficaciâ uni Christo inserimur.* [m] *In* una Cœna Sacramentali *dè uno Pane participamus. Deus Bone! quid obstat, quo minùs nos invicem diligamus? Quænam* Ate *nos impellit? aut quænam Res alia eò potest Nos adigere, ut in partes & schismata segregemur, qui iisdem Sacramentis nobis reciprocè conglutinamur? ut in pauca rem conferam.* Unus *Deus cultores exigit* unanimes. *Unicum Deum adoramus ad unum omnes.* Unus est Ille omnium Pater *(ut inquit* [n] *Apostolus ad* Ephesios :) *ejúsque* Filii *qui sumus,* Fratres *pariter ut simus, necesse est. At* quàm Bonum, & quàm jucundum est, κατοικεῖν ἀδελφοὺς ἐπὶ τὸ αὐτὸ, Fratres in unum habitare! *Quàm contrà* [o] *pejus, quàm Diabolicum, Fratres mortales & moribundos, immortales erga se invicem inimicitias exercere, immortalibus in unâ eúque Patris omnium* [p] Domo *dissidiis confligere, & contra se mutuò belligerare! Ad unitatem* τῆς ὁμονοίας καὶ τῆς ὁμοψηφίας, Animi *simul &* oris, *desideratissimam, quam* ipse Christus [q] *ardentissimè rogavit Patrem, (in oratione sua* προαγωνίῳ*) Beatus* Paulus *nos excitat, invitat, verbísque gravissimis adhortatur.* Quod * *(inquit)* superest Fratres, valete, instauramini, idem sentite, in pace agite ; Deúsque Pacis &

* Eph. 2.21. Ibid.
[m] 1 Cor. 10. 17.
[n] Eph. 4.6.
[o] Mat. 12.24, 25, 26, &c.
[p] Eph. 2.19.
[q] Joh. 17.21.
* 2 Cor. 13. 11.

† Eph 4.1,2, 3, 4, 5, 6. Charitatis erit Vobiſcum. † Precor vos ego Captivus in Domino, tolerate alii alios per charitatem. *(Neque enim ſervari Pax poteſt ſine mutua tolerantia, nec locum habet tolerantia inter feroces furioſóſque;)* ſtudete ſpiritûs unitatem per vinculum pacis conſervare; unum eſt Corpus, unus Spiritus, una Spes Vocationis, unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma, unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnes, & in omnibus vobis. *Quicunque ergo Charitatem fraternam violant, neque ἄσπλαγχνοι, neque φιλόφρονες, certè fieri non poteſt, quin omnia iſta, quanta quanta, diſcerpant ſimul diſſipéntque. Summa hactenus dictorum ad hoc unum redit, ut ſimultatibus quibuſcunque de re religioſa valere juſſis, concordes, unanimes, & Comes ſimus*; ut fraternâ prædicti charitate, mutuo [r] moleſtiarum ſenſu affecti, ad intimam proni miſericordiam, idem *deinceps* loquamur omnes, *idem deinceps ſentiamus, ſapiamus idem: nec in hac vita peritura pauxillùm temporis diſſideamus, eâdem prorſus Felicitate æternùm in altera fruituri.*

[r] 1 Pet. 3. 8. 1 Cor. 1. 10.

Utrique Fini & Scopo inter ſcribendum velificatus, ità calamum animumque deditâ operâ temperavi, ità affectus intra limites legéſque debitas cohibui, ut nemini non perſpicuum ſit, velle me inter Sequeſtres,

ſtres, partiúmque prorſus immunes, nomen meum profiteri. In eam ſemper & potiſſimùm incumbens curam, ut nemini hominum obnoxius, infenſus nemini devenirem. Intrepidus auſim aſſeverare, quòd (niſi perfidè me fallit memoria mea,) nuſquam verborum ſupercilio, nuſquam Jambo dicteriorum, in Aliter-Opinantes ſtylum acui. Sed ſi quando viris optimis magnique nominis in Eccleſia, ſummâ ſuâ & ingenii & literarum laude digniſſimis, nullus potuerim per omnia ex intimo corde ſuffragari; ab iis tamen abſque ullo reverentiæ & honoris, quo eos proſequor, detrimento, liberè ſemper, ſed & modeſtè (quid, quòd & invitus?) diverſum ſentio.

Tractandi rationem non ſemper unam eandémque ſecutus ſum: quum ut eadem Res Methodo ubique locorum pertractentur, Natura rerum non ferat. Sed quandoque Syntheticâ, quandoque Analyticâ, quandoque Crypticâ & Mixtâ, pro re nata uſus ſum, prout & certiùs & faciliùs, & majore cum fructu, ſive meo, ſive Lectoris, tranſigi res poſſe videbantur, & expediri. Noveram enim in quot Errores (non duntaxat impedimenta) Scrupuloſi nonnulli ejuſdem ſemper Methodi Sectatores (penè dixeram Idololatræ) ſemetipſos de improviſo, ſuíſque ingratiis præcipitaverint. Nam & temporum, & rerum, & Perſonarum Circumſtantiæ,

cumſtantiæ, ipſis Diſpoſitionibus & cauſas interdum præbent, & interdum occaſiones. Nec multum refert, quo quiſque ordine ſive methodo rem ſuam tractet, modò Ipſi Veritati vim nullam inferat, Animique ſui ſenſa perſpicuè prodat proferátque. Ita ex variis Scripturæ ſacræ Interpretationibus, quas nobis offerunt Scriptores ſive Veteres ſive Moderni, maximè mihi arridet ſemper facilis Illa, & Simplex, & perſpicua, quæ nullam verbis aut vim faciat, aut nebulam offundat.

Quæ didici, doceo. Docemur quippe omnes, ut doceamus. Quum verò pulchrum ſit agnoſcere per quem profeceris, nec tamen ſemper in promptu ſit, unumquemque nominare, quem cum fructu evolviſti, (id quod nec factu eſt facile, nec ſcitu omninò neceſſarium,) profectò mihi Ipſe, quò nè hoc facerem, temperavi. Non opus eſt (inquam) ut ediſſeram, quantum προκοπῆς ſive profectûs in Theologiæ ſtudio debeam acutiſſimo Tertulliano, *quem tanti fecit* Cyprianus, *ut ſine ejuſdem Lectione vix unum diem præterierit, ſemper inquiens,* Da Magiſtrum: *Quantum* Juſtino, & Irenæo; *Quantum* Clementi Alexandrino, Lactantio, Arnobióve; *Quantum beato* Auguſtino, Hieronymo, Gregorio triplici, Vincentio, *Aliſve priſcorum non paucis Patrum, quos percenſere longum eſſet; Quid deinde*

deinde modernioribus oppidò multis, celeberrimis & doctiſſimis Viris, obæratus & gratabundus acceptum referam. Denique quoſcunque Scriptores legerim, & quomodocunque inde profecerim, Sacrorum Ordinum Candidatis pro modulo meo profuturus; Lectores meos ad unum omnes, præſertim Juniores *rogatos velim, (idque verbis* Johannis Gerhardi Voſſii,) *ut* dum ceſſant, qui ad iſthæc Idonei magis ſunt, Catone hoc contenti eſſe velint.

De cætero, Lector humaniſſime; ut à Pace exorſus, in Pace deſinam, (nunquam ſine pacis ſtudio, volente Deo, deſiturus,) Aureum Illud Jacobi Regis, *nunquam nimiùm Eccleſiæ Patribus Rectoribuſque perpendendum, Coronidis vice, hoc in loco, ſubjiciam.*

Nullam ad Pacem ineundam breviorem viam fore, quàm ſi diligenter ſeparentur neceſſaria à non neceſſariis; & ut de neceſſariis conveniat, omnis opera inſumatur; In non-neceſſariis libertati Chriſtianæ locus detur. Quam quidem Diſtinctionem Tanti (*inquit* Caſaubonus) ſereniſſimus Rex putat eſſe momenti ad minuendas controverſias, quæ hodiè Eccleſiam Dei tantopere exercent, ut omnium pacis ſtudioſorum judicet officium eſſe, diligentiſſimè hanc explicare, docere, urgere.

Iſaac. Caſaub. Epiſt. 710. pag. 914, 915. Edit. Brunſvigæ ann. 1656.

Ità

Ità Rex *magnus* Britanniarum, *propter egregium, quo in pacem flagravit, zelum,* Pacifici Regis *Titulo insignitus*; & *cui in ore hoc erat usitatissimum Apophthegma,* Beati sunt Pacifici.

Ad opus tam arduum, tam divinum, tàmque ab omnibus desiderandum, & pro virili sua parte omnibus modis promovendum, dum Alii qui in Ecclesia longo me intervallo post se relinquunt, multisque superant parasangis, in Gazophylacium Theologicum Talenta *ingerunt*; *sufficiat mihi paupertino, cui Illorum Facultates haudquaquam suppetunt, (quum nihil omninò despicatui, nihil contemptim haberi debeat, quod sit aut Tempori opportunum, aut unde aliquis saltem fructus ad Rempublicam Christianam redire queat,) si ex tenui meo Censu* Quadrantes *erogem.*

Elenchus

Elenchus Capitum generalis.

Cap.

I. *De Theologia, éſtque ad Reliqua Anteloquium.*

II. *De Verbo Dei, ſive Scripto ſive Non Scripto.*

III. *De Deo Unico atque Triuno.*

IV. *De Æternis Dei Decretis in genere conſideratis.*

V. *De Prædeſtinatione ſpeciatim de Elect. & Reprobat.*

VI. *De Creatione generatim.*

VII. *De Angelis in genere.*

VIII. *De Angelis Bonis & Electis.*

IX. *De Angelis Reprobis, ſive Diabolis.*

X. *De Homine Integro ante Lapſum.*

XI. *De Providentia divina, ſeu Creationis Continuatione.*

XII. *De Lapſu Hominis,* &c.

XIII. *De Peccato Originali exinde orto.*

XIV. *De Peccatis Actualibus,* &c.

XV. *De Stipendio Peccati, ſeu Malo Pœnæ.*

XVI. *De Libero hominis Arbitrio in quadruplici ejus Statu.*

XVII. *De Lege Dei per Moſen lata, & ante Moſen ab Æterno.* XVIII. *De*

XVIII. *De Evangelio tam absolutè quàm relativè considerato.*

XIX. *De Pœnitentia & Resipiscentia & Bonis operibus.*

XX. *De Remissione Peccatorum, iisque quæ ei sunt annexa.*

XXI. *De Sacramentis in genere.*

XXII. *De Sacramentis in Specie, atque imprimis de Baptismo.*

XXIII. *De Cœna Dominica, atque Consensu Dissentientium.*

XXIV. *De Ministerio & Ministris Ecclesiasticis.*

XXV. *De Ecclesia, non Bicipite, instar Lilii inter Spinas.*

XXVI. *De Ordine Politico, seu Civili Hierarchia, Magistratu & Subditis.*

XXVII. *De Conjugio, sive de Ordine Oeconomico.*

XXVIII. *De Mysterio Dei in Homine, sive de Persona & Muneribus Christi.*

COR-

CORPUSCULUM THEOLOGICUM DIALLACTICON.

CAP. I.

Agit de Theologia, éſtque ad Reliqua Anteloquium.

§ 1. ENchiridion Theologicum aggreſſurus, miſſas facio Diſtinctiones inter *Veram* & *Falſam* Theologiam, inter *Archetypam* & *Ectypam*, *Comprehenſorum* & *Viatorum*, inter *Veterem* & *Novam*, quæ eſt Clementis Alexandrini Aliorúmque, reſpectu habito ad Vetus, & Novum Teſtamentum. Propoſiti ratio non fert, ut minutioribus inſiſtam. *Theologia.*

Theologia ectypa Viatorum, in Theſi primùm conſiderata, à Sanctis Patribus *Theoſophia* nonnunquam denominatur; in ſacris Literis *Theoſebia*. Illa ſcilicet *Sapientiam*, Hæc verò *Cultum Dei* ſignificat. Utramque ſimul complectitur optima illa & elegantiſ- *In Theſi.*

 ſima

sima divi *Pauli* Circumlocutio (quæ pulcherrima est Paraphrasis, non minùs quàm Periphrasis,) Tit. 1. 1. ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν, *Agnitio Veritatis, quæ est secundum pietatem.* Aquinas eam per *Scientiam* definiendam esse censet. Alii potiùs per *Sapientiam*, eámque Practicam, & Affectivam, Non Theoreticam duntaxat, aut infructuosè Contemplativam. Sed rectiùs longè definitur per habitum quendam θεοσδοτον, sive divinitùs nobis datum, quàm per ullum ex *quinque istis* quos habitus intellectuales communiter vocant Aristotelici. Quanquam (ut quod res est dicam) *Theologia* longè facilius *describi* potest, quàm *definiri*.

Definitur ὡς ἐν πίνακι.

Non est ergò *Scientia* (Theologia de qua agimus) sed potiùs *Doctrina Scientifica*, sive *Systema Doctrinarum*, in Cognitionem & Cultum Dei humanas mentes introducentium. Estque partim *Naturalis*, mentibus hominum ingenerata, cordibus indita & impressa; partim *divinitùs* in sacris Bibliis *Revelata*, & supra Naturæ fastigium posita.

Naturalis.

§ 2. *Naturalis Theologia* (quæ à quibusdam & Philosophica, & Metaphysica appellatur,) est vel *coelitùs generali modo infusa*, utpote quæ in se continet Naturæ leges, & κοινὰς, Notiones de Deo communes nobiscum natas, eásque non modo *speculativas*, videlicet Deum esse, & esse Optimum Maximum, (quo majus aut melius nihil potest excogitari,) sed *practicas* insuper, & operativas, Deum scilicet & semper, & ubique, & ab omnibus esse Colendum; vel *humanitùs acquisita*; Nempè ex ipso hujus Mundi Aspectabilis opificio, ejúsque

que seriâ Contemplatione, quâ ab Entibus inferioribus ad *supremum* ascenditur. Cujus rei præclarum specimen in *Arabe isto Autodidacto* Latinè nobis exhibuit *Pocockius* Noster nominatissimus. At siquis Librum Naturæ integrum in animo habeat peragrare, atque inibi Deum legere in singulis Partibus & Periochis Lippientibus etiam conspiciendum, Adeat *Alstedium* Aliósque, qui Copiosè & ex professo puram putam *Naturalem* propinant Lectoribus *Theologiam*.

Hujusmodi Theologia Naturalis, quæ homini quâ homini ex parte est *infusa*, & sensu lato * *Revelata*, ex parte verò *acquisita*, studiorúmque adjuta adminiculis, contra Socinum, Vorstium, Aliósque Neophotinianos planiùs aliquantò & lucidiùs in sacris Scripturis asseritur, quàm ut à quoquam sanæ mentis negari queat. *Cæli enarrant gloriam Dei, ejus opus annunciat Firmamentum*, Psal. 19. 1. *Loquere Terra, & docebit Te, & Pisces Maris tibi narrabunt*, Job. 12. 7, 8, 9, 10. *Nunquam sine Testimonio reliquit se Deus*, Act. 14. 16. *Quem ignorantes Deum colitis, Hunc vobis annuncio*, Act. 17. 23. *Quod de Deo cognosci potest manifestum est in ipsis*, (putà in Ethnicis Idololatris,) *Deus enim ipsis manifestum fecit*, seu *Revelavit*, Rom. 1. 19. *Ipsius enim Invisibilia inde usque ab orbe condito ex rebus factis intellecta, pervidentur, æterna ejus simùl cum Potentia, tum Divinitas*, [idque tam apertè,] *ut sint ii inexcusabiles*, v. 20. * Rom. 1. 19.

Hactenus actum est de Theologia in Thesi: scilicet Hominem quatenus Hominem, adeóque Omnes respiciente.

Christiana. § 3. *Theologia in hypothesi*, quatenus respicit *Christianos*, tam de Deo cognoscendo, quàm de Colendo agit, in quantum per Christum in Evangelio, ad suam ipsius Gloriam, nostrámque Salutem manifestato.

Hæc est *Supernaturalis*, modo quodam peculiari, & sensu strictissimo *Revelata*; Ideóque *Theologia κατ' ἐξοχὴν* dicta. Longo scilicet intervallo Priorem superat. Illa per speculum Creaturarum, seu *Lumen Naturæ* communicatur; Hæc per ipsam *Gratiæ Lucem* in verbo Dei accensam. Inde Deum cognoscimus, Hinc eundem Recognoscimus. Inde Dei Existentiam, Hinc Essentiam apprehendimus. Inde parciùs, Hinc pleniùs (licet utrinque per Transennam,) quæ sunt Dei introspicimus. Inde nec Legem nec Evangelium, Hinc utrumque contemplamur. Inde Ratio dominatur, Hinc in obsequium se submittit, Fidei scilicet Christianæ.

Principium duplex. § 4. Hujusmodi Theologia planè Supernaturalis, & specialissimè Revelata, & Christiano competens Reduplicativè, *Duplex Sui Principium* habet: unum *Essendi*, *Cognoscendi* alterum. Prius illud est Ipse *Deus*; *Verbum* Dei posterius. Non intelligo *ἐνδιάθετον*, * *Verbum* illud *Essentiale*, quod Ipse est *Deus in* † *facie Christi* patefactus; neque Verbum *ἐνδιάθετον*, quod adhuc in mente delitescit; sed Verbum illud *προφορικὸν*, quod quandoque à Deo immediatè, quandoque per Angelos Hominésque afflatu divino percitos, atque illuminatos, vel *vivâ voce*, vel *scriptis* prolatum est. Id quod vulgò & eminenter *Verbum Dei conscriptum*,

* Joh. 1. 1.
† 2 Cor. 2. 6.

scriptum, seu *sacra Scriptura* nuncupatur.

Sunt qui dicunt *Articulos Fidei Principia* esse Theologiæ. Quod à Vero ita abhorret, ut sint liquidò *Principiata* ex ipsis Scripturis deducenda. Restat ergò ut Verbum Dei sit & unicum & proprium *cognoscendi* Principium in Theologia. Quippe cui proprietates ad naturam *Principii* requisitæ, Soli competunt & conveniunt ad unum Omnes. Ex mente autem *Aristotelica*, uniuscujusque Disciplinæ Principia debent esse καὶ πρῶτα, καὶ ἄμεσα, ἀληθῆ, ἀναπόδεικτα, αὐτόπιστα, ἀναντίρρητα, καὶ ἀναπόδεικτα. Quæ sigillatim & conjunctim Verbo Divino congruentia, probant illud esse *Principium* de quo agitur *Adæquatum*. Arist. 1. Poster. c. 2.

§ 5. De Dispositione Materiarum in Theologia tradendarum in diversas sententias diversi abeunt Scriptores, tam Veteres quàm Moderni. Sunt qui Partes Theologiæ constituunt Quatuor; 1. *Deum* scilicet *quà Creatorem*, 2. *Deum* rursus *quà Redemptorem*, 3. *Modum gratiæ recipiendæ* ab eodem *Deo quà Sanctificatore*, 4. *Media* denique ordinaria à Deo liberè concessa, ad Vitam æternam conducentia. Sunt qui Rem totam ex Tribus Partibus expediunt, quarum prima agit de *Deo*, Altera de *Angelis*, Tertia demum de Hominibus in Triplici statu consideratis. Omnia revocat *Augustinus* ad *Fidem*, *Spem* & *Charitatem*. Secundum alios non tantùm Tria, sed Duo etiam sunt omnia; *Credenda* scilicet, & *Facienda*. Illa ad veram Dei notitiam, Hæc ad sincerum Dei cultum, & ducunt nos admodum, & egregiè conducunt. Illa disponunt nos in Deum, Hæc etiam in proximum. Utraque *Partes.*

traque docemus atque docemur, ut *pii* facti,
2 Tim. 3. 15. *probique*, possimus *sapere ad Salutem*. Sunt qui dividunt Theologiam in duo fœdera, Naturæ sc. & Gratiæ, in Legem & Evangelium, in Pathologicam & Therapeuticam, in Præcepta & Promissa, in Fidem denique & Bona Opera. Quæ Divisio in S. S. occurrit sæpiùs: ut *Gal.* 5. 6. & 2 *Tim.* 1. 13. *Tit.* 3. 8. & *Act.* 24. 14, 15, 16.

Subjectum circa Quod. § 6. *Subjectum* Theologiæ *circa Quod*, (quod & *Objectum* dicitur) non uno modo, sed multifariam, & à multis, pro suo cujusque captu innocentissimè constituitur. Alii *Duplex* objectum, Alii *Simplex* esse statuunt. Eorum qui *Duplex* esse volunt, Alii *Deum* & *Creaturas*. Alii *Deum Hominem*que in quantum ad Deum perducendum. Eorum qui *Simplex* esse contendunt, Nonnulli assignant *solum Deum*, (non tamen absolutè, sed Relativè consideratum) pro *Subjecto circa quod* versatur propriè Theologia. Nonnulli *Hominem qua salvandum*. Nonnulli *unicum* * 1 Cor. 2. 2. *Crucifixum*, ut putà Hominum Salvatorem, ipsúmque Deum æquè ac Hominem, & inter utrumque Mediatorem. Quæ quum eódem ferè redeant, totámque Materiam Theologiæ aliquo modo in se absorbeant, Ità postremum antehabeo, ut neutrum ex Prioribus videri debeat improbandum.

Methodi Ratio. Isa. 44. 6. Act. 17. 28. Col. 3. 17. § 7. Quanquam *Deus* sit rerum omnium *Alpha* simul, & *Omega*, æquè principium absque Fine, ac Finis omnium absque principio; A quo uno Bona omnia derivantur, & in cujus unius Gloriam omnia vicissim diriguntur; Quia tamen *Docendi* methodus à Rerum potius

Facili-

Facilitate, quam ab earum Dignitate petenda eſt, Idcirco non ab *Ipſo Deo*, qui eſt *Eſſendi* principium, ſed à conſcripto Dei Verbo, quod eſt principium *Cognoſcendi*, opus hoc noſtrum qualecunque exordium ducet.

CAP. II.

De Verba Dei, ſive de Sacra Dei Scriptura.

§ 1. UTriuſque Tituli æquipollentia, ſive *ἰσοδυναμία*, variis modis Probari poteſt. Exempli gratiâ, ex Identitate Materiarum, quæ quum eundem Autorem habeant, (*Sanctum* ſcilicet *Sanctorum*) eoſdem Prænones atque Miniſtros, (*Prophetas* ſcilicet & *Apoſtolos* à Sp. Sancto inſpiratos,) Eundem Finem & Effectum, (hominum ſcilicet Sanctimoniam ad vitam æternam conducentem,) nihil refert *vivâ voce*, an literis *ſcriptis* enuncientur. Reſpectu primo *Verbum Dei*, reſpectu ſecundo *Scriptura Dei*, rectè Res eadem appellatur. *Verbum Scriptum & non Scriptum.*

Utrumque partim per ipſum * Deum, partim per homines Deo charos, Deíque juſſu factum novimus. Unum igitur idémque eſt Verbum Dei, quomodocunque innoteſcit, ore tenus, aut Scriptis. Rei enim *Eſſentiam* non mutat *Accidens*, ſecundum Regulam Dialecticorum. *Accidit* autem Verbo Dei, inprimis voce proferri, deinde & Literis conſignari. Unde *legere* † & *audire* Verbum Dei in Idem recidunt, * Exod. 32. 16.

† Luc. 16. 29.

recidunt, *Luc.* 16. 29. Reſtat ergò ut Diſtinctio inter *Verbum* & *Scripturam* non omninò ſit Realis; utque Diviſio ejuſdem Verbi in *præconizatum* & *conſcriptum*, non ſit Generis in Species, ſed ſolius Subjecti in Accidentia. Si res aliter ſe haberet, iſtud Abſurdi conſequeretur, ut ſacro Codice pereunte Verbum Dei ſimul periret. Cujus contrarium videre eſt, *Eſaiæ* 40. 9. *Luc.* 21. 33.

Divinitùs Inſpiratum.
* 2 Tim. 3. 16.
† Heb. 1. 1.

§ 2. Divinam eſſe, atque * θεόπνευστον, Autoritatiſque conſummatiſſimæ Scripturam Sacram, pateſcit nobis † multifariam. *e. g.* ex variis Modis atque Menſuris, quibus ſe Deus patefecit, Mentem ſuam & voluntatem miſellis hominibus retegendo: per Angelos ſcilicet, per Prophetas, iiſque per Voces, per Viſiones, per Urim & Thummim in Sacerdotali Pectorali, per Inſomnia dormientibus, per rerum Imagines vigilantibus; cujuſmodi modos Se exhibendi Ipſe Deus recenſet aliquos, *Num.* 12. 6. Et ſic ad *Moſis* uſque tempora, totos annos bis mille quadringentos quinquaginta & quatuor, Doctrinam Cœleſtem planè αὐγραφον conſtat fuiſſe conſervatam. Ex eo tempore ſe *Moſi* per multa miracula pateſecit, & poſt Moſem Prophetis aliis, Cui & Quibus diſertè dixit, ut Vaticinia, atque Præcepta, Promiſſiones juxta & Minas, & quicquid inſuper ex Cœlis quoquo modo edocti eſſent, eveſtigiò & ſine morâ mandarent Literis, *Exod.* 17. 14. *Eſa.* 8. 1. *Jer.* 30. 2. *Ezek.* 24. 2. *Habac.* 2. 2. Pari modo οἱ παραδιδόντες Evangeliſtæ, atque Apoſtoli, Quæ Sancti Spiritûs inſpiratu & operatione prædicaverant, Ejuſdem juſſu atque impulſu ceu Organa Dei exaraverunt.

raverunt. Indeque *Sancti Dei Homines* antonomasticè * appellantur. Dei scilicet Amanuenses, Tabelliones, Notarii publici, & Præcones, in suis muneribus obeundis Miraculorum sigillo confirmati. Cumprimis verò & semper notari debet, quòd Scripturarum Origo omnium Deum ipsum αὐτόπτην † Autorem habuit: Quandoquidem verba Legis suæ lapideis Tabulis inscripsit; Quæ *Tabulæ opus Dei erant*, & *Scriptura Scripturâ Dei*, Exod. 32. 16. Adeóque non solùm *Prophetas* suos & *Apostolos* suggestu intrinseco atque Præcepto ad scribendum *impulit*, Verùm etiam Exemplo suo Scribendi genus *consecravit*.

* 2 Pet. 1. 21.

† Exod. 24. 1.

§ 3. Cur autem Verba sua Deus in literis redigi mandaret; præter causas sibi soli & summo jure reservatas, Certè Compluscula gravissimásque est in proclivi assignare. Quales sunt Vitæ humanæ Brevitas; Humani generis Multiplicatio longè latéque dissemina-ta; Incertitudo Traditionis fraudibus plurimis opportunæ; Humanæ Memoriæ imbecillitas; Improbitas hominum quorumcunque, præsertim verò Hæreticorum, quorum figmentis ac Corruptelis Numen Providum & Sapiens occurri voluit. Proinde non sunt audiendi, qui aiunt Naturam Evangelicæ Doctrinæ à Scripto & Literis abhorrere; & negant in Novo Testamento Evangelistas aut Apostolos Scribendi mandatum accepisse. E contrà quid est aliud divinus ille || *Impulsus*, quo Dei Homines permoti ad scribendum animos appulerunt, quàm Mandatum quoddam *internum*, quod *externo* æquivalebat? Instinctus Dei occultus, & ejusdem Imperium manifestius,

Cur in literas redactum.

|| Ezek. 11. 5. *irruit in me Spiritus Domini & dixit, loquere*, Act. 9. 3, 4, 5.

ſtius, ejuſdem ſunt prorſus Autoritatis, & eodem redeunt: præterquam quod Apoſtoli diſ-
* Matth. 28. 19. ſertis verbis jubentur, * *Omnes Gentes docere.* Nec tantùm omnes *iſtius* Temporis, ſed omnis Temporis *ſecuturi*: quod patet ex additâ Promiſſione, 20. *Ecce vobis adſum diebus omnibus, uſque ad Seculi Conſummationem.* Quod vivâ voce & abſque Scripto qui fieri potuit, poteritve? Ad hæc quod *Scriptura*, niſi ex Divino juſſu Originem ſuam traxiſſet, fuiſſet Teſtimonium vix aut nè vix quidem Divinum. Teſtis enim in Judicio non requiſitus audiri non debet. At vere Apoſtolis id officii incumbebat, ut Teſtimonium de Chriſto ejúſque Rebus perhiberent, *Joh.* 15. 27. *Act.* 1. 8. *Act.* 10. 41. Denique Non Nemini imperatum eſt αὐτοπτοῖς, ut quæ † vidiſſent audiviſſentque *in Libro ſcriberent*, *Apoc.* 1. 11. & 19. *Cap.* 2. 1, 12, 18. *Cap.* 3. 1, 7, & 14. *Cap.* 19, 9. Nec non iiſdem planè miraculis, quibus eorum *Prædicatio* comprobata eſt deſuper, comprobata eſt etiam Eorum *Scriptio*.

† *confer.* § 2.

Autoritas Quanta.

§ 4 Eouſque ſanè conveniunt Scriptura Dei, & Eccleſia, ut utraque ſit *Columna & ſtabilimentum Veritatis.* 1 Tim. 3. 15. Ità tamen inter ſe differunt, ut ἀξιόπιστος ſit Eccleſia, Sacra Scriptura verò αὐτόπιστος. Eccleſiæ credendum propter Scripturam, Scripturæ verò propter Se. Adeò non unicè & in totum Autoritas Scripturæ dependet ab Eccleſia, ut Hæc de Illa non teſtetur niſi διακονικῶς, ſive miniſterialiter, Illa verò de Hac δικαστικῶς, ſive Prætorio. Ante Converſionem noſtram, Scripturæ credimus propter *Eccleſiæ* Teſtimonium, Converſi verò propter *Suum de ſe exhibitum.* Ex Eccleſiæ teſtimo-

testimonio Scripturæ Autoritas *innotescit*, non ex Eo tamen *dependet*, neque nobis innotescit *ex Eo Solo*. Nam de Scripturæ *Autoritate* longe aliter atque aliter convinci possumus. Exempli gratiâ, ex interno Spiritûs Sancti testimonio, Cujus Illustre exemplum *exhibet Concilium* * *Nicænum œcumenicum* in Conversione Cujusdam Viri in arte Dialecticâ insignissimi, sine Verborum lenociniis, Argutiísve Argumentorum. Ex variis fructibus & effectis quos in Scriptura evolvenda sæpe percipimus & experimur. Ex ejusdem Antiquitate quâ omnibus Scriptis antecellit, prout à *Martyre Justino* (Aliísque) liquidissimè demonstratur. Ex Majestate rerum, de quibus agit. Ex futurorum Prædictionibus. Ex Miraculorum Divinitate. Ex furore Diabolico adversus eam semper in irrita exerto. Ex ipsa Sacræ Scripturæ in persuadendo † efficacia. Ex ipso Styli & Sermonis Idiotismo, quem in Scriptura Deus adhibet, summam ubique simplicitatem cum majestate summa conjungens. Ex Mysteriis abstrusissimis supra captum & acumen humanæ mentis collocatis, ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ κατάληψιν κτίσεως φύσεως. Ex admiranda Totius Biblii Consensione & Harmonia. Ex Patribus Primævis hac de re consentientibus. Ex Martyrum obsignatione. Ex blasphemantium suppliciis sæpe cœlitùs immissis. Aliísque id genus Argumentis ab Extrà, quorum maximè venerandum est *ipsa Ecclesia Testificatio*. Propterea hoc ratum fixúmque sit, Scripturam esse αὐταλήθειαν; primum omnium æquè ac ultimum Fidei nostræ Fundamentum, Totius Christianismi Culmen & Columen immotissimum. Qui Ecclesiam Scrip-

* *Tom.* 1. *Edit.* Paris, *p.* 348. Niceph. Hist. Eccl. *l.* 8. *c.* 15.

† Jer. 23. 29. Matth. 7. 28. Luc. 24. 32. Joh. 6. 63. Act. 2. 37. 1 Cor. 2. 1.

Scripturæ præferunt, in lubrico ponunt Christianismum; in quantum aliter atque aliter de Canone S. S. Ecclesia statuit.

Scripturæ Partes.

§ 5. Quum Sacra Scriptura ex iis sit quæ Corpus unum constituunt κατὰ συναθροισμὸν, per partes simul Aggregatas, sequitur ut de Partibus, earúmque serie atque Compage & Partitione agendum sit. Variis autem modis Libri Biblici dividuntur. Primò & generatim *in Libros Veteris & Novi Testamenti.* Vetus dicitur Testamentum, non quòd nihil de *Substantia* & *Gratia* Novi Testamenti in Christum Credentibus promissa in se includit, sed quòd prædicit & præfigurat ut Res *Complendas*, quas in N. T. * *Completas* legimus. Quo respectu † *Augustinus* Vetus & Novum (non Testamentum sed) *Instrumentum* potiùs vocari voluit: siquidem non *Temporis*, sed *Substantiæ* etiam respectu Vetus & Novum distinguuntur. Huic Divisioni affinis est Altera, in Libros * *Propheticos* & *Apostolicos.* Libri V. T. in *Mosen*, *Prophetas* & *Psalmos*, ab ipso † Christo subdividuntur. Quorum Moses *Radici*, Prophetæ *Arbori* cum suis *Fructibus*, Psalmi *Floribus* comparant Rabbini quidam, sed perperam, in *Legem*, *Prophetas* & *Hagiographa* Vetus distinguunt Testamentum; acsi omnia Scripta θεόπνευστα non ex æquo essent ἀγιόγραφα. Ex Scriptoribus Christianis Veteres aliqui Idem dividunt in libros Legales, Propheticos, Historicos, *Paraneticos.* (libros sc. *Salomonis* per hos Novissimos intelligentes.) Moderni verò paulò aliter, in Legales, Propheticos, Historicos, *Doctrinales.* Sub quo Titulo includunt Librum *Jobi*, *Psalterium*, *Pro-*

* Rom. 3. 21. & cap. 16. 26.
† L. 3. ad Bonif. c. 4.
* Eph. 2. 20.
† Luc. 24. 44.

Proverbia, Eccleſiaſten & *Canticum* denique *Canticorum.* Porrò Prophetici ſubdividuntur reſpectu Temporum, quibus ſcripſerunt. Alii enim prophetarunt *ante* Captivitatem Babylonicam; *Eſaïas* ſc. *Jeremias, Hoſeas, Joël, Amos, Obadiah, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuc, Zephanias.* In *ipſa* Captivitate Alii; ut *Ezekiel* & *Daniel.* Alii *poſt* Captivitatem; *Haggeus* ſc. *Zacharias* & *Malachias.*

Libri Novi Teſtamenti in *Hiſtoriales, Doctrinales* & Propheticos diſtinguuntur. Primæ Claſſis ſunt *Evangelia* & *Acta Apoſtolorum.* Secundæ Claſſis ſunt Epiſtolæ Sancti *Pauli, Jacobi, Petri, Johannis, Judæ* & Authoris ad *Hebræos*, ſive Paulus, ſive Lucas, ſive Alius Is fuerit. Tertiæ Claſſis unica eſt *Apocalypſis.*

§ 6. Diviſio autem Biblicorum in libros *Canonicos* & *Apocryphos* eſt maximè omnium *utiliſſima*; ſi non ſimpliciter *Neceſſaria*, ad conſervandum *Verbum Dei* ab Hominum Figmentis Aſſumentiſque * inviolatum. *Canon* eſt *Regula* ſive *Norma*, ad quam Verbum Dei Certum, genuinum, apud omnes Indubitatum, & Falſariorum Additamenta, ut ad obruſſim ſive Amuſſim ſunt exigenda *Infallibilem.* Canonici ad V. T. pertinentes ſunt *Moſis Pentateuchus, Joſua, Judicum* & *Ruthæ* Singuli. *Samuelis, Regum, Chronicorum* Bini. *Eſdræ, Nehemiæ, Heſtera, Jobi, Pſalmorum, Proverbiorum, Eccleſiaſtis, Canticorum, Quatuor Majorum Prophetarum, Duodecim Minorum*, Singuli. Ad Novum vero Teſtamentum Libri Canonici pertinentes, ſunt *Quatuor Evangelia, Acta Apoſtolorum*, Epiſtolæ S. *Pauli* ad *Romanos*

Canonica & Apocrypha.

* Eph. 2 ac.

Romanos unica, ad *Corinthios* duæ, ad *Galatas*, *Ephesios*, *Philippenses* & *Colossenses* Singulæ: ad *Thessalonicenses* & *Timotheum* Binæ: ad *Titum*, *Philemonem* & *Hebræos* Singulæ. Insuper *Petri* Epistolæ Duæ, *Johannis* Tres, *Jacobi* & *Judæ* Singulæ; & *Apocalypsis*.

Apocryphi verò Libri (παρὰ τὰ ἀναγινωσκόμενα,) id est *Abscondici*, sunt *Tobiæ*, *Judith*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *Esdræ* 3. & 4. *Baruci*, *Oratio Manassis*, *Epistola Jeremiæ*, *Additamenta ad Danielem* & *Hesteram*, *Maccabæorum* 1. 2. 3. Inter hos ita distinguunt Veteres, ut alios *occultæ originis* esse statuant, de quibus etsi non constat Canonicos esse, sive Divinos, in Ecclesia tamen legi cum fructu queant. Alios adeò fabulosos, ut in Ecclesia non sint legendi. Priores Libri sunt Absconditi, Posteriores (ut ita dicam) Abscondendi. Nec Hi nec Illi sunt in Canonem admittendi; Quod variis constat quæ jam sequuntur Argumentis.

1. Necessarium est Libri verè Canonici Requisitum, ut Sermo ipsius sit Propheticus, utque Afflatu sive Instinctu Spiritûs Sancti exprimatur. (*Luc.* 16. 29. & 24. 27. *Act.* 3. 23. *Rom.* 16. 26. *Eph.* 2. 10. & 2 *Pet.* 1. 19, 21.) Libri autem *Apocryphorum* Nomine qui veniunt, post Ætatem *Malachiæ*, qui in V. T. Prophetarum erat ultimus, conscripti sunt: unde est quod *Malachias* Scripturam Propheticam quasi obsignat, eique fibulam imponit, & Colophonem, Vaticinatus de Baptista Evangelium Christi auspicaturo. (*Mal.* 3. 1. & *cap.* 4. *v.* 5, & 6.) Convenit inter Authores, (*Josephum*, *Eusebium*, *Hieronymum*, *Augustinum*, Aliósque non paucos,) Nullum post tempora

pora *Malachiæ* & *Artaxerxis Longimani*, ad Canonem Librorum Biblicorum pertinere.

2. Libri isti de quibus loquimur non in lingua Prophetica, quæ maximam partem est *Hebræa*, & nonnullibi *Chaldaica*, sed in *Græco* duntaxat & Latino Idiomate conscripti sunt & inveniuntur.

3. In Novo Testamento citantur nusquam. Neque de Christo quicquam prædicunt Libri de quibus controvertitur, quemadmodum fieri oportebat. (*Luc.* 24. 44. *Joh.* 5. 39. *Act.* 3. 23. *Act.* 10. 43. & 1 *Pet.* 1. 11.)

4. Libri isti Controversi Testimonio Ecclesiæ *Israelitica* destituuntur, Cui quidem Ecclesiæ *Oracula Dei concredebantur*. (*Rom.* 3. 2.) Quod patet insuper ex Historia in V. T. passim nobis exhibita. *Deut.* 31. 24. *Jos.* 24. 26, 27. & 1 *Sam.* 10. 25. & 2 *Reg.* 22. 8. *Esa.* 30. 8.

5. Destituuntur etiam testimonio Primævæ Ecclesiæ Christianæ: & exinde probatur Canonicos esse non posse. (1 *Tim.* 3. 15.) Atque ex Canone 59 *Concilii Laodicæni*, Cujus Ecclesiæ Testimonii potior ratio habenda est, in quantum de ea disertissima fit mentio, *Colos.* 4. 16. *Apoc.* 3. 14. Et ut in pauca rem conferam, in *Sexta Synodo Constantinopolitana* quæ in *Trullo* celebrabatur, cui omnes plerique Patres Orientales interfuerunt, confirmatum est prædictum Concilium *Laodicenum*, ex eo quòd eidem Sententiæ favit.

§ 7. *Finis ultimus* Sacrosanctæ Scripturæ est, *Dei* Optimi Maximi in Cordibus nostris *Glorificatio*. Finis verò intermedius est *nostra* omnium *Beatitudo*, & quicquid ad eam est conducibile, aut Hominis pii perfectivum. Septem *Scripturæ Fines & Fructus.*

tem ſunt autem in univerſum quæ ad Hos Fines aſſequendos conducunt maximè. * *Doctrina*, *Redargutio*, *Correctio*, *Inſtitutio*, *Conſolatio*, quæ ad *Spem* ducit & *Patientiam*. *Doctrina* facit ad Veritatem adipiſcendam. Ad Errores detegendos & refellendos *Redargutio*. *Correctio* unicè inſervit malis moribus removendis. *Inſtitutio* conducit maximè ad bonos mores promovendos. *Conſolatio* Spem generat. *Spes* Patientiam, *Patientia* Perſeverantiam, quæ in æternam Beatitudinem eſt mox deinde deſitura. Hæ ſunt Virtutes cujuſlibet hominis perfectivæ: & ad has omnes *Verbum Dei* egregiè confert, ſufficitque.

* Rom. 15. 4. 2 Tim. 3. 16. 17.

Quales ſunt Fines Sacroſanctæ Scripturæ, tam ultimatus, quàm ultimus, Tales ſunt ejuſdem Fructus ex ea Radice pullulantes; Qui (ut ſummatim eos recenſeam) ſunt Aliqualis Dei Cognitio. Agnitio Dei Salutaris. Ignorantium Eruditio. Occæcatorum Illuminatio. Peccantium fortiter Converſio. Accenſæ Fidei Confirmatio. Regeneratio ſpiritualis. Alimentum Animæ Jejunium & Invocatio. Afflictorum Conſolatio. Gubernatio Peregrinantium: & Perſeverantium Glorificatio. Huc Elogia atque Periphraſes, quibus Scriptores Eccleſiaſtici Scripturam cohoneſtarunt, non abs re referre poſſumus. Eſt videlicet Mentis Speculum. Theſaurus Sapientiæ. Lucerna pedibus. Animorum Medela. Fons uberrimus cujus hauſtu ſitim animæ ſedamus. Rubus ardens nec tamen urens quem vidit Moſes. Jacobi Scala. Cellarium Joſephi in Ægypto. Manna cœlitùs delapſum. Turris Davidis munitiſſima. Probatica illa Piſcina, quæ ab Angelo commota quibuſlibet ægro-

Matt. 11. 26. Joh. 1. 18. Eſa. 2. 3. Act. 20. 20, 21. Rom. 10. 14. 2 Cor. 4. 6. 1 Cor. 4. 15. Mar. 9. 29. Matt. 4. 4. Pſal. 23. 2. Pſal. 32. 8. Joh. 6. 68. Rom. 1. 16.

ægrotantibus salutem confert. Denique Gladius Ille Spiritûs, quo de hostibus spiritualibus Victoriam indies reportamus, Triumphum agimus.

§ 8. Quum docemus in Scriptura haberi Omnia tam ad Fidem, quam ad mores, & Vitam æternam Necessaria; volumus omnia contineri in Verbo Dei scitu factúque necessarja, vel διαῤῥήδην & expressè, vel æquivalenter & implicitè, ità ut per Consequentias, eásque legitimas, & immotas, ex Conscripto Dei Verbo deduci queant. Neque litem ullam movemus de Ceremoniis & ritibus ab Ecclesia unaquaque introductis liberè & observatis, de quibus in *Genere* (non in specie) præceptum est, omnia fieri oportere * εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, & πρὸς οἰκοδομὴν, & sine Ecclesiæ † Offendiculo. Sed Scripturæ Perfectionem à Doctrinis ad salutem sufficientibus æstimandam, & antecedenter necessariis, ex variis fontibus argumentandi confirmare quispiam potest. Exempli gratiâ, ex * Authentico ipsius de se Scripturæ Testimonio. *Psal.* 19. 7. 2 *Tim.* 3. 15. Ex causa finali, quam Ipse Deus in promulgandis Scripturis sibi proposuit. Ex Inductione eorum omnium, quæ ad fidem, & mores, ad vitam æternam Necessarios quoquo modo conducunt. Ex Perfectione causæ Perfectæ perfectum effectum producentis. Ex eo quòd Sacra pagina *omne consilium Dei* de salute nostra *nobis annunciat*, *Act.* 20. 27. Omnes Christianæ Religionis Partes explicat, 2 *Tim.* 3. 16. *Fides* & *opera* totum absolvunt Christianismum, quæ passim atque identidem

SS Perfectio.

* 1 Cor. 14. 40. & v. 26.
† 1 Cor. 10. 32.
* Joh. 5. 39. Joh. 20. 31. 1 Joh. 1. 4.

in Sacro codice docentur. Ex eo quòd Eidem *nec addi* quicquam *nec auferri* de jure possit. (*Deut.* 4. 2. *Pro.* 30. 5. *Apoc.* 22. 18. 19.) Ex suffragiis Patrum nostræ sententiæ ἐμψύχων. Ex confessione Scholasticorum, *Lombardi*, *Thomæ*, *Scoti*, *Tostati*, aliorúmque complurium, quantumvìs Ecclesiæ Traditionibus ἀγράφοις faventium.

Perspicuitas. § 9. Quandocunque Scripturarum asserimus Perspicuitatem, non negamus multa esse in Sacris Literis δυσνόητα, Res intellectu valde difficiles; nec excludimus adminicula ad Res obscuriùs prolatas explicandas necessaria; nedum dicimus alia aliis nusquam esse clariora; aut alia ex aliis non debere explicari; aut quibuslibet *ex æquo* Scripturæ Textus esse perspicuos; aut Spiritûs Sancti illuminantis nullam relinqui necessitatem; Sed illud unum Contendimus, Omnia ea quæ ad Salutem sunt absolutè Necessaria in Verbo Dei conscripto perspicuè tradi. Quæ non perspicuè satis traduntur, eorum Notitiam ad salutem non esse admodum necessariam.

Hujus sententiæ Veritati oracula Dei suffragantur. *Mandatum non est occultum*, Deut. 30. 11. *Mandatum est Lucerna, & Lex Lux*, Prov. 6. 23. *Lucerna lucens in loco caliginoso*, 2 Pet. 1. 19 *Lucerna pedibus meis Verbum, & lumen semitis.* Ps. 119. 105. ubi *Psaltes* de Verbo Dei in Scripturis contento, non in particulari, sed generatim locutus intelligitur. Porrò *quæ ante Scripta sunt, ad nostram doctrinam sunt scripta. Rom.* 15. 4. Omnes etiam & singuli (non exceptis ineptissimis) *jubentur vitam æternam in Scripturis quærere & scrutari*,

ſcrutari, *Joh.* 5. 39. Denique nihil ad ſalutem requiri poteſt abſolutè quod in Symbolo Apoſtolico, in Decalogo, in Dominica Oratione, in Sacramentorum Doctrina non includitur, quæ hinc inde in Sacris Literis dilucidiſſimè habentur, & explicantur.

Comparatione rectè factâ, conſtat Vetus Teſtamentum libro *Signato* eſſe ſimilius, * *Aperto* Novum: Vetus *Lunæ* eſſe adinſtar, ſed Novum *Solis*; quandoquidem ex Novo Vetus *Lucem* mutuatur, aut *Lumen* ſaltem. Quanquam etiam ex accidenti, Ipſum *Chriſti Evangelium*, quantumcunque in ſe *Apertum*, in his *qui pereunt Opertum* ſit, quippe quorum internos Oculos Seculi Princeps † *excæcavit*. Quòd ergo omnes neque per *Chriſtum*, neque per *Verbum* illuminantur, nec ipſe Chriſtus, nec Evangelium, ſed Ipſa hominis Contumacia, qui per Diabolum occæcatur, in Cauſa eſt.

* Apoc. 5. 5.

† 2 Cor. 4. 3.

Joh. 1. 5. Joh. 3. 19.

§ 10. Juxta hanc Regulam tam perfectam, támque perſpicuam, [*Scripturam Sacram*] de Fide & moribus in Eccleſia ſunt omnes homines edocendi; Spiritus omnes examinandi; Dogmata omnia dijudicanda; Litibus omnibus & Controverſiis Fines & Limites imponendi. Inde eſt quòd Sanctus *Paulus* Scripturæ * *Canonem* appellavit. In V. T. Eſaias *ad Legem & Teſtimonium*, id eſt ad Verbi divini *Normam* remittit unicè Dubitantes. † *Chriſtus* ipſe, & *Apoſtoli*, non ad *miracula* ſua tantùm, ſed ad *Scripturas* provocabant, in congreſſibus quos cum *Satana* ejúſque Mancipiis habuerunt. *Act.* 3. 20. *Act.* 7. 2. 3, &c. *Act.* 13. 33. *Act.* 18. 28. *Act.* 26. 22. & alibi paſſim.

Judex & Regula.

* Gal. 6. 16. Eſa. 8. 19, 20.

† Matth. 4. 4. Matth. 19. 4. Mat. 22. 29.

Doctrinarum & Morum.

Regula Dogmatum & Vitæ oportet ut omnibus sit communis; summâ semper Autoritate, immota & infallibilis; sibi constans perpetuò; Rei Regulatæ ex omni parte adæquata. cujusmodi τεκμήρια & Characteres Sacrosanctæ Scripturæ soli competunt. 2 *Tim.* 3. 15. *Mat.* 5. 18. *Joh.* 10. 35. *Joh.* 14. 6. &c. Sequitur ergo ut Ipse Deus in Verbo suo Patefactus, Primus sit & Principalis Interpres Sui, Rerúmque de quibus controvertitur Judex unicè Infallibilis. Cujus rei ratio redditur. 2 *Pet.* 1. 21. *Joh.* 5. 22. *Act.* 17. 31. Absit verò Ecclesiam Dei Partibus suis & Privilegiis fraudare ausim; utut enim *Christus Ipse* sit primo loco * *Audiendus*, Tamen *Sponsa Christi* Ecclesia, immediatè post Christum, Judex est omnium Nobilissima. Dignissima cui morem geramus Omnes, & cui fidem inconcussam (utpote *firmamento ac Columna Veritatis*) jure merito adhibeamus. Ipse Christus est *Pastor* summus, summúsque *Curator Animarum*, (Ἐπίσκοπος τῶν ψυχῶν ἡμῶν, 1 *Pet.* 2. 25.) Sed Ecclesia verè Catholica, quæ ipsi *Christo* tanquam *Lapidi Angulari* innititur, Custos est & Conservatrix Cœlestis Depositi Augustissima. Absit ut Matrem Veritatis esse dicamus, vel ut *Nutricem* esse negemus, aut ullo modo diffiteamur.

* Deut. 18. 18 Mat. 17. 5.

Var. 18. 17. 1 Tim. 3. 16.

Quicquid *Sermo Dei* significat. *Heb.* 4. 12. (cùm dicitur *efficax*, *penetrantior quovis gladio ancipiti*, κριτικὸς ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας,) sive Verbum æternum & Essentiale, sive verbum Dei Externum & προφορικὸν, sive utrumque simul conjunctum, (Neutra enim Expositio excludit alteram, neutra alteri est *opposita*, sed duntaxat *subordinata*, & utraque magni nominis

minis Patronos habet,) constat *Christum in Scriptura*, sive (quod eodem redit) *Scripturam Sobrendam quæ Christi est*, Canonem esse sive Amussim, ad quam *Judex Ille inferior* atque *ministerialis* quæ Ecclesiæ nomine censetur, debet exigere Res Fidei quotiescunque ventilantur, & inter Partes dissidentes quomodocunque controvertuntur.

Interpretatio.

§ 11. Propter Eos qui in Ecclesia sunt aut prorsus *Illiterati* & * *Idiota*, aut ad maximum *Alphabetarii*, quibus *legentibus* Scripturam vel eam lectam *audientibus* occurrunt multa primâ fronte quæ non sunt admodum † exporrecta & obvia, sed opus habent Expositore; Ideo *Scripturæ Interpretatio* est aliquantisper expendenda. Et Hæc Ministris Ecclesiasticis videtur Concredita ὑφηγησις. *Mal.* 2. 7. & 1 *Tim.* 3, 2 & *Tit.* 1. 9.

* Act. 4. 3.

† Act. 8. 31.

Unde Petenda, & quibus Regulis.

Ut Interpretatio sit legitima, Regulæ quædam generales universis simul & singulis sunt fideliter pensiculandæ. Prima est & præcipua, ut ex ipsâ Dei Scriptura mentem Scripturæ Exploremus. Disertè constat Hæc Regula, 2 *Pet.* 1. 20, 21. Ad quemcunque enim spectat Ipsius Juris Constitutio, ad ipsum spectat Interpretatio absolutissimè Authentica, atque αὐθεντικωτατη: Nempe ad Ipsum *Spiritum Sanctum* nos in Scripturis alloquentem.

Secunda est Regula, sive Canon, ut Interpretatio semper fiat secundum Fidei Analogiam. *Rom.* 12. 6. Sicubi Sensum Sp. sancti *pro certo* assequi non detur, eò utique diligentiùs cavendum est, nè contra *Symbolum Apostolicum* (quod *Regula Fidei* a Sanctis Patribus vocitatur in sensu Textûs eruendo quicquam temerè effutiamus.

Tertia est Regula, ut obscuriora ex clarioribus interpretemur, & ex pluribus pauciora.

Quarta, ut vocum significatio, phrasiúmque Idiotismi, ex ipsis Linguis Originalibus semper pro Viribus dijudicentur.

Quinta, ut Scopo, & Circumstantiis, cohærentiæ, & Ordini cujusque Textûs atque Contextûs, optimè quadret ac consentiat quæcunque habetur Interpretatio.

Sexta, ut Veteres atque Modernos (quales *Jacksonum* atque *Hammondum*, cæterósque non paucos optimæ Notæ Expositores,) inter se invicem cohærentes, ad opem nostram & adminiculum gratis animis advocemus. 1 *Thes.* 5. 20. & 1 *Cor.* 12. 11.

Denique Deus & Pater Luminum est indies precibus fatigandus, ut Intellectûs nostri caliginem radiis suis dispellat; ut Spiritu suo
Joh. 17. 17. Veritatis in Veritatem omnem inducat: ut Voluntatis nostræ & Vitæ Rectitudinem nobis infundat: ut *Sapientiam* nobis conferre velit suppliciter eam postulantibus. (*Luc.* 11. 3. & 1 *Cor.* 12. 29. *Jac.* 1. 5.) ut S. Scripturæ majestatem Cœlestem esse agnoscamus; ut ejusdem Autoritatem adversus quoslibet Ἀντιλεγόντας totis Viriculis propugnemus; ut *Aurum* semper & *Argentum*, nunquam fœnum & stipulam, super isthoc Fundamento tam sacrosancto ædificemus; ut Eandem tam nocturnâ quàm diurnâ manu versemus. Gnari scilicet esse *Epistolam Dei optimi maximi*, manu cœlitùs exertâ, ad Nos delatam, quâ de consilio ejus instruimur, & viam ad Cœlos edocemur. Gnari, quod Naufrago est Tabula, quod Militi Gladius, quod Malleus Argentario, quod Architecto Mensura, quod Cynosura Navi-

Naviganti, quod Ægro Medica Officina, Id ipsum esse Fidelibus *Scripturam Sacram.*

CAP. III.

De DEO.

§ 1. POst Verbum Dei perinde ἄγραφον atque ἔγγραφον explicatum, Exinde statim ad ipsum Deum rectà ducimur explicandum. Illud Principium *Cognoscendi*, Hoc *Essendi* principium audit.

Deus autem sive Θεὸς (nam inde videtur derivari) secundum *Quòd* sit, & *Quid* sit, ἐπὶ τὸ πολὺ consideratur. Secundum nudam *Entitatem*, quam *Existentiam* plerique vocant; & secundum *Essentiam*, quam & *Naturam* vulgò dicimus. Respectu utriusque, Deus omnium & *Notissimus*, & *Ignotissimus* simul existit. Prior quoad Existentiam, Posterior quoad Naturam. Prior ex se, Posterior quoad Nos. Prior quoad Nos homines ex Verbo Dei edoctos, in quibus à Spiritu illuminante Lumen Illud reaccenditur, Quod μυριότεχνος Ille Diabolus mirum in modum obfuscaverat; Posterior quoad nos homines in puris relictos Naturalibus, (vel *Impuris* potiùs,) & lumine Illo destitutos. Prior respectu * *Demonstrabilium*, ad quæ Ratio Naturalis pertingere posse existimatur, ut Deum *esse* & esse *Vnum*, *Verum*, *Bonum*, *Justum*, *Scelerúmque Vindicem* futurum; Posterior respectu

Deus Omnium Notissimus, & Ignotissimus.

* Th. Aq. *contra Gentil. l.* 1. c. 3.

ſpectu *myſteriorum*, quæ communem facultatem humanæ mentis excedunt, & abſque *Revelatione* eáque extraordinaria non ſunt omninò *Cognoſcibilia*; utpote Deum *Trinum* eſſe, unum in Eſſentia, Trinum in Hypoſtaſi, Chriſtum eſſe Θεάνθρωπον, *Patrem* ab æterno *Filium* Deum genuiſſe, ab utroque procedere *Spiritum Sanctum*; Quorum utut *Cognitio* aliqua ſecundum *Quòd* ſint, ex Verbo Dei nobis conceditur, (cujuſmodi cognitio *fides* eſt potiùs appellanda,) Eorum tamen *Comprehenſio* competit nobis omninò *nulla*. Denique Deus eſt *Notiſſimus* quoad opera *Creationis*, ad quam pertinet *Conſervatio*, & *Gubernatio* Creaturarum, quæ ex *Naturæ* etiam *lumine* ipſis Gentilibus innotuerunt; Sed quoad opus *Redemptionis*, ad quam pertinent ſimiliter *Opera Dei in Eccleſia* (qualia ſunt Vocatio, Regeneratio, Juſtificatio, & His Similia,) Deus eſt omnium *Ignotiſſimus* lumine *Gratiæ* deſtitutis. Et inde Gentilium Παγανισμὸς (*Rom.* 1. 19. 21.) ἀγνωσία Dei dicitur, *Sap.* 13. 1. *Act.* 17. 23. & 1 *Theſſ.* 4. 5. Et Ipſi ἄθεοι, *abſque Deo*, id eſt à Deo alieni dicuntur vivere. *Eph.* 2. 12. Quia Cognitio Naturalis languida erat, & imperfecta ad ſalutem planè inefficax, & *reſpectu Revelatæ* omninò *nulla*.

Quoad Exiſtentiam.

§ 2. *Quòd* ſit Deus neceſſariò, ità alibi, & à multis, multiſque evincitur Argumentis, Ità *ſemper*, & *ubique*, & *apud omnes* eſt in confeſſo, qui non penitùs obbruteſcunt, & mentis aciem obtundunt, & ipſam Hominis naturam à ſe excutiunt diſcurſivam, quales olim erant *Diagoræ*, *Theodorus Cyrenæus*, *Anaxagoræ*, *Protagoræ*, & horum ſimiles,) ut extra

tra aleam Controversiæ ponendum censeam. Neque enim Ipse *Moses*, doctrinam de Deo traditurus, quicquam de ejus *Existentia* præmittendum existimavit in Populo Dei; sed dato ab omnibus, & concesso, *Necessario Deum esse*, dixit *Deum in principio Cœlum & Terram creavisse*. Et in *Essentia* Dei tradenda præsupponitur *Existentia*; in probanda verò Illa, Hæc probatur à fortiori. Quid, quod *Aquinas* dicendum duxit, non esse Fidei Articulum, *Quòd sit Deus*, sed ad Articulos *Præambulonem?* Non oblitus dubio procul Dicti Istius ad *Hebræos*, (*Heb.* 11. 6.) sed illud unum sibi volens, Deum usque adeò naturaliter esse notum, ut Probatione nullâ indigeat, sed omni facilè sit major. Amandans igitur Lectores si quos habeam ἀθοίζοντας (quibuscum ex instituto nulla mihi Res est,) tam ad opera Dei externa quæ *librum Naturæ Externum* vocant, quàm ad Principia secum nata quæ *librum* vocant *Internum*, unde in Corde uniuscujusque *Practicus eritur Syllogismus*, (qui apud optimum *Melancthonem* ipsam definit *Conscientiam*) accingo me protinus ad Dei *Essentiam* considerandam.

P. 1. q. 2. art. 2. Resp. ad 1.

§ 3. *Quid sit Deus* expendenti occurrit occasio dubitandi, an liceat Eum definire qui definiri non potest, & Cujus *Infiniti* Gloriæ omnis derogat *Definitio*. Definiri non potest, cùm propter *Generis defectum*, tum suam ipsius *Excellentiam*. Illi non competit Definitio *Essentialis*, quæ est ex Genere & Differentia, quum sit οὐσία ὑπερούσιος, *Essentia superessentialis*. Nedum ei competit *Causalis* Definitio, quum sit ἄναρχος & ἀναίτιος, Principium

Quoad Essentiam.

cipium omnium absque Principio, & Causa Causarum absque Causæ Consortio. Qui Dei Nomen neque posse neque debere proferri autumant, ἄρρητον volunt, aut ἀνωνόμαστον appellari. Et Celebrius est *Simonidis* ad *Hieronem* regem Alloquium, quàm ut huc asserri debeat. Ut Deus omnino definitur, *Evagrius* dicitur intendisse. *Hæc est Deus* (inquit *Hilarius*) *cùm dicitur, non potest dici; cùm æstimatur, non potest æstimari; cùm definitur, Ipse suâ Definitione crescit.* Ubertim probat *S. Basilius*, Deum nec mente comprehendi posse, nec Definitione explicari.

Socrat. l. 3. c. 5.

Sed aliqualiter ex Scripturis *describi* potest, qui ex nullo Dialectico nullatenus potest *definiri*. Potest inquam *describi* secundum quod est *Cognoscibilis*, (*& non potest non cognosci*,) licet secundum * τὸ ἀπερίγραπτον, nihilo magis *definiri* potest Deus quàm *comprehendi*. Cautè igitur distinguendum est inter τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, & τὸ πᾶν; inter Notitiam *Apprehensivam*, & *Comprehensivam* Cognitionem; inter duplicem Definitionem, quarum una est *inadæquata*, *inæquabilis* verò altera; inter ea quæ in Scripturis de se Deus patefecit, (*Joh.* 5. 39) & ea quæ dicuntur *Imperscrutabilia*, Rom. 11. 33.

* Deut 29. 29 Col. 2. 3.

His præmissis Distinctionibus, accedamus jam ad Deum bono cum Deo definiendum. Non tamen solis humanæ mentis Ratiocinilis, quibus adjutus *Trismegistus* Deum dixit esse Circulum, seu *Sphæram Intellectualem, cujus Centrum est ubique, nusquam verò Circumferentia*: Aristoteles τῶν ὅλων ἄριστον ἀρχὴν: Seneca *mentem Universi*: Pythagoras *Excessum Maximorum*

imorum Numerorum supra proximum, &c. Sed Spiritûs Sancti auxilio freti, discamus Deum ex Dei Verbo qualitercunque definire, ubi *nunquam frustrà quæritur* (inquit *Bernardus*) *nè quidem tunc cùm inveniri non potest.*

Ex ipso ore Veritatis, (*Joh.* 4. 24.) constat *Deum esse Spiritum*; & inde sequitur esse substantiam, vel potiùs *Essentiam Incorpoream*; ideo prorsus *Invisibilem*, quia *Immaterialem*; & vel ideo supra Captûs humani apicem, quia *Tri-unum*, *Increatum*, *Simplicissimum*, ab omni parte *Infinitum*; unde statim conficitur ineluctabili consequentiâ, fuisse Deum *ab Æterno*, & *in Æternum* futurum esse; Totius Mundi tam Visibilis quàm Intelligibilis *Creatorem*, *Motorem Primum* prorsus ἀλλοῦσα, *Conservatorem summè Beneficum*, *Gubernatorem Sapientissimum*, *Immensæ planè Bonitatis*, *Omnipotentem*, *Omnipræsentem*, & Cui Omnia quaquaversum luce clariùs innotescunt.

§ 4. *Actûs* utcunque *Simplicissimi* Varia sunt Dei *Attributa*, Varia etiam *Nomina*, Variæ insuper *Subsistentiæ*, Quæ utcunque in Sacris Literis κατ' ἀνθρωποπάθειαν *discriminantur*, eousque tamen consistunt cum *summa* Numinis *simplicitate*, ut *distinguantur* magis quàm *differant*, aut saltem differant tantùm *modaliter*, (idque modo ineffabili,) ut Res à Se, (prout manus expansa ab eadem complicata,) non omninò *formaliter*, ut Res *in* Re, nedum utique *Realiter*, ut Res *à* Re. *Unitas Dei.*

Adversus Ethnicos intra Ecclesiam (si ità loqui fas sit,) nimirum *Valentinianos*, *Marcionitas*, *Manichæos* & *Tritheitas*. *Unitas* Dei in

in *Scripturis* & affirmativè, & negativè, & exclusivè asseritur. Quin & multis *Rationum* momentis claret. Divinam non modò ponit, sed præsupponit *Unitatem*, ejusdem *Simplicitas*, *Infinitas*, *summa Bonitas*, *Perfectio*, *Dominium* denique *Absolutum*. Ad quos Fontes Argumentorum sufficiat digitum intendisse.

Huic Numinis *Unitati* nihil detrahit, nihil derogat *Attributorum Multitudo*, quæ neque *in* Deo, neque *à* Deo, neque *inter se* mutuò, sed ob humanam Infirmitatem (id exigente naturâ nostrâ) nostris Conceptibus distinguuntur.

Attributa. § 5. Ex octo aut novem illis Conceptibus secundum quos distinguuntur Varia Dei *Attributa*, Ille præ cæteris mihi placet, secundum quem Bifariam hunc in modum considerantur. Vel ut *sunt Deo Propria*, (& quidem Propria *quarto modo*, ut loquuntur Dialectici,) Nullisque Creatis Communicabilia; Nempe *Simplicitas*, *Æternitas*, *Immensitas*, (quæ *Infinitatis* sunt quasi Species,) *Immutabilitas*, & similia, quæ omnem Captum humanum fugiunt; vel ut *quadantenùs* Creaturis, & gradu remisso *Communicata*: quale est *Vivere*, & *Valere*, *Velle* etiam, & *Intelligere*, atque id genus Alia Operibus Dei Competentia. Neque verò hæc *in se*, sed *respectu effectuum* dicuntur nobis Communicabilia. Unde est quòd *Dei Progenies* dicimur, *Act.* 17. 28. *Divinæ participes Naturæ*, & aliquo modo *Consortes*, 2 *Pet.* 1. 4.

Ex

Ex qua Attributorum divinorum Dichotomia, duplex emergit Corollarium, semper memoriâ retinendum.

Est in Deo quòd * *cognoscimus*; estque in Deo quòd † *ignoramus*. Utrumque verò & *hominem*, & *Deum* decet. Nam & Scientia qualiscunque Fidei præbet adminiculum; & quicquid *Scientiæ* nobis deest, ex Fide divina supplendum est.

* Rom. 1. 19.
† Deut. 29. 29 Rom. 11. 33. Col. 2. 3. 1 Cor. 2. 10, 11, 14.

Cognitio Dei quæ nobis competit est necessariò *Apprehensiva*; *Comprehensiva* verò Cognitio omninò Nulla est. Siquidem Nulla est inter *objectum Infinitum*, & *Actum* hominis aut *Organon* arctis limitibus circumscriptum.

Ignorantia eorum omnium quæ sunt in Deo *Inscrutabilia*, (& cui ab omnibus perquàm humiliter libenterque acquiescendum,) est Conditio sine-qua-non Assensûs *verè Religiosi*, qui *Fidei* nomine censetur; Quæ ex obsequio tam *Intellectûs*, quàm *Voluntatis* ortum habens, cœlitùs Dictis suffragatur; ob oculos ponit Invisibilia; futura anticipat antevertitque; & *Res in Spe* tantùm positas tanquam *Præsentes* repræsentat. Porrò * *Dignitas est Fidei, ut sit de rebus Invisibilibus, quæ rationem humanam excedunt.*

Heb. 11. 1.
* Aquin. p. 1. q. 32. art. 1.

§ 6. Nomina in Utroque Testamento Deo data, quousque Conceptus adjuvant nostros imbecilles, eousque conducunt ad Dei notitiam adipiscendam. *Nomina.*

In V. T. Primum Nomen & Præcipuum est Tetragrammaton Illud JEHOVA, Numeri tantùm Singularis, *Existentiæ* divinæ Symbolum, & ab *Essentia* Dei desumptum:

ut

ut EL & ELOHIM à *Potentia* planè despotica; SCHADDAI ab *Autarkeia*, quâ ipse sibi & creaturis in omnia sufficit; ELI vel ELION à summa ejus *Sublimitate* supra quam dici potest immensâ. Judæi plerique putant Tetragrammaton illud antedictum non debere pronunciari; unde pro eo legunt ADONAI, *Dominatorem*, aut *Dominum*. Quando verò præcedit aut sequitur *Adonai*, tunc legunt *Elohim*, nè bis *Adonai* cogantur dicere. Vocabulum ELOHIM utut sit Plurale, & rariùs *Eloah* occurrit, (* occurrit tamen) non est tamen ὑποστατικὸν, ac si Trini essent Elohim, sed simpliciter ἡνῶσθαι, *unam* trium Personarum *Essentiam* denotans. Ità tamen, ut (juxta quosdam) *Trinitatem* per Hebraismum consignificet. Semel etiam vox *Adonai* in plurali invenitur, *Mal.* 1. 6.

* Hab. 3. 3. Job 12. 4.

In N. T. Duo Dei duntaxat occurrunt Nomina, Θεὸς, & Κύριος. Θεὸς videtur derivatus, vel propter *Ubiquitatem* ἀπὸ τοῦ Θέειν, eo quòd per *omnia discurrit* Deus; vel propter *omniscientiam*, ἀπὸ τοῦ Θεᾶσθαι, quòd *omnia videt* & *contemplatur*; vel propter *Omnipotentiam*, ab Antiquo verbo Θέω, quod *pono* sonat, aut *facio*, & Deus est Ille qui *fecit* Cœlum & Terram. Habet Deus αὐτουσίαν, αὐτόθεος est, & ὑπερούσιος, *à quo, & in quo, & per quem sunt* * *omnia*. Alterum Nomen Ὁ Κύριος idem valet quod *Adonai*, & καθ' ὑπεροχὴν *Dominium* denotat *Absolutum*; ideóque malè legitur sine Articulo præpositivo.

* Rom. 11. 35.

Obiter hoc loco non abs re erit observare, quòd *Deus* & *Creaturæ* in Sacris Literis figuratè, Appellativa prorsus eadem accipiunt mutuò. Quandoquidem enim Creaturæ virtute

tute aliquâ Deum referunt, & eousque Dei sunt Similes. Inde est quòd dedecus Deo non ducitur, ab humillimis quibusdam Creaturis, *Agno* scilicet, & *Columbâ*, Titulos quosdam mutuare. Neque Deo probrosum est, quòd ipsum Nomen *Bonitatis*, quæ in Deo perfecta est, Analogicè saltem, & proportione aliquantillâ, operibus Dei communicatur. Unde *Sancti Dei Homines* dicuntur Spiritûs Amanuenses, *non* quòd peccatis omninò *nullis*, sed quòd *minimis* urgebantur. Neque vitio iis vertitur, quòd Nomen Dei nonnunquam * *Angelis*, nonnunquam † *hominibus* tribuerunt, propter Officii excellentiam; ut ipsi * *Diabolo*, atque † *Idolis*, propter cultum religiosum ab Idololatris iis exhibitum.

* Psal. 8. 6.
† Exod. 4. 16
* 2 Cor. 4. 4. Joh. 12. 31.
† 1 Cor. 8. 4, 5.

§. 7. Non inter piè credenda solùm, sed etiam creditu necessaria, Mysterium illud Inenarrabile, juxta ac Incomprehensibile, (& quo in sui Admirationem summum Numen nos rapit,) *de Trinitate Personarum in Deitatis Unitate*, locum habeat præcipuum necesse est. Plura tamen de Eo dicere, quàm aut * *Scriptura* nos docet, aut *Concilia* † *Oecumenica* Pacis causâ nos jubent, res est longè periculosior, quàm diuturnum de Eodem silentium agere. Ità nobis per *medium* eundum est Semitam, ut *Tritheitas* evitemus ab una parte, ab altera *Antitrinitarios*; Alióſque Hæreticos ferè innumeros, qui His aut Illis affines sunt.

Trinitas.

* Matth. 3. 16. 17. 5. & 28. 19. Joh. 14. 16. & 1 Joh. 5. 7.
† Nicæn Bin. To. 1. Alfons. Pis. *l.* 2. *&* Baron. *ad An.* 362.

Verum est Ecclesiam Veterem, necessitate summâ coactam, iis usam esse *Vocabulis* in hoc Mysterio explicando, quæ vafriciem Hæreticorum ex Latibulis suis protraherent: & quibus

bus, velut evaginato ab Ipsa gladio, Caput Hæreseos amputaret. *Sabellio* præsertim & *Ario* vocabulum ὁμοούσιος à *Concilio Nicæno* appositissimè est oppositum, quia ejusmodi erat vocabulum, ut ad sensum suum hæreticum non possent illud detorquere. Aliud est συνούσιον, ὁμοούσιον aliud; (ut rectè monet *Epiphanius*;) Illud significat *Unitatem* sine distinctione unius ab alio, Hoc è contrà cum hujusmodi Distinctione. Moderati autem est animi, cum Ecclesia Dei *loqui*, æquè ac *sentire*. Decet Liberos obsequentes & morigeros, Maternam Vocem non dedignari. A Novis interim vocabulis in Ecclesia nondum receptis in hoc mysterio explicando, maximopere cavendum est. Sunt nimirum καινοφωνίαι, quas *Paulus* prohibet κενοφωνίαι, 1 *Tim.* 6. 20. Optimè, quia pacificè, sequentia protulit *Calvinus*. *Utinam quidem sepulta essent* [*Inventa Nomina*,] *constaret modò hac inter omnes fides, Patrem & Filium & Spiritum esse unum Deum: nec tamen aut Filium esse Patrem, aut Spiritum Filium, sed proprietate quadam esse distinctos.* Neque verò tam præcisâ sum austeritate, ut ob nudas voculas digladiari sustineam.

Instit. *l.* 1. *cap.* 13. §§. *confer etiam* §§ 3 & 4.

Apagè immodestiam *Raimundi Lullii*, *Gregorii de Valentia*, aliorúmque ejusdem furfuris, qui solâ vi Intellectûs Naturali, Seclusâ Revelatione, Hoc Mysterium planè tremendum Demonstrari posse contendunt. Et eò usque audaciæ ipse processit * *Keckermannus*, ut in eodem demonstrando, aut demonstrare præ se ferendo, *Rationi* plus tribuerit, quàm *Scripturæ*. Quantò rectiùs, sanctiúsque Doctissimus *Calvinus*? *Equidem hic, si quando aliàs, in reconditis Scripturæ Mysteriis sobriè, multâque*

Non temerè & audaciter.

* Syst. Theol. *l.* 1. *c.* 3.

tâque moderatione philosophandum. Blasphemia est (inquit * *Chrysostomus*) *rationibus velle divina excutere.* Rectè *Prosper, Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda.* ὅδε τὸ πάντων κατάτολμον οὐδεῖς, *Athanasio Judice.* Triunus *soli sibi Tantus, quantus est, notus,* (inquit *Minutius.*) *Maximam hanc esse Scientiam, Cyrillus* putat, *Ignorantiam fateri. In tantum intelligenda ratio Cælestis, in quantum permittit se intelligi, Hilarius* ait. Quocirca summâ ope nitendum est & cavendum, nè Temeritas nostra prorumpat ad Inaccessa, quorum inquisitionem refrænare nos decet, & reverentiæ Pallio obvelare. Ità enim cum hominibus est comparatum à Natura, ut pars maxima eorum quæ verè novimus, minima pars sit eorum quæ in totum ignoramus. Sufficiat ergo nobis ad sobrietatem usque sapere. Sufficiat ut Mysterio *Antonomastice* sit dicto, non *Scrutinium* arroganter, sed humiliter *Obsequium*, & *Fidem* firmiter adhibeamus.

* *Homil. 5. in Epist. ad Tim.*

§ 8. Adeo *omnium* non est, & usque adeo non *Meum*, ut crediderim esse nullius, disertè dicere & dogmaticè, Quid sibi velint *Personæ Tres in Deitatis Unitate*; aut extra Scripturas quicquam statuere ὡς ἐν μυστῷ τῆς Τριάδος, nisi quod *Nicena Synodus* atque *Ecclesia universalis* (Eidem Synodo consentiens) dicendum statuit. Nihil temerè de Deo pronunciandum esse arbitror, quod ejusdem aut *Unitati* aut *Simplicitati* tantillum deroget. Nihil de Deo effutiendum, unde *Aliud* atque *Aliud* in eo esse inferri queat. Nihil scribendum, aut sentiendum, quod faveat *Turcis* aut *Judæis* ex una parte, aut ex altera

Sed reverenter sanctèque & cum Tremore tractanda.

† Cyril. *contra* Julian. *l.* 1. *in Trinitate, ait, Tres Deos statuisse.*

† *Porphyrianis* aliísque Tritheitis quanquam minus malum existimo, ut quis in *Illum* potiùs Scopulum, quàm *Hunc* impingat. Quandoquidem τὰ ἐλάχιστα λεπτέον κακῶν, satiùs duco *Tria Nomina Personas* dicere, quàm ità de iis philosophari, ut in speciem saltem videar *Tria Numina* adorare. Summatim dico. Vix meliùs, vix aliter *Quid sit Tri-unus* intelligimus, quàm *Quid non sit* intelligendo: unde dicere non ausim cum *Gennadio* Patriarcha, neque cum *Ecclesia Græca* eidem *Gennadio* suffragante, Tres esse Dei Ἐνεργείας, [*operationes*, aut *efficacias*,] quas Latini *Personas* vocant. Nolo eas Tres πρόπους ὑπάρξεως appellare, quanquam *Veteres* quidam *Græci* ità censerent appellandas. Nolo cum *Hilario*, quantumvis docto sanctóque Patre, *Tres in Deo Substantias* dicere. Nolo cum *Altingio*, aut esse *Substantias singulares*, aut *Relationes Substantiales*. Nolo cum *Helvetica* Confessione Posteriore, *Conjunctas* dicere *Personas quoad Naturam vel Essentiam*; nequis dicat per calumniam, me *Deum* effingere *Aggregativum*, & συνωνίας potiùs Personas, quàm ὁμοουσίας existimare. Nolo *Tres Proprietates* cum Doctissimo * *Calvino*, & cum Ecclesia *Wirtenbergensi*. Nolo *non-Entia* cum *Kechermanno*, nedum cum *Praxea* & *Hermogene*, *Noëto* atque *Montano*, nec non *Paulo Samosateno*, unius Personæ *Tria Nomina*: nedum Hanc *Triadem* (cum *Michaële Serveto*) prorsus esse *Imaginariam*, *utpote cum Dei unitate planè pugnantem*. Valde nolo † *Similitudines*, quæ ad *Triunum* explicandum à rebus creatis desumuntur. Id quod *Veteres* sæpe sæpiùs, vereor nè & *moderni*, malo omine factitârunt. Ingenuè interim confessi, admodum

* *Inst. l.* 1. *c.* 13. § 5. & 19. & 23. Grot. Riv. Apol. *p.* 28.

† *Harum plerásque enumerat* Augustinus *de Trin. à lib.* 9. *ad* 15.

modum dissonum esse, & dispar, quicquid pro *Simili*, aut *Patri*, in medium unquam protulerunt. Quo fit (inquit *Calvinus*) *ut omnem audaciam hic reformidem; ne siquid intempestivè productum fuerit, aut malignè Calumniæ, aut rudibus indoctisque hallucinationis ansam præbeat.*

§ 9. Quamcunque tamen in Sacra Pagina *Distinctionem* animadvertimus, reticeri non decet, non expedit, non licet utique. Etsi enim non potest fieri, ut in Eo quod est *Æternum* existat *prius* & *posterius*; *Ordinis* tamen ratio videtur habenda esse nonnulla, in quantum *Pater* primò, deinde ex Eo *Filius*, Postmodum ex Utroque *Spiritus Sanctus* recensetur in * Sacris Literis. Et Iste est *Ordo Naturalis*. *Arbitrarius ordo* est Ille, quo Scriptores Personas Trinas recensent pro suo quisque Instituto. Est ubi *Filius* præponitur *Patri*; ut 2 *Cor.* 13. 13. *Gal.* 1. 1. est ubi *Patri* præponitur *Spiritus Sanctus*; ut *Eph.* 2. 18. est etiam ubi *Spiritus* postponitur *Filius*; ut *Apoc.* 1. 4, 5. & ubi Idem *Spiritus Sanctus* & *Patri* & *Filio* simul præponitur, ut 1 *Cor.* 12. 4, 5, 6. Nullibi verò luculentius Sacrosanctam *Trinitatem* videre est, quàm in duplici Illa Θεοφανίᾳ, qui *Christi Baptismum* celebrabatur, *Luc.* 3. 22. Ejusdemque *Transfiguratio*, *Luc.* 9. 35. Porrò *Persona* in Sacris Literis ità (non essentialiter, sed) hypostaticè distinguuntur, ut *Patri* propria sit ἀγεννησία, *Filio* γέννησις, *Spiritui Sancto* ἐκπόρευσις, (*Processio*, non *Productio*, ut perperàm scripsit Non Nemo & periculosè, p. 26.) Ità ut *Pater* sit à seipso, *Filius* à *Patre*, ab utroque *Spiritus Sanctus*, coæquales licèt, & coæterni.

Ex solo sua ipsius verbo petenda est.

* Matt. 28. 19. 1 Joh. 5. 7.

Ità denique ut *Patri Creatio* ascribatur modo quodam peculiari, *Redemptio Filio, Sancto Spiritui Sanctificatio.* Cujusmodi Distinctiones non ideo adhibentur, ut Summi Numinis Unitati, Simplicitati, aut Identitati quicquam officiant, vel adorandæ Trinitatis tantillum detrahant περιχώρησιν, vel quasi opera Sanctæ Triadis non sint semper indivisa; sed quod humanæ Infirmitates his adminiculis opus habent, & quod passim in Sacris Literis sic Scriptum legimus. *A Patre sunt Omnia*, 1 Cor. 8. 6. Joh. 5. 19. *Per Filium Deus Mundum condidit*, Heb. 1. 2. Joh. 1. 3. *Filius Spiritum Sanctum à Patre mittit*; Qui *Spiritus* etiam dicitur *à Patre emanare*, Joh. 15. 26. *Ecclesiam Dei Deus suo sanguine acquisivit*, Act. 20. 28. & 1 Tim. 3. 16. *Desuper venit Spiritus Sanctus* ὡσεὶ περιστερὰ, Matth. 3. 16. Denique *Trium Personarum* in numero numerante, & inde Sacrosanctæ *Triados* in numero numerato, ἐμπεριχώρησις ἐνήλληλος (ut Græci Patres rem exprimunt) vel *in se invicem Immanentia* (ut barbarè satis Latini vertunt) tam à Veteribus quàm à modernis ex sacra Pagina rectè elicitur. E. G. *Tres sunt qui testificantur in Cœlo, & Hi Tres unum sunt*, 1 Joh. 5. 7. *Ego & Pater unum sumus*, Joh. 10. 30. *Credite mihi me in Patre, & Patrem in me esse*, Joh. 14. 10. 11. Et certum Pedem hic figere consultius duco, quàm curiosiùs penetrando in Hoc Mysterium Inscrutabile, per multas evanidas atque nocivas Speculationes evagari.

Qui hos limites tam Scripturæ quàm Verecundiæ transilierunt, nimirum *Valentiniani*, *Marcioniæ*, *Manichæi*, *Sabelliani*, *Photiniani*, *Ariani*, *Macedoniani*, *Eunomiani*, Aliique

Com-

Complusculi, (præter *Judæos* & *Mahomedanos*, quos Hæreticis *Christianissimum* præ se ferentibus non annumero,) in suum quisque Hæreseos Scopulum perquàm turpissimè impegerunt. Quid, quòd Nonnulli etiam ex nostris sua ipsorum ratiocinia ad utilissimam sanè obrussam à scipsis quandoque positam non ubique exigentes, Criminationes in se gravissimas ingratiis suis acciverunt? * *Calvinus* Veteres animadvertit nec universos inter Se, nec Singulos secum ubique loci consentire. *Quas enim Hilarium formulas à Concilijs usurpatas excusat?* Quàm scipsum etiam incusat, quòd *inconcessa præsumere, ineffabilia loqui, & nova nomina proferre est ausus? Quò licentiæ interdum profilit Augustinus? Quàm absimiles sunt Latinis Græci? Hieronymus ad Damasum Sacrilegium esse dicit, Tres in Deo Substantias prædicare.* Atqui plus centies apud *Hilarium* invenies, *Tres esse in Deo Substantias.*

* *Instit. ubi suprà.*

§ 10. Plura identidem de mysterio hoc tentanti os mihi illico obturant aurémque vellicant (non *Cynibus*, sed) Ecclesiæ Doctores Cordatissimi, quibus non possum non assurgere, totóque animo suffragari. * *Deus quum dicitur, non potest dici, &c. Credis te velle, non examinari. Quicquid de Deo dicitur est Deus Ipse. In illa verò Trinitate, Trinitas est unus Deus. Quod sanè est mirabiliter ineffabile, & ineffabiliter mirabile.* † *Trinitatis Mysterium est immensum, & incomprehensibile, extra significantiam Sermonis, extra sensûs Intemeratum, imperspicabile, humanæ obcæcat, intelligentiæ Capacitatem excedit. Ego nescio: sed consolabor me tamen, Angeli nesciunt, Sæcula non tenent,*

Mysterium Doctoribus, perspicacissimis licet, impervium.

* Augustin. Serm. 190. Idem de Trin. l. 15.

† Hilarius de Trinitate l. 2.

tenent, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit, cessat ergo dolor Querelarum.

Idem l. 7. Non relictus est hominum eloquiis de Dei rebus, alius, præterquam Dei Sermo.

* Cyril. Alex. in Johan. l. 2. c. 103. * Exactam Nominum Potestatem Deitatis Natura recipiat: de qua quicquid dicimus, non ut se habet exquisitè ac absolutè dicimus, sed ut linguâ humanâ proferre possumus: necesse est enim qui in ænigmate videt, in ænigmate quoque loquatur. Humano more de Deo loquimur; Intelligere autem omnia nos debemus, ut Deo congruant. —— † Deum ergo ignoras? Absit, Scio enim esse clementem, providentem, & omnium Curam gerentem. Quid autem sit substantia Dei, non novi. —— * Sufficit tibi scire quod ipse est Pastor bonus. —— Hic est Terminus Cognitionis Dei. Quantus autem sit, & qualis Essentia ejus, Talia scisciranti periculosa, ei qui rogatur perplexa. Silentium est talium Medicina. —— † Ecce patet, omni homini expedire, ut credat in quandam ineffabilem Trinam unitatem, & unam Trinitatem: unam quidem, & unitatem, propter Essentiam: Trinam vero, & Trinitatem, propter Tres. Nescio Quid. —— * Si nemo de eo potest explicare Quod est, Nemo audeat affirmare quod non est. Excusabilius enim est, de Naturâ ineffabili non eloquis digna, quàm definire contraria.

† Leo de Passione Domini Serm. 12. † S. Bernard. de Consid. l. 5. c. 7 & 8. —— † Quid sibi vult iste (ut sic loquar) absque numero Numerus? Si Tria, quomodo non Numerus? Si unum, ubi Numerus? —— Numera (si potes) aut sine substantia Personas, quæ ipsa sunt, aut sine Personis Proprietates quæ ipsa sunt. Aut si dividere quis conetur, vel Personas à substantia, vel Proprietates à Personis, nescio quomodo Trinitatis se profiteri cultorem possit,

possit, qui in tantam rerum Numerositatem excesserit. —Quærit quis, quomodo illud quod Catholicum dicimus, possit esse? Sufficiat ei tenere, Sic esse. —Sacramentum hoc magnum est, & quidem venerandum, non scrutandum, &c. —* *unum, secundum quod est principium Numeri, non prædicatur de Deo, sed solùm de his quæ habent esse in materia. Unum enim quod est Principium numeri est de genere Mathematicorum*, &c. —*Deus ergo est unus, unitate quæ convertitur cum Entitate.*

* Aquin. 1. *Part. Quæst.* 11. *Art.* 3. *ad* 2*dum.*

Controversiâ illâ gravi & periculosâ de nominandis in Sacrosancta Trinitate *Suppositis*, inter Græcos & Latinos exortâ, eò res adducta est, ut periculum esset, nè orbis Terrarum fines (*i. e.* Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ) unà cum Syllabis à se invicem distraherentur. † Effecit autem *Athanasius*, ut depositâ nominum controversiâ, *Græci Personæ vocabulum pro hypostasi usurparent*: & vicissim *Latini hypostasin pro Persona dicerent*. Et quanquam S. *Augustino* Latinísque Posteris hæc Conciliatio deinceps displicuisse videatur; *Hieronymus* ‖ tamen apud *Damasum* impetravit, ut hujus de nomine duntaxat Controversiæ Conciliatio admitteretur. Deinceps verò apud posteros communi usu in Ecclesia receptum fuit, —* *ut Idem significet Græcè hypostasis, quod Latinè Persona.*

Bin. *Not. in Conc.* Alexandr. *Tom.* 1. *p.* 603.

† Greg. Naz. *Orat. de laud.* Athan.

‖ *Epist.* 57.

* Aquin. 1. *Par. Qu.* 29. *Art.* 2.

Præmissis omnibus ritè perpensis, ità mecum rem reputo. Aliud esse Deum in verbo suo scrutari, *Joh.* 5. 39. Aliud venari judicia ejus *inscrutabilia*, viásque *impervestigabiles*, *Rom.* 11. 33. Quæ sunt in verbo revelata, *ad Nos & filios nostros æternùm spectant*, Deut. 29. 29. & *Absque debita Dei notitia omnis homo*

Humili Fide & obsequio colendum restat.

pecus est, inquit, S. Hieronymus: nec est quòd quisquam glorietur, nisi se Dominum suum novisse, Jer. 9. 23. Sed Negata nobis quærere, & velle invadere inaccessa, Religio nobis esse debet, & pius Timor. Ex iis facilicet eruendis quæ sunt [illegible], ipsisque Angelis [illegible], & supra quod Scriptum est sapere velle, (quod est desipere) facillimè sequitur Absurdum unum, unde etiam libentissimè sequuntur Mille.

[illegible]

CAP. IV.

De Æternis Dei Decretis.

Decretum in genere.

§ 1. POST Deum in Se consideratum, sequitur ut eundem in suis *Operationibus* atque *Operibus* consideremus. *Decreta* Dei ab æterno quæ inter *opera* Dei *ad extra*, sed [illegible], vulgò enumerantur, *Operationes* potiùs quàm *Opera* (quid ego quidem judico) dicenda sunt, ejúsque Operibus propriè dictis vel eo nomine præmittenda.

Varii denominantur.

Decretum Dei est ipsissima Dei *Voluntas*. Neque nisi docendi Causâ (quum unica sit, & Simplicissima,) ab ejúsdem Voluntate distingui debet. Decretâ tamen causâ variis titulis insignitur in Sacra Pagina. Est ubi dicitur *definitum Dei Consilium*, ut *Act.* 2. 23. ubi [illegible] parquàm aptissimè conjungentur, in quantum Deus nihil decrevit

crevit nisi secundum *Præscientiam*, quæ à consilio definito divelli non potest, (ut rectè *Beza* arguit adversus *Epicuri de grege Porcos*,) *nec interim mali causa esse*. Est ubi *Manus & Consilium* Decretum Dei appellatur, ut *Act.* 4. 28. ubi προώρισε γενέσθαι *passivè* legitur; Quia Deus prædefinierat ut Scelus illud *fieret*, se Permittente, quod præcognoverat scelestissimos sponte suâ facturos, nullâ vi extrinsecùs adhibitâ impeditos. Adeóque non *ipsa Mala*, (ut nonnulli temerè dicunt,) sed Malorum *Permissio sola* sub voluntate divina cadit. Est ubi Idem & *Beneplacitum*, & *Consilium*, & *Propositum* Dei vocatur, ut *Eph.* 1. 5. & 11. ubi Deus non simpliciter prædestinâsse asseveratur, sed utrobique *Secundum Quid*. Κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *v.* 5. & κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *v.* 11. *Decreto nihil fit*, (ut rectè rem æstimat *Alstedius*) sed *Secundum Decretum*. Sicut *Idea* quam Architectus mente suâ conceptam gerit, non omninò domum extruit, sed *secundum Ideam illam* extruitur Domus. Sic & Calopodio non omninò fit Calceus, sed *secundum Calopodium* consuitur. Perperàm tamen clamavit * *Scaliger*, *Tam est impia vox in divinis consilium, quàm Pluralitas Deitatis*. Quia quamvis non disceptat, non colligit, non cum alio ullo confert, non ratiocinatur Divinum Numen; Eâdem tamen *Anthropopathiâ* quâ dicitur Deus *providere*, cui nihil futurum est, rectè dicitur res efficere *secundum consilium* Voluntatis, *Eph.* 1. 11. Et quicquid κατ' ἄνθρωπον de Deo dicitur, illud est κατὰ Θεὸν intelligendum, atque θεοπρεπῶς. Denique Æternum Decretum Dei à complusculis non absurdè *Æterna Dei*

* *Exercit.* 365. § 8.

Provi-

Providentia, & *Voluntatis divinæ Actio*, seu *operatio*, Metonymicè nuncupatur, quâ de iis quæ in tempore futura præsciverat, præstituit Deus ab æterno Quid factum vellet.

Providentia, Præscientia, Prædestinatio, quid differant.

§ 2. *Providentiam* definit *Cicero*, *per quam aliquid futurum, antequam eveniat, providetur.* Rectiùs longè * *Boethius* mavult, Divinam esse Rationem in summo omnium Principe constitutam, quâ cuncta disponit, & moderatur, & ad ordinatos fines dirigit. Nam etiamsi κατὰ λέξιν *providere* & *prævidere* in idem recidant, unde eandem esse complures & *Providentiam* & *Prævidentiam*, decepti vocis agnominatione, existimârunt; In eo tamen *Providentia* à *Præscientia* Dei differt, quòd nullam Hæc *affert* rebus futuris Necessitatem, sed *infert* tantùm; Illa aut *efficit*, aut *permittit*, quæcunque in tempore eventura. Præterquam quod latiùs patet *Præscientia*, quàm *Providentia*. Nam *ordinavit* Deus Nihil, quod non *Præscivit*; Præscivit verò quàm plurima (Peccata Hominum Angelorúmque) quæ nullo modo ordinavit. In eo etiam *Providentia* ab ipsa differt *Prædestinatione*, quòd *Providentia* latiùs patet, ut quæ respicit Creaturas ad unam *omnes*: *Prædestinatio* non item, sed duntaxat *Rationales*. *Providentia*, unde *Prudentia* contractè dicitur, Græcis Πρόνοια appellatur, (ut Præscientia πρόγνωσις,) ἀπὸ τοῦ Προνοέω, quod *providere* simul significat, & *procurare*. Non est enim solitaria & speculativa rerum Cognitio, sed actuosa etiam & efficax rerum omnium Administratio. Πρόγνωσις etiam in Sacris Literis non ad solum *Intellectum* ubique pertinet, sed nonnunquam ad *voluntatem*; unde dicitur

* *De Cons. Philos. l. 4.*

à Scho-

à Scholasticis Scientia *Approbationis*, non tantummodò *Visionis*, *simplicisque Intelligentiæ*. Nam προγινώσκειν aliquando idem valet quod *Scire*, id est *Scito approbare*, præsertim quum *Electis Dei* peculiariter applicatur. Porrò Vox *Prædestinare* duo videtur in Se complecti; non solummodò *definire*, quid sit agendum, aut non agendum: verùm etiam *ordinare*, & ad Scopos quosdam aut fines Rem *disponere* definitam. *Prædestinatio* denique ea est, quâ tam de *fine*, quàm de *mediis*, (ad finem semper conducentibus,) non *separatim*, sed *conjunctim*, & in sensu *compositio*, non *diviso*, simul & semel determinatur. Licèt enim docendi causâ *Decretum* Dei dicitur in se varia comprehendere, atque ut *Genus* consideratur cujus etiam *Species* includunt alia, summoperè tamen semper cavendum est, nequid crassi aut indigni de Deo nobis imaginemur, quasi discurrat, aut syllogizet, aut non sit Actus Simplicissimus. Et hac præmissâ Cautione, pergamus illicò ad Decreta magis specificè consideranda.

CAP. V.

De Electione & Reprobatione.

§ 1. UT Decretum *Providentiæ* Res *omnes* respicit, etiam vilissimas, fortuitasque, (*Actor.* 5. 45. *Matt.* 6. 28. *Luc.* 12. 6.) Ità Decretum illud quod dicitur *Prædestinationis*, Res tantùm respicit *Rationales*, nempe Ange- *Prædestinatio.*

Angelos, Hominesque, & utrorumque æternos status.

Angelorum, Specialis hujus Decreti, quod appellatur *Prædestinatio*, sive *Species*, (ut aliqui vocant) sive *Partes*, (ut nonnulli,) sunt *Electio* & *Reprobatio*. Angelos in primæva puritate perseveraturos decrevit Deus ab æterno in æternum servandos fore, & in Felicitate stabilendos. Angelos verò Defectores, Rectitudinem suam & Stationem suapte sponte deserturos, decrevit Deus ab æterno æternum pœnas Apostasiæ luituros, aut in secula seculorum damnatum iri.

præsertim Hominum. Sed quum *Homo* fuerit ultimum Creatoris sui opificium, Creaturarum ad unam Omnium Epitome pariter, & Complementum, ad Imaginem Dei effermatum, (*Gen.* 1. 26.) ob hanc potissimum rationem, Decretum Dei de Homine, sive Electo, sive Reprobo, & de æterno ejusdem statu, sive beato, sive misero, ex institutæ Methodi ratione ubertim venit considerandum.

De Objecto ejus Dissidia. § 2. Inprimis autem hoc loco (valde difficili quidem & lubrico) præfandum arbitror, quòd quanquam magis sit mihi cordi, magisque curæ etiam notare, Quæ apud omnes sint in confesso, quàm in quibus apud quàm Plurimos in varias Partes abeatur; uti tamen aliquantò lucidiùs pateat, quanti sit ponderis & momenti, in Objecto Hujus Decreti usquequaque adæquato investigando, à Principiis certis intentisque & extra Controversiam positis exordium sumere; Non absuerit observare, in quot dogmatum Discrepantias, indeque errorum Præcipitia, Viri aliàs oculatissimi

tissimi cæcorum similes insiderint. *Calvinus* enim in ordienda ordinandáque Prædestinatione, ultra massam humani generis in primis Parentibus corruptam, consultum duxit non evagari. 1. *Beza* autem & corruptam & nondum conditam aut creatam eidem Dei Decreto præmittendam esse censuit. 2. *Franciscus Junius*, utrique refragans, Massam conditam duntaxat, necdum corruptam, Considerationi divinæ præstruit. 3. *Piscator* sententiam amplexus est ab his omnibus diserepantem, eo quòd triplicem hanc massam, (primò nondum conditam, deindè conditam duntaxat, tertiò conditam & corruptam,) in prædestinatione sua instituenda à Deo statuit consideratam. 4. Ab hac Quaternione dissentientium dissentit *Twissus*; dum *Piscatoris* sententiam reliquis quatuor anteponit, non omninò tamen ut veram, sed ut Verisimiliorem. 5. Denique *Petrus Molinæus Sedanensis* Professor celeberrimus, (in sua *Causæ Orthodoxæ Defensione*, quam *Twissus* noster *Prævaricationem* dicendam mavult,) sextam viam ingreditur à cæteris omnibus valde distinctam; dum Massam etiam Peccatis *actualibus* corruptam & vitiatam, adeóque homines non nisi *Infideles* atque *finaliter impœnitentes* Decreto Reprobationis Objectum esse contendit acriter. 6. Unde (inquit *Twissus* noster, *Molinæo* admodum succensens,) factum est, ut licet aliàs inter Theologos Vir † insigniter eruditus, & ad tractandas controversias quasi fictus formatúsque, † *ex hac parte tamen, non modò Causam Arminianorum alias justa promeveret, sed & quicquid antè de Electione Orthodoxus disseruerat, prorsus convelleret.* Neque verò Observatio *Johannis* * *Dallæi* certè

† *Vin. Gr. Digres.*

* *Apolog. pro duabus Synodis adversus* Spanh. p. 8, 9.

certè Doctissimi, est hoc in loco prætereunda, *Vix duos* (inquit) *reperias, utut conjunctissimos, qui eandem sententiam planè eodem modo pertractant.* Sed id nobis in hac potissimùm controversia ideo accidit, quòd ea in rebus omnium altissimis, nostróque ingenio longè sublimioribus, tota versetur; quas, utut mentis aciem intenderis, nunquam clarè cernes, nedum ut consequaris atque percipias, quamdiu quidem in terris degimus.

Via ad Pacem præstituta.

§ 3. Ità sibi adversantur, & à se invicem discedunt, Viri cætera perspicaces, & usquequaque eruditi. Qui tamen omnes in *Arminium*, tanquam in Hostem suum communem, communem ineunt Amicitiam. Quidni ineant cum *Arminio* pari modo Amicitiam contra *Judæos* & *Mahomedanos*, non modò dogmatum quorundam, sed totius *Christianismi* communes Hostes? Iniit sanè *Molinæus*, & iisdem victus rationibus cum ipso *Arminio* etiam *conspirat*, sdque in Scriptis ex professo adversus *Arminium* institutis, si qua * *Twisso* Nostrati fides habenda sit. Nec abhorret quidem à vero quod de clarissimo *Molinæo* Testimonium perhibet Vir Doctus. Nam Reprobatio si non procedat (ut *Molinæus* valde contendit) nisi ex peccatis actualibus prævisis, perseverantiáque finali in iisdem, nullo modo vitari poterit, (ut *Twissus* liberè confitetur,) quin Electio procedat etiam ex prævisa fide, & resipiscentia, & finali in iisdem perseverantia. Enimverò *Spiritus Sanctus* nihilo significantius à Causis *Electionis* removet bona opera, quàm à causis *Reprobationis* opera mala. Quanquam obiter notandum

* *Digress.* 6. § 4. c. 1. p. 92.

est,

est, quòd non omninò par ratio utrobique esse videtur. Nam * *Causa* Electionis est ipse *Deus*, † solus *Christus* est *Fundamentum*, & ejusdem *Motiva* sunt Christi *Merita*. Aliter *Electi* prædestinantur, videlicet *per & propter Christum*; (*Eph.* 1. 5.) longè aliter *Reprobi*, videlicet *propter Peccatum*. Et hoc decretum salvandi *prævisâ fide* * *ad finem usque duraturâ*, non *ob* aut *propter prævisam fidem*, Prædestinationis nomine intellexerunt omnes Catholici Scriptores ante *Augustini* tempora: quemadmodum *Grotius* ὁ πολυθρύλλητος pacificè colligit & observat: & similiter *Lancelotus Andraas* Præsul ὁ Παν *Wintoniensis*. In hanc autem sententiam, cum *Melanchthone Arminio*que exquisitissimè congruentem, Acutissimus *Molinæus* delatus est, eò quòd viderat (inquit *Twissus*) pro sua perspicacia, Vir egregiè eruditus, *Reprobationem* esse Intentionem damnandi non minus pro peccatis *Actualibus* nulla pœnitentia finaliter abruptis, quàm pro peccato *Originali*. Simili modo & *Piscator* palàm confessus se erràsse, (scilicet à *Verstio* ad id adactus) & priorem sententiam repudians suam, animitus hanc alteram amplexus est, nempe *Peccati Prævisionem ipso Reprobationis Decreto priorem esse*: sed & hanc eruditissimi *Piscatoris* sententiam, utut reformatam, *Twissus* reprobat, immo priore deteriorem totis viribus contendit.

* 1 Cor. 1. 21.
† 1 Pet. 1. 19, 20.
* Matt. 24. 13.
Digress 3. c. 2. § 4. p. 74.

§ 4. Verum enimverò his hactenus præmissis, mearum esse partium puto, dissecare potiùs lites inter doctissimos gliscentes, quàm aut easdem disseminare, aut alias ex aliis procudere velle, & propagare. Et quandoquidem

In quibus consentiant plerique omnes.

dem nihil nihi tam in deliciis esse queat, quam ils uti & insistere Rationum methodis & momentis, quæ ad Pacem in Ecclesiis aut procurandam utique aut promovendam apte natæ sunt conducere, operæ pretium erit proferre Regulas aliquas Præcipuásque, de quibus inter universos utcunque aliter litigantes (quantum ego quidem conjicio) facillime potest convenire, aut de facto potius convenit.

Regula. 1. Inprimis convenit inter omnes, quantumvis aliter dissentientes) quòd Deus velit alia *Absolutè*, Alia quasi *Conditionaliter*, aut *respectivè*. Et quòd idem alia *mavult*, ut aliis longè potiora, *Misericordiam* potius, quam *Sacrificium* (Hos. 6. 6.) potiúsque *Resipiscentiam*, quam *pœnam æternam Execratoris*, Ezek. 18. 23. 31. 32. & 1 *Tim.* 2. 4. & 2 *Pet.* 3. 9.

2. Deinde convenit inter omnes, Promissiones Dei & Minas *Generaliter* esse propositas in Sacris Literis, universis simul & singulis (ne uno quidem excepto) sub certis legibus ubibi latis utrásque esse extendendas. Ita statuit specialim Ecclesia nostra * *Anglicana* Reformatarum omnium Regina, Columen, atque Cohonestamentum. Ita † *Confessio Augustana*, cujus Pars Magna fuit *Melanthon*, Vir insigniter Pacificus, eximiè doctus Pieque, & egregiâ animi moderatione.

* *Artic.* 17.

† *Art.* 20. *de Fide.*

3. Tertiò convenit inter omnes, quòd quicquid Deus in *tempore* agit, *decrevit* agere ab *æterno*: unde Regula illa deducitur nunquam nimis ruminanda, nunquam ad nauseam repetenda, (quippe quæ Pacificandæ inter Partes dissidentes abunde sufficit,) Quòd *Decretum ab æterno, & ejusdem in tempore Executio,*

tutio, summâ semper æquitate sibi reciprocè correspondent. Ità ut nihil agat Deus, quod non decreverat se acturum eo modo quo agit; nec quicquam decreverit se acturum, quod non agit eo modo quo se acturum esse decreverat. Hoc est omnibus in confesso, utcunque aliter animatis, quòd *Opera* Dei qualiacunque & quæcunque fuerint, sunt *veracissima* & exquisitissima *Decretorum* ejusdem *Specula*. Executio Decreti est sola Decreti Interpretatio. Ostendit *quale* aut *cujusmodi* Decretum fuerit, *Absolutum*, an *Conditionale*; Quæ, si rectè ponantur Calculi, eódem redeunt. Nam

4. Quartò convenit inter omnes, quòd *absolutè* decrevit Deus, ante jacta Mundi Fundamenta, & Præmia Piis, (2 *Tim.* 4. 8.) & Pœnam Impiis, (*Rom.* 1. 32.) *Decrevit absolutissimè*, * *quòd qui crediderit salvabitur, qui non crediderit condemnabitur*, Mar. 16. 16. Quòd *qui bona fecerint, in resurrectionem vitæ prodibunt; qui mala egerint, in resurrectionem condemnationis*, Joh. 5. 29. Quòd *reddet unicuique secundum opera ipsius*, Rom. 2. 6. *Gloriam & honorem operantibus Bonum; sed obtemperantibus Injustitiæ, Excandescentiam & iram*, (v. 7, 8, 9, 10.) Quòd *omnes denique comparebunt coram Christi Tribunali, ut reportet unusquisque quæ in corpore fecerit, congruenter ad id quod fecerit*, (ut vertit *Beza*) *sive Bonum, sive Malum*, 2 Cor. 5. 10.

* *confer* Joh. 3. 36. *cum* Joh. 6. 40.

5. Quintò convenit inter omnes, *Deum non esse* Προσωποληπτην, *non respicere ad Personam; sed in quavis gente acceptum ei esse quemvis qui eum timeat, & operetur justitiam*, Act. 10. 34. Justitia Dei non fert, ut si unus deliret, plectatur alius: ut si *Rutilius* malè agit,

Æmilius propterea ſupplicium ferat, *Ezech.* 18. 20.

6. Sextò convenit inter omnes, In Deo non eſſe nec eſſe poſſe contradictorias Voluntates: ſed Hanc Ipſius quam habemus in Sacris Literis Revelatam Conſilium eſſe & Beneplacitum, æternum ſimul, & immutabile. Nullum eſt enim Voluntatis certius aliquod Documentum, quàm *Præcipere* rem aliquam, aut *Jubere*. Indéque in omnibus ferè linguis quod *Jubent* Principes, Id eorum *Voluntas* apprimè dicitur. Actum autem eſt penitus de ſolidiſſimo Humanæ Societatis Fundamento, niſi iſtoc pro immoto & inconcuſſo Principio habendum ſit, Principes Quæ *Jubent* reapſe *Velle*. Nec enim alia de cauſa *parent* Subditi Superioribus, quam quòd ſibi perſuaſum habent, Illos *Velle* quæ Jubent. Cùm Deus igitur quoſcunque in Verbo alloqui dignatur, comprehendi non poteſt, quomodo quod eos ut *faciant Jubet*, *Nolit* id ipſum ab illis *fieri*.

7. Omnibus denique inter ſe convenit, quòd omnia Dei decreta & Actus, quibus ſalus hominum continetur, in *Chriſto Jeſu* fundata ſunt, iſtíque *fundamento* inſiſtunt unico. Manet id quoque immotum apud omnes ex æquo, *eoſdem eſſe qui Electi dicuntur, & qui credunt tam verè quàm perſeveranter. Eoſdémque eſſe pariter qui Reprobi appellantur aut Rejecti, & qui ſine Fide vera ὁμολογοῦντι moriuntur & cervicoſi.*

Alia ſunt etiam non pauca, (præterquam ea quæ jam enumeravi) de quibus quandoque *controvertitur* inter Fratres Diſſentientes, *Remonſtrantes* volo, & *Contra-Remonſtrantes*; quandoque *convenit* inter Eoſdem Authore

Magno

Magno *Hugone Grotio* in Oratione olim habita (Idiomate *Belgico*,) apud Senatum *Amſtelodami*, p. 535, 536, 537, 538, 539, 540, *&c.* quæ huc transferre exſcribendo, longum eſſet plus nimio.

§ 5. Ex his omnibus quid ſequatur, non eſt ambiguæ æſtimationis: aliquanto clarior res eſt, quàm ut Interprete Me egeat. Pauca ſufficiat hoc in loco, & impræſentiarùm addere, ad concordiam Eccleſiaſticam in hoc Articulo facientia. *Abſolutè* decrevit Deus *creare* Mundum; ſed Eundem *Redimere* decrevit tantùm *Reſpectivè*, reſpectu habito ad *Peccatum*, quod Deus non potuit non *præviderè*, tum cùm *decrevit Redemptorem*. Quòd autem Decreta *Conditionata*, poſitis Conditionibus & objectum ingredientibus, in *Abſoluta* ſtatim tranſeunt, & viciſſim Decreta ſic *Abſoluta* Conditionem quandam innuunt in ſenſu compoſito conſiderata, liquidò conſtat ex iis omnibus quæ in medium protuli Exemplis: ut in *pauciſſima* rem contraham, (eademque valde *Perſpicua*;) *Abſolutè* decrevit Deus, idque ab omni æternitate, inter fidem, obedientiam, reſipiſcentiam, perſeverantiam, & Vitam æternam in Chriſto datam, *Connexionem Indiſſolubilem*. Qualem etiam Connexionem inter finalem Pervicaciam, & Pœnam ſine carituram, modo pariter *abſoluto* decrevit Deus. *Poriſmata ad Pacem facientia.*

Regula ſuperiùs à me allata, quòd *Decretum Dei æternum & Executio ejus Decreti exactiſſimè & per omnia ſibi invicem correſpondent*, (quemadmodum Facies Faciei in Speculo undique veraciſſimo,) videtur mihi inferri poſſe *Quarta Regulæ Probatio.*

(ineluctabili consequentiâ) ex aliis atque aliis Scripturæ locis, ubi dicitur *Mysterium salutis nostræ ab æternis temporibus tacitum in prædicatione Evangelii revelari*, (Rom. 16. 25.) & *imperveſtigabiles opes Christi inter Gentes evangelizari*, (Ephes. 3. 8.) & *in lucem proferri mysterium illud quod erat à seculis in Deo absconditum*, (v. 9.) & *ex proposito Dei gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora seculorum, patefactam esse nunc per illustrem illum adventum Salvatoris nostri Jesu Christi*, (2 Tim. 1. 9, 10.) Denique *Deum* (inquit Baptista) *nemo vidit unquam; unigenitus Ille Filius qui est in sinu Patris, Ille nobis exposuit*, (Joh. 1. 18.) porrò Regulæ hujus ratio ab ipsa divinæ Voluntatis Immutabilitate, & Præscientia Infallibili, ità liquidò dependet, & demonstratur, ut monstro simile videatur, si quis tam ignarus esse possit ut nesciat, aut tam perditè immodestus, ut non agnoscat.

USUS ejus, Quandoquidem igitur hæc Regula sit luce clarior meridiana, & apud omnes in confesso qui sunt *Adulti*, & *rationis usum* habent, (non *Infantes*, aut *Idiotæ*,) quòd *quæcunque in tempore Deus agit, sunt patefactio & Exegesis & Executio eorum omnium, quæ in tempore se acturum decrevit Deus ab æterno*; Hinc habemus pro compertissimo, quid de Decretis Dei æternis nobis sit *tutò* sentiendum. E. G. Quibus modis in tempore *Salvantur* homines à Deo, iisdem modis de iisdem salvandis statuit ab æterno. Ex alterâ parte (pari modo) ob quas Causas Deus in tempore à Cœlo suo excludit homines, ob easdem ab æterno decrevit Deus eosdem homines exclusum iri. Indè *Electio* dicitur, Hinc *Reprobatio*. Illa, intuitu

Jesu

Jesu Christi per Fidem veram apprehendendi, in actum exit, & exercitium, sive in Executionem; Hæc intuitu Peccatorum, in quibus obstinatè & cervicosè ad finem usque perseveratur. Concludat Hanc Regulam *Syllogismus*, ex *Grotio* & *Fulgentio* simul sumptis Conflatus. Quicquid Deus in tempore facit, id ab æterno facere decrevit. Sed in tempore servat hunc credentem, illum incredulum damnat; *Ergo* (inquit *Fulgentius*) *prædestinavit illos ad supplicium, quos à se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros; & prædestinavit ad regnum, quos à se præscivit misericordiæ prævenientis auxilio credituros, & in se misericordiæ subsequentis auxilio esse mansuros.*

§ 6. Quantum hujus Regulæ sive *ratio* sive *vis* apud animum eruditissimi *Molinæi* prævaluerit, (nequid dicam de *Luthero*, de *Tileno*, de Rege nostro *Jacobo*, de *Sandersono*, de *Johanne Gerhardo* præstantissimo, de *Hemmingio*, *Chemnitio*, *Hafenreffero*, & sexcentis hujusmodi;) agnoscit *Twissus* noster doctissimus; additque insuper, * quòd *Nostri Theologi ferè ad unum omnes pro principio hoc habent, esse Reprobationem Justitiæ actum. Indèque colligunt, præviſionem Peccati esse Decreto substruendam.* Quod unum sufficit (me judice) Paci Publicæ & Privatæ inter Theologos procurandæ. Nec minus sufficit eidem Illa *Perkinsii* nostri Concessio, *Voluntatem Dei non duntaxat è Verbo Scripto sive Revelatione, sed ex Eventu etiam cognosci.* Quia qualis est *Executio* voluntatis divinæ ab æterno, Talis Dei *Voluntas* ab æterno fuisse censenda est. Quidquid evenit, ideo evenit, vel quia *voluit* evenire Deus Optimus

Et VIS,

* Digress. 9. § 4. c. 1. p. 121.

timus Maximus, vel quia *nolunt impedire.* * Nobis est igitur arguendum, non omninò à *Priori*, (quod clarissimo *Calvino* humanitùs contingebat,) sed duntaxat à *Posteriore*, (quod fecit Optimus *Melanchthon*,) nimirum nos ex *vera fide & seria resipiscentia discere, quòd sumus Electi.* Dixitq; insuper *Melanchthon* in quadam Epistola ad *Calvinum*, *Hæc mea sunt κατ' οἰκονομίαν & ad usum accommodata: nec me latet* (inquit *Twissus*) *Remonstrantes in Belgio præ se ferre, quòd judicio Melanchthonis plurimùm innitantur.*

Dum intra has Lineas & Cancellos nos pacifice continemus, mihi equidem videtur (quod visum est olim verè Pacifico *Melanchthoni*,) Totisque Synodis illis duabus, † *Augustanæ*, & * *Saxonicæ*, nullis omninò opus esse de hoc Articulo Disputationibus. Nullas omninò Controversias de Prædestinatione movendas esse: & Quæstionibus non utilibus, nedum necessariis, nullam esse præbendam ansam, nedum avidè arripiendam. Abeant igitur valeántque per me licet *Scholastici*, Patres isti Subtilitatis, & Discordiarum Seminatores; Qui etiamsi Quæstiones quandoque utiles suppeditant, & nervosas, plurimas tamen supervacaneas ex cerebris suis procudentes, earúmque decisionem ex Philosophiæ Principiis expedientes, Christianæ Fidei Simplicitatem non mediocriter labefactárunt. Pauca illa, & simplicissima, etiam rudibus literarum perspicua satis & exporrecta, quæ Paragraphum quartum hujus Capitis constituunt, videntur mihi satis apta, satis habilia, & Idonea, perinde ad Intellectum uniuscujusque quietandum, atque ad finem exoptatissimum litigiis omnibus imponendum.

§ 7. Con-

* Sibrandus Lubbertus *apud* Twis. *Digr.* 8. § 4. c. 3. p. 119.

Ubi suprà.

Ad Concordiam ineundam

† *Artic.* 20.
* *Art.* 3.

§ 7. Concludam hoc Caput cum Eclogis quibuſdam & Excerptis quæ Moderationem ſuaviter redolent, & ad Propoſitum hoc meum Pacificatorium aliquo pacto promovendum videntur eſſe conducibilia. *Excerpta ex Autoribus huc tendentia.*

Ex Confeſſ. Anglic. *Art.* 17.

Ii quos in Chriſto elegit Deus——Unigeniti ejus Jeſu Chriſti Imagini efficiuntur Conformes; in bonis operibus ſanctè ambulant; & demum Dei miſericordiâ pertingunt ad ſempiternam felicitatem.——Hominibus curioſis, carnalibus, & Spiritu Chriſti deſtitutis, ob oculos perpetuò verſari Prædeſtinationis Dei Sententiam, perniciosiſſimum eſt Præcipitium; unde illos Diabolus protrudit vel in Deſperationem, vel in æquè pernicioſam impuriſſimæ vitæ Securitatem. Deinde Promiſſiones divinas ſic amplecti oportet, ut nobis in Sacris Literis generaliter propoſitæ ſunt, & Dei voluntas in noſtris actionibus ea ſequenda eſt, quam in Verbo Dei habemus diſertè revelatam.

Ex Confeſſ. Auguſtana *Art.* 20.

Non eſt opus Diſputationibus de Prædeſtinatione, & Similibus. Nam Promiſſio eſt univerſalis, & nihil detrahit operibus, immo excitat ad Fidem & verè Bona opera. Hanc ſententiam aſpernari pluſquam Phariſaica Cæcitas eſt.

Ex Confess. Saxonica *Art.* 3.

Non addimus hic Quæstiones de Prædestinatione, seu de Electione: sed deducimus omnes Lectores ad Verbum Dei, & jubemus ut Voluntatem Dei ex Verbo ipsius discant; sicut Æternus Pater expressâ voce præcipit, *Hunc Audite.* Non quærant alias speculationes] Nullum autem est Clarius Voluntatis divinæ Documentum, quàm Præceptio seu Jussio Publica: ut rectissimè *Dallæus*, in sua pro duabus Synodis Apologia.

Videatur τὸ Πάνυ *Hugonis Grotii Conciliatio* dissidentium in re prædestinaria & Gratia opinionum. Et Ejusdem Oratio habita olim in Senatu *Amstelodamensi*, &c. Nec non Doctissimi *Overalli* Epistola Illa *ad Grotium, Conciliationem* antedictam valdè approbans, conferatur.

Consulatur etiam Amica *Hammondi nostri spectatissimi cum spectatissimo Sanderſono* Collatio Epistolica, cui Titulus est in Fronte, Χάρις ἐν εἰρήνῃ.

Porrò legatur *Lanceloti Andrews* Episcopi *Wintonienſis* τὸ μακαρίτου, de *Novem Articulis Lambethanis* Judicium: & Judicium *Regis Jacobi* in *Curia Hamptonienſi* de iisdem, A. D. 1603. cum quibus etiam conferatur *Sententia Ecclesiæ Anglicanæ de Prædestinatione* ἐν τοῖς ἄρθροις, per celeberrimum D. *Overallum* moderatissimo & mitissimo ingenio Theologum, Regium *Cantabrigiæ* Professorem exposita. *Londini* Edita, 1651.

In Synod. Dordrect. *Sess.* 32. Submonuit Præses, ut potiùs Quæstionibus Illis inhærerent,

rent, quæ circa ſuavem de Electione doctrinam verſarentur, quàm ut odiosè de Reprobatione doctrinam exagitarent. (*mihi p.* 90.)

Optimè * *Wollebius* & feliciſſimè, cætera licèt *Calvinianus*, (aut *Zuinglii* potiùs Sectator ſimúlque Succeſſor *Baſilienſis*,) *Lutheranis* pleriſque hodiernis hunc in modum ſuffragatur, " In exploranda Electione noſtra, Methodo analytica progrediendum, à mediis " Executionis ad Decretum; facto initio à " Sanctificatione noſtra. Tali Syllogiſmo. " Quicunque in ſe ſentit donum Sanctificationis, qua peccato morimur, & vivimus juſtitiæ, Is juſtificatus, vocatus, ſeu verâ fide donatus, & electus eſt. Atqui per Dei gratiam hoc ſentio. Ergo juſtificatus, vocatus, & electus ſum. Diabolicum verò eſt hoc Argumentum; " *Si electus ſum, bonis operibus non opus eſt; ſi Reprobus, bona opera fruſtranea ſunt.* Primùm enim non eſt Chriſtiani hominis dicere, *aut electus ſum, aut reprobus:* ſed potiùs fidem ſuam tanquam Electionis medium explorare, 2 *Cor.* 13. 5, 6. Secundò, Hic Syllogiſmus ſubordinata disjungit, & ἀσύνδετα conjungit: ſubordinata enim miniméque ab electione divellenda ſunt bona opera, quæ ſunt ejus exequendæ & nobis certificandæ media: ἀσύνδετα verò ſunt, Reprobum eſſe, & bona opera præſtare. Hæc hactenus *Wollebius*. * *l.* 1. *c.* 4. *Can.* 15. & 16.

Reverendus admodum *Davenantius*, non ità pridem Præſul *Sarisburienſis*, unúſque olim ex Præcipuis *Dordracenæ Synodi* Aſſeſſoribus, † agnoſcit liberè quòd *ex ea Prædeſtinationis Doctrina benè fundata, quam Anglicana noſtræ Confeſſionis Autores in Articulo* 17*mo.* *tradiderunt*, † *In Adhortat. ad Pacem Eccl. cap.* 11.

runt facilè poteſt colligi quantum aut neceſſe aut utile eſt de Reprobatione ſcire & tenere: & quòd hanc ob rem nulla eſt Cauſa diſſolvendæ inter Reformatos fraternæ unitatis. Deinde annumerat ea omnia de quibus conſenſum eſſe patuit *in Colloquio Lipſiaco: ſiqua reſtant*, de *Verbis* potiùs quàm de *rebus certamina*; de *ſubtilibus ſpeculationibus* potiùs *quàm de Articulis Fundamentalibus, ſunt diſſidia.*

CAP. VI.

De Creatione in genere.

Creationis

§ 1. POST expenſa Dei *opera* quæ ſunt *Interna*, & *ab Æterno*, (divinas *operationes* rectiùs forſan vocare licet,) Ejuſdem opera *Externa*, atque in *Tempore* executa, deinceps veniunt expendenda. Neceſſarium enim erat, ut quæ decreverat exequeretur. Et videbatur expedire, uti ex *Sancto Sanctorum* ſuo prodiens ſeſe ad Extra pateſaceret; Bonitatiſque ſuæ divitias (quum Bonum ſit Sui diffuſivum) Rebus Creatis communicaret. Hæc autem in *Naturæ* & *Gratiæ* opera dividantur. Cujuſmodi ſunt præcipuè *Creatio Mundi*, *Humani generis Redemptio*, & quæ utrique annexa ſunt, aut ab alterutra dependent. Nam ad hos duos Fontes Alia Dei externa opera optimo ordine & modo referri queant.

Quum

Quum Vox πολύσημος ſit *Creatio*, quæ Tria ſonat in Sacris Literis; de Voce prius agendum eſt, quàm ad Rem ipſam deveniendum. Inprimis enim *Creare* eſt Rem ex nihilo evocare, idque *immediatè*. Ità Deus in principio creavit molem informem, quæ *Chaos* dicitur, indéque Cœlum ac Terram, *Gen.* 1. 1. Secundo loco *Creare* eſt ex Nihilo *mediatè*, (mediante ſcilicet materiâ *malè diſpoſitâ & inhabili*) opus aliquod conſtituere. Ità Deus creavit Hominem, quem efformavit & effinxit *ex limo Terræ*, *Gen.* 2. 7. & 27. Tertio vocabulum illud *Creare* ad Res inſigniter eximias, valdéque mirandas accommodatur: quippe quæ Dei ſolius ſunt, & non minorem potentiam innuunt, quàm ipſum opus *Creationis*. Ità verò *Dei Factura* dicimur, ad Bona opera *Creati* in Chriſto Jeſu, *Eph.* 2. 10. *Homonymia.*

§ 2. *Creatio* activè ſumpta divinam denotat Actionem, & ità refertur ad Res Creatas, ut *Relatio*, ex parte Dei, ſit ſolummodò *Rationis*, & duntaxat *ſecundum Dici*. Paſſivè verò ſumpta, & ex parte Creaturæ, *Realem* denotat *Relationem* Rei Creatæ ad Creatorem. *Diſtinctio relativa.*

Eſt autem *Creatio* (κτίσις dicta) Actio Dei omnipotentis, quâ Deus Pater per Filium in Spiritu Sancto, univerſas Res bonas, atque in genere ſuo perfectas, viſibiles æquè ac inviſibiles, inprimis ex prorſus Nihilo, deinde ex materia omninò indigeſta & uſquequaque inidonea, vi voluntatis ſuæ & Verbi, liberè condidit & conſtituit. *Definitio.*

§ 3. Quòd

Efficiens. §. 3. Quòd *Creatio* Deo competit, non omninò *hypostaticè*, (Personæ uni præ aliis,) sed planè *essentialiter*, (Toti simul Trinitati,) non tam constat ex ea peculiari locutione quam *Moses* adhibet, *Bara Elohim*; nec tam ex eo quo utitur plurali Numero, *Faciamus* Gen. 1. 26. *hominem ad imaginem nostram*; quàm ab eo potissimùm axiomate, quòd *Opera Dei ad extra sunt indivisa*. Quanquam enim in Symbolo tam *Niceno* quàm *Athanasiano*, Pater à nullo esse dicitur, Filius à Patre, Spiritus * Rom. 11. 36. Sanctus ab utroque; Et quanquam ex * Dicto Divi *Pauli* Doctores Veteres collegerunt, quòd à Patre *per* Filium *in* Spiritu Sancto creantur † Joh. 1. 3. Eph. 3. 9. Job 33. 4. Psal. 33. 6. † omnia; Rectè tamen subjungitur ex *Greg. Nazianzeno*, Præpositiones tres illas, ἀπὸ, διὰ, ἐν, *non dividere Naturam, sed Naturæ inconfusæ proprietates exprimere.* Sufficiat nobis hujus Regulæ simplicitati adhærere, quòd *omnia Causalia sunt Totius Divinitatis Communia.* Nolo igitur cum *Basilio* quantumvis magno asseverare, *Patrem* esse Creationis Causam προηγουμένως, *Filium* δημιουργικῶς, *Spiritum Sanctum* τελειωτικῶς. Nedum cum * *in Phys.* Christ. c. 17. * *Daneo* loquendum arbitror, *Patrem* creare *Voluntate*, *Filium* ipsa *Productione*, *Spiritum Sanctum* Naturæ & Virium *Insitione*, seu motûs vitæque *injectione*: una est enim & indivisa Individuæ Trinitatis non magis *Essentia* & *Substantia*, quàm etiam *Voluntas* & *Operatio*. Nolo quicquam effutire de hoc Mysterio, quod operosâ nimis egeat ac prolixâ explicatione, sæpe etiam periculosâ.

§ 4. Causa

§ 4. Cauſa Finalis ſive τελικὴ Creationis (non Neceſſariæ quidem, ſed Liberæ,) videtur eſſe & Sapientiæ & Potentiæ divinæ Manifeſtatio, Bonitatis Diffuſio ſive Communicatio, & Creatoris per Creaturas in omne ævum Glorificatio. Quid nimirum aut æquius, aut convenientius, aut Gloriæ divinæ conducibilius videri poterat, quàm ut Deus Creaturis, cum primis Angelis Hominibúſque per hoc Theatrum innoteſceret, iſque viciſſim Deum colerent? *Finis.*

Aquinas triplicem in Deo notat Cauſalitatem, nec id inepté. *Mundi Cauſa eſt Finalis, ratione ſuæ Bonitatis; Exemplaris, ratione ſuæ Sapientiæ; Efficiens, ratione ſuæ Potentiæ.*

Diſtinguendus autem eſt Finis ſummus, à Fine ſubordinato: ſummus Finis eſt Dei Gloria. *Nam univerſa propter ſeipſum operatus eſt Dominus*, Prov. 16. 14. *Cœli enarrant Gloriam Dei*, Pſal. 19. 2. cum quibus Scripturæ locis confer ad *Rom.* 1. 10. *Sap.* 13. 5. *Eccleſiaſtici* 43. 16. Finis verò ſubordinatus eſt Hominum præ aliis ſub Cœlo Creatis εὐζωία. Quæcunque enim fabricavit univerſi Totius Architectus, videntur uſibus humanis aliquo modo inſervire. Nonnulla ſcilicet comparantur ad vitæ noſtræ Neceſſitates; ad Voluptates etiam non pauca. Sunt quæ Morbis noſtris medentur; ſunt quæ præſidia ſalutis exhibent. Alia videntur in exemplum nobis propoſita; in majorem Cautelam Alia. Quàm plurima eò ſpectant ut nobis proſint tantummodò; compluſcula etiam ut placeant unicé. Univerſa verò & ſingula ad Architecti noſtri Notitiam, Dilectionem, Adorationem ſummam alliciunt,

alliciunt, qui non solùm utilissima & Necessaria nobis suppeditat, verùm etiam Delectabilia.

Ordo Historicus.

§ 5. Utcunque sint qui asserunt, eodem temporis articulo Deum omnia creavisse, idque ex Dicto illo *Siracidis* probare satagunt, *Creavit omnia* * *simul Ille qui vivit in æternum*; Constat tamen *Ecclesiasticum* per vocabulum illud κοινῇ, non συγκαιρίαν innuisse, sed Creatorum συλλογὴν non eodem Res *Instanti*, sed ab Eodem *Architecto* universas creatas esse. Ità ut illud [*simul*] sit Collectivum *Specierum*; Nec aliter *Temporis* collectivum, quàm ut *unico simul Sextiduo* (non longo temporum decursu,) mirandum opus fuisse denotet omnibus numeris absolutum: nisi forsan referatur ad Primam illam & indigestam atque informem massam, quæ ex Nihilo simpliciter emersit *simul*, & ex qua omnia evestigiò emerserunt. Potuit Deus momento uno quicquid est rerum perfecisse. Placuit verò Omnipotenti Sex dierum Intervallum, utque integrum Mundi Systema opus esset ἑξαήμερον, quo dilucidiùs perspiceretur Divini Numinis, & *Libertas* in operando, & in ornando † *Sapientia*.

* Eccl. 18. 1.

† Ps. 104 24.

Primo die creavit Deus Terram Aquis coopertam, tenebrisque adhuc involutam. Terra enim * *Informis* erat, Totius structuræ Fundamentum, & Materia Operis substrata, quam ideo in *Medium* produxit Deus, ut *Centri* locum occuparet. Sed nè horrenda rerum facies, tenebris obsita densissimis, vel tantillùm permaneret; mox deinde, incubante Divino Spiritu, ad novum opus illustrandum ipsa

* Gen. 1. 2.

ipſa eſt *Lux* in lucem edita; cujus acceſſu Dies fieret, abſceſſu Nox. Neque Hoc ad Solis Ortum Sapientiſſimus Ille diſtulit, ne *Soli* potiùs quàm *Deo* deberi Lucem exiſtimaremus.

Secundo die Deus, ex hucuſque confuſa Mole produxit Aerem unà cum Igne, (ſi quod Tale ſit Elementum,) ipſumque Cœlum (Naturam Quintam, non omninò Elementarem,) Elementa undique Circumambiens. Aquas ab Aquis diſtinxit Deus & ſeparavit, ſuperiores ab Inferioribus. Non quidem illas quæ ſupra Cœlum finguntur Aquæ, ab Aquis infra lunaribus (quod volunt Aliqui,) ſed Nubes potiùs Pluviáſque ab Aquis Marinis & fluviatilibus longè voluit ſemoveri.

Tertio die, Aquæ cum Terra hactenus permiſtæ, ſecernuntur & recedunt, Deóque jubente in maria partim, partim in Flumina delabuntur. *Apparet ſtatim Arida*, Herbas omnigenas Arboréſque fructum ferentes productura. Nondum * Pluerat, nedum Tonuerat. Etiamſi enim *Tonitru* † *Vox Dei* dicitur & Mandatum. Non eſt tamen Vox eadem quâ * *Creatus eſt Mundus*. Expedita jam Tellus, faciémque varietate pulchritudinum induta, Animantibus mox creandis Hoſpitium præbet opportunum, præparat ſaltem, & pollicetur. Eodem die Creantur Angeli, (ſiquid conjecturâ poſſimus aſſequi ex Dicto D. *Pauli* ad *Coloſſenſes*, Col. 1. 16.) ſimul ac ſemel ad unum omnes: utpote nunquam ſucceſſivè, Animalium inſtar, propagandi. Nam licèt ortum Angelorum reticeat *Moſes* de induſtria, ut qui Populo adhuc rudi, & ad Cultum magis proclivi, quàm Doctrinæ de Spiritibus compoti ſatis, atque capaci, Hiſtoriam rerum

* Gen. 2. 5.
† Pſ. 104. 7.
* Jo. 1. 3.

* Gen. 3 24. & 16. 7. & 19. 1. Exod. 33. 2. Dan. 7. 10. Pſ 104. 4. Col. 1. 16.

rerum Aſpectabilium propoſuit ſibi deſcribendam; ſæpenumerò tamen *Moſes* de * *Angelis* meminit, narravítque. Id quod idemdem factitárunt (ſuis quiſque temporibus) Prophetæ deinceps orituri.

Die quarto creavit Deus *Solem* ſimul & *Lunam*, ſtellarum Principes; aliáque Cœli Luminaria, ſydera fixa Planetáſque, quibus Hanc Machinam exornavit. Horum ope & adminiculo ſunt Opera Dei aſpectabilia; opera ſua homines obire poſſunt; Plurima vim vitalem calorémque concipiunt; Menſes, Anni, anníque quatuor Tempeſtates (ad gratam quietis laborſíque viciſſitudinem) Noctes Diéſque diſtinguuntur; Morbi ſæpe Epidemii, Agrorum ſterilitas & fœcunditas, Tempora Medicis, Agricolis, Nautíſque prænonſtrantur; Dei inſuper omnipotentis vel Ira vel Gratia nonnunquam hominibus ſignificantur.

Quinti diei opus fuerunt Piſces, Volucréſque, quorum his Aer, illis Aquæ repletæ ſunt.

* Pſ. 104. 25. In Mari (inquit *Pſaltes*) *Reptilia* * *ſunt innumera*, multóque Terreſtribus majora. *Cauſa eſt evidens* (inquit *Plinius*) *humoris luxuria.* Quantùm enim *haleci cuniculus* cedit fœcunditate, tantùm *Elephas*, utut Bellua ex Terreſtribus oppidò maxima, Mole cedit *Leviathani.*

Denique die ſexto omne genus Animalibus, Pecoribus, Pecudibus, Feris & Reptilibus, Terra conceditur habitanda. Et Benedictionis iſtius vi, quâ *Creſcere* Deus jubet *& multiplicari*, iis ex æquo ad id diſpoſitis, prorſus ut Avibus, Piſcibúſque, Virtus eſt inſita Generativa. Poſtremò tandem nè *Domui*, conſtructæ jam & exornatæ, deſit diu Par *Domino*,

minus, qui Cœlum simul suspicere, Terram colere & calcare, universa contemplari, suúmque præsertim Conditorem Adorare queat animitùs, summisque laudibus celebrare; En eodem hoc Die emergit *Homo*. Non ut Reliquæ Creaturæ, Voce duntaxat imperatoriâ, Verùm inito quasi Consilio, (narrante *Mose*,) * *Faciamus*, inquit, *Hominem ad Imaginem nostram*. Quod ut videtur *Trinitatem* Deitatis indigitare, ità Ejusdem *Unitatem* quæ mox sequuntur consignificant. † *Et fecit* (inquit *Moses*) *ad imaginem suam*. Alii verò Tres * loci in Sacris Literis occurrunt, ubi *de se* utcunque *unico* quasi de *multis Jehova* loquitur, & eodem quo Hic modo; non ut operis difficultatem, sed Dignitatem intelligamus.

* Gen. 1. 26.

† Gen. 1. 27. & 5. 1.

* Gen. 3. 22. & 11. 7. Job. 4. 19.

§ 6. Jam ex prædictis est Colligere, Triplicem fuisse in πρωτοκτισίᾳ Summi Opificis Operationem. Imprimis enim Rudem cæcámque molem materialem, ex materia præexistente omninò nulla, *eduxit*, dicam? an *evocavit?* Deinde Tria isthæc Corpora, quæ Cœli, & Terræ, & Aquæ nominibus insigniuntur, primo Triduo distinxit, è Potentia in Actum educta priùs. Denique opera jam creata, suo quodque Ornatu, altero Triduo Consummavit. Porrò Modus Gradúsque triplex (placuit enim Creatori gradatim agere,) in Toto Sextiduo deprehenditur. Κτίσις sive Creatio, ποίησις sive *Effectio*, πλάσις sive Figuratio. Prima fuit ex merè Nihilo Productio, nimirum Productio materiæ primæ, Cœli sic dicti ἐφ' ὑπεροχὴν, Angelorum, Animarum humanarum, quarum primam Deus dicitur

Creandi modus gradúsque.

Gen. 2. 7. *Adami naribus insufflâsse*, & *Halitus Vita* denominatur. Secunda fuit Rerum ex materia jam extante, sed indispositâ, ut Piscium, Volucrum, & quicquid est uspiam Animantium. Tertia demum ex materia non planè rudi, sed preparatâ, fuitque *Adami* ex *pulvere*, & ex *costâ* ejus, *Evæ*.

Simulatque Deus opera Sex Dierum absolvisset, finem imposuit Opificio; neve species Creaturarum produxit novas, sed in productis acquievit; & in perpetuam rei memoriam, Diem *Septimum* mox deinde * Gen. 2 23. in Diem * *Sabbati* sanctificavit. Quidni enim post *Hominem* factum, omnibúsque numeris Absolutum, quiesceret Deus à καταστάσει, quum Homo deinceps futurum esset Habitaculum Dei quietissimum? In Domino Sabbati vicissim quærat Homo Quietem veram; & inveniet, modò utatur (non abutatur) Creaturis ad Obsequium & Servitium Creatori suo præstandum, non ad libidines ullas explendas, nec ut Finem aut Felicitatem in Illis fruendis sibi constituat. Faxit Deus, & studeat Homo, ut *Rivuli* omnes ad *Oceanum* deducant eum auspicatissimè.

In tota hac operum Creationis Oeconomia, Nondum erat *Putredo* illa, nec esse poterat; unde Ejusmodi Animalcula, quæ ex putredine enascuntur, nempe *Pediculi*, *Pulices*, *Lumbrici*, *Culices*, *Eruca*, *Vespa*, *Scarabei*, & similia, in rerum Natura nondum erant. Nec magis Illa Grandiuscula Animantium genera, ut *Mulus*, *Leopardus*, & similia, quæ ex varia diversarum specierum oriuntur Commixtione, Sextidui Creaturis sunt accensenda. Potentiâ tamen, licèt non actu, in aliis Animalium

lium speciebus, & materiâ habili latuerunt, indéque variis rationibus mirum in modum eruntur.

§ 7. Nec obstat Rerum Bonitati, earum aliquas esse *Noxias*, & vulgò haberi pro *Venenatis*. Nam id Naturæ *depravatæ*, non *Creatori* est imputandum. Nihil erat ante Lapsum nisi quod apprimè Bonum. *Deus mortem non fecit, sed fecit omnia ut viverent*, Hominemque speciatim *in integrum*. Nec sequitur, si quædam ad cibum nobis non conferant aut noxia sint, omnibus illico obesse eadem, omnique carere utilitate. *Pinguescunt* enim sæpe Cicutâ Capræ, quæ acre nobis venenum sudit; abiitque in proverbium, *Quod mihi Nocet, prodesse alteri.* Quot sunt *Esu* valde noxia, quæ nihilominus ad *medicinam*, morbósque plurimos propulsandos conducunt plurimùm? Ad hæc, quàm multa Naturis dissident, quæ harmonicâ tamen Symmetriâ consentiunt suaviter? Prorsus ut Concentus Musicus ex sonorum differentiis optimè constat diversissimis. Denique eousque Bonitatis suæ Thesauros explicuit Deus, ut *mala* etiam *moraliter*, mala *simpliciter* & *per se*, quæ ex Invidiâ Serpentis, lapsúque Protoplastorum, in Res Creatas subrepserunt, Ipse optimus maximúsque in optimos fines disposuerit. Notissimum est illud Sancti *Gregorii Oxymoron, O felix Culpa, quæ talem ac tantum habere meruit Redemptorem.* Et Elegantissimè *Augustinus* — *Neque Deus* (inquit) *ullum, non dico Angelorum, sed vel Hominum creavisset, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter præscisset, quibus eos bonorum usibus commodaret,*

Creatorum Bonitas Gen. 1. 31. non obstante malo moràli.

Sap. 2. 23.

De Civ. Dei l. 2. c. 18.

ret, atque ità ordinem seculorum, tanquam Carmen pulcherrimum, etiam ex quibusdam quasi Antithetis honestaret. Quemadmodùm enim *Antitheta* quæ *contrapositæ* appellantur, *in ornamentis Eloquii sunt* † *decentissima*, magisque mutuò elucescunt; *ità quadam non verborum, sed Rerum Eloquentiâ, Contrariorum* * *oppositione seculi pulchritudo componitur.*

† 2 Cor.

* Eccl. 33. 14, 15.

A quibus Erroribus hac de re abhorrendum.

§. 8. Multa sunt multorum opinamenta longè Erronea, à quibus maximopere cavendum est. *Aristoteles* cum *Chaldæis*, asseruit Mundi æternitatem. Ità Vir cætera acutissimus in hoc Articulo deliravit, & rationibus solidissimis non duntaxat Theologicis, verùm etiam *Aristotelicis*, nullo negotio refutatur. *Ægyptii* non æternum, sed *Antiquum nimis* Mundum commenti sunt. Quater scilicet cursus suos vertisse sydera, ex quo *Ægyptii* originem suam traxerunt; bisque Solem cecidisse in ea parte Cœlorum unde nunc dierum oritur. Monarchas in *Ægypto* usque ad tempora *Cleopatræ* regnâsse annos 70 000. Ab Astronomia ibi inventa annos fluxisse 100 000. Pingendi * artem priùs in *Ægypto* floruisse, quàm in Græciam transfretavit, Annos ad minimum 6000. Eo denique Dementiæ *Chaldæi* Veteres devenerunt, ut annos plus minus 70400 rerum Cœlestium cognitionem penes se esse gloriarentur. At verò *Moses* Propheta Primus, & Scriptorum Antiquissimus, & Thaumaturgus desuper eruditus, ità Mundi exortum & incunabula ad ætatem suam deduxit exactis calculis, ut chronologica Supputatio deinde ad nostram instituatur; quantóque temporis intervallo inde usque ab ini-

Diod. Sic. *l.* 1.

* Plin. *l.* 35 *c.* 13.

initio Creati Mundi diſtemus hodie, certis indiciis edoceamur. *Platoni* & poſtea *Philoni* placuit, ut poſtquam prima rerum Principia Ipſe Deus condidiſſet, ex iſtis Reliqua condenda Angelis ſuis demandaret. Mundos autem eſſe plurimos, eóſque omnes ex temerario Atomorum concurſu ſubinde naſci, atque in alios interire, Id *Leucippi*, *Democriti*, *Epicuri*, aliorúmque complurium vetus erat Deliramentum. Cum his omnibus damnamus quoſcunque *Materiarios*, qui ex materia quadam æterna Mundum exſtructum eſſe contendunt, *Simonianos*, *Gnoſticóſque*, qui velut indignum Deo opus ab Angelis conditum ſomniârunt. *Arianos*, *Doulianóſque*, qui ſoli *Chriſto* hoc opificium aſſeruerunt tanquam Patris Inſtrumento. *Priſcillianiſtas*, qui Diabolo. *Cerdonianos*, *Marcionitas*, *Manichæos*, alióſque, qui Duo rerum Principia ſibi contraria invexerunt. Ab his omnibus aliiſque, ſi qua horum ſint ſimilia, ſummopere cavendum eſt nobis omnibus, perinde atque abhorrendum.

CAP. VII.

De Angelis in genere.

Primæ obtinent inter Creata.

§ 1. AB explicato hactenus in genere *Creationis* Argumento, poſtulat Ordo ut ſpeciatim ad Res *Creatas* progrediamur. Et Hæ trifariam conſiderantur; vel ut à ſenſibus Externis ſunt remotiſſimæ; vel ut ſub Senſus corporeos cadunt, in eoſdémque

quasi incurrunt; vel ut Naturæ utriusque Participes fiunt. Medii generis Creaturas deposcit sibi Physiologia, eíque relinquit Theologia accuratissimè considerandas. Contenta primum, & postremum, (Angelos scilicet, Hominésque,) contemplanda sibi proponere. Quippe quibus, præ aliis omnibus quas posthabuit Creaturis, suam ipsius Similitudinem pro Bonitate sua immensa impertiit Deus.

A primo est ordiendum genere, propter Naturam Angelorum ab omni Corpore separatam, & propter id quòd à Divina jam propiùs abest.

Nomen. § 2. *Angelus* Nomen est Officii; *Spiritus* verò Naturæ; *Cherubim*, & *Seraphim*, aliáque id genus Nomina, sunt Excellentiæ. Nomen *Angeli*, cùm sit æquívocum, imprimis venit explicandum; quippe quòd in Sacra Pagina quadrifariam usurpatur. Quotiescunque *Cultus* divinus, divina *Opera*, Noménve *Jehova* in Sacris Literis de *Angelo* nudè enunciantur, toties Ipse Dei Filius Idémque Deus est Intelligendus. *Angelus* scilicet *Increatus*, quem Pater suus in Mundum *misisse* dicitur. Plerumque verò de *Spiritibus* unà cum Cœlo suo *Creatis*; semel atque iterum de * *Johanne Baptista*; † Sæpiùs autem de Sacerdotibus, Ministrísque Ecclesiasticis Nomen *Angeli* prædicatur. Omnes enim Hi *Nuncii*, ἀρανόθεν Emissi, * *Legationes* suas in Terra *pro Christo* obeunt.

* Mal. 3. 1. Mat. 11. 10.
† Esa. 33. 7. Mal. 2. 7. Apoc. 1. 2, 3.
* 2 Cor. 5. 20.

§ 3. De

§ 3. De ipso Die quo Angeli creati sunt, tot sunt Divortia opinionum, ut utiliter eas omnes mittendas censeam. Placuit mihi Dies Tertius. Sufficitque * Creatos esse. Sufficiat etiam esse *Spiritus*; nullo loco circumscriptos; & quibus *Parietes non obsistunt*, in *ubi* esse *definitivè*; Cognitione præditos esse tam *Matutinâ* quàm *Vespertinâ*, (ut loqui amant Scholastici;) eáque perfrui illos noeticè, sive intuitivè, per ipsas *Essentias* Objectorum; non discursivè, seu Dianoeticè, per *species* rebus superadditas, aut ulla loquendi Instrumenta, nisi quando Corporibus admodum liberè sibi assumptis, & ad tempus tantummodo (ut legationibus fungerentur,) neque sui sed alieni Ministerii causâ, cum quibusdam Deo Charissimis sermones aliquot conseruerunt. Variis autem modis (licèt in eundem sensum) Varii *Angelum* definierunt. *Athanasio* ζῶον ἐστι λογικὸν, ἄυλον, ὑμνολογικὸν, ἀθάνατον. *Nazianzeno* Φῶς δεύτερον τοῦ πρώτου φωτὸς ἀπόῤῥοὴ, πρῶτος τῆς ἄνω δόξης ἐπόπτης καὶ μάρτυς. *Damasceno* etiam ἀεικίνητος, αὐτεξούσιος, οὐσία νοερὰ Θεῷ λειτουργοῦσα κατὰ χάριν, &c. Omnes omnium Descriptiones in hanc unam recidunt. Angeli in genere considerati sunt Essentiæ spirituales, ità corporeæ molis expertes, ut tamen non sint Actus simpliciter Puri ut Ipse Deus, sed omni physicâ compositione vacantes, excellenti intelligentiâ & Voluntate aliisque dotibus pollentes, à summo Numine Creati in eum finem, ut Creatorem suum celebrent, Conservis suis hominibus jussu Domini inserviant, Ipsique in æternum vitâ beatâ perfruantur.

Natura.

* Psal. 104. 4. Col. 1. 16.

Hierarchia. § 4. *Dionysius* & Scholastici, Illius Sequaces, Philosophantur, (penè dixeram comminiscuntur,) Triplicem esse in Cœlo Hierarchiam Angelicam, (præter *supercœlestem* quæ Dei est, & *subcœlestem* quæ est Hominum;) In prima Classe *Cherubim*, *Seraphim*, *Thronique* constituuntur. In secunda *Dominationes*, *Potestates*, *Virtutesque* recensentur. In tertia Demum *Principatus*, Archangeli, Angelique collocantur. Angelorum autem Ordines Illi soli innotuerunt, qui eos Creavit, atque distinxit.

† Eph. 1. 20. Col. 1. 16. *Quid inter se distent* † *quatuor illa vocabula, quibus Angelos universos videtur Apostolus esse complexus, fateor* (inquit * *Augustinus*) *me ista ignorare.* Illud autem ignorat Nemo, Nemini saltem ignorare fas est, ex Angelis alios in Bonitate permansisse, alios ab ea defeciisse, unde Duplices esse constat, de quibus deinceps agendum erit.

* *In Enchir. ad Laur. c. 58.*

CAP. VIII.

De Angelis Bonis.

Eorum Natura, & Electio. § 1. EX duplici Principio, uno Naturæ, & Gratiæ altero, Bonorum Perfectio petenda est. Et utrique sanè Principio Finis Analogus assignatur; ratione Principii *Naturalis*, omnes ex æquo Boni Beatique fuerunt Angeli; respectu *supernaturalis*

lis & Bonitatis & Beatitudinis, (cujus Gratia Principium est, Gloria verò complementum.) Eos tantùm perfectè Beatos dicimus, quos SS. Scriptura * *Electos* vocat. Quamvis enim eâ, quæ ad *Redemptionem* restringitur *Mediatio*, nullum Angelis in origine perseveraturis opus esset; Eundem tamen *Jesum Christum, per & propter quem omnia consistunt*, Angelorum unà & Hominum † *Caput* esse & *Mediatorem*, ejúsque Gratia Confirmante beatis Angelis opus esse, Sacrosancta Scriptura evidenter satis testatur. Electi enim qui sunt ex prævisa perseverantia ab æterno, non ex *Natura*, (eâdem omnibus ab initio ex æquo datâ,) sed ex *Gratia* duntaxat perseverantibus concessa, idque in *Christo Mediatore* qui Gratiæ omnis Fons est, *Electi* sunt. Quòd *Gratia* hæc Naturæ addita *naturam ipsam* non tollit; & quòd *Natura* antecedenter, atque in se considerata, Peccare queat; ex Scriptura, Ratione, ipsóque Rerum eventu liquet. Ea est autem *Gratia* à Capite Christo concessæ vis, ut extra omnem peccandi periculíque aleam positi, in innocentia sua persistent, Deóque finaliter obsequantur. Idque liberrimè, non coacti: utpote quorum *Confirmatio* arbitrii libertatem corroborat potius quàm imminuit; ut rectè docet † *Augustinus*, (*Enchirid.* c. 105.) Ejúsque Discipulus meritissimus. *Divino justóque judicio* (inquit * *Prosper*) *factum est, ut fieret permanendi voluntaria felixque Necessitas.* Neque tamen Beatitudinem *meruisse* Angelos existimo, (quod tamen *Scotus* & *Thomistæ* cum *Bonaventura* audacter aiunt) sed arridet mihi magis *Lombardi* Dictum, † *Præmium in illis præcessisse Meritum.*

* 1 Tim. 5. 21.

† Col. 1. 16, 17, 18, &c.

† *Enchirid.* c. 105.

* *In Vita Contempl.* c. 3.

† *Lomb.* 2. *Sent. Dist.* 5.

§ 2. Ad

Officia & Opera.

§ 2. Ad Angelos ſic Electos & Comprehenſos Hoc attinet, ut in Conſpectu Dei, aſtent, eúmque jugiter collaudent. *Seraphim ſtabant & clamabant,* (*alter ad alterum ἀμοιβαδὸν,*) *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* &c. *Eſa.* 6. 3 *Facta eſt cum Angelo Multitudo laudantium Deum,* &c. *Luc.* 2. 13. Eorundem eſt Deo miniſtrare, Juſſa ejus expedire, voluntatem nonnunquam manifeſtare. Id quod ex Hiſtoria *Agar, Abrahami, Jacobi,* Nativitatis Dominicæ, aliiſque, abundè patet.

* Pſal. 91. 11. Heb. 1. 14. Eorum eſt * hominibus Conſervis ſuis inſervire; circa perſonas quæ verè diligunt timéntque Deum Caſtrametari; Infantes curare & cuſtodire; Adultos *in viis ſuis* (aut vocatione ſua) protegere; Evangelii quaquaverſum Diſſeminationem promovere; Ejuſdem Progreſſu feliciſſimo, Hominúmque

* Luc. 15. 7, 10. † Dan. 12. Tob. 8. Apoc. 12. 2. * Gen. 19. 16. Num. 22. 4. † Pſal. 34. 19. & 91. 11. Peccatorum Reſipiſcentiâ * delectari; contra Satanam † dimicare; à Malis culpæ * amovere atque defendere; à Malis pœnæ † cuſtodire & conſervare; Peccata hominum vindicare atque ulciſci; (*Gen.* 3. 2. & 2 *Sam.* 24. *Eſa.* 37. 6.) pro delictis increpare; (*Jud.* 2. 2.) Tentationes mitigare; (*Gen.* 32. 12.) Afflictos conſolari; (*Tob.* 5. 8.) in via Domini confortare; (3 *Reg.* 19. 9.) arcere Dæmonas malignos; (*Tob.* 12. 5.)

* Tob. 12. 15. * Orationes Fidelium ad Interceſſorem noſtrum deferre; Omnibus piè moribundis in adjutorium præſto adeſſe; Piorum animas

Luc. 16. 22. poſt mortem in Paradiſum deportare; Statûs à Deo ordinati, ſeu Eccleſiaſtici, ſeu civilis, quà Politici, quà Oeconomici, curam ſedulam adhibere; Denique *Chriſtum*

* *Media-*

* *Mediatorem*, cùm ad Judicium venerit, comitari. Effatum illud † *Bernhardi* Boni, [*Adsunt Angeli, & adsunt Tibi, non modò tecum, sed etiam pro Te, adsunt ut protegant, adsunt ut prosint,*] hunc Paragraphum concludat.

* Mat. 13. 30, 39. 25. 31. 1 Thess. 4. 16.
† *Serm.* 10. *in* Ps. 91. 11.

§ 3. Sicut *Tempus* Creationis, ità *Numerus* Angelorum incertus est. Hoc habemus pro Certo, numerum esse Copiosum. Nam *Jacobo* quot *castra* integra Angelorum apparuerunt? *Eliseum* contra *Syros Exercitus* Igneus in tuto præstat. Vidit *Daniel* millia Millium *Antiquo Dierum* ministrantia, immò *decies centena millia* eidem humiliter assistentium. Christique *Duodecim Legiones* ex 81960 constant, si calculos rectè posuit subduxitque * *Vegetius*. Eorum Numerus iniri minimè potest ab hominibus, a Deo maximè.

Multitudo.
Gen. 32. 2. 2 Reg. 16, 7 Dan. 7. 11. Mat. 26. 53.
* *De re militari l.* 2. *c.* 6.

Admirabilem Angelorum perseverantium potestatem exinde est colligere & conjectare, quòd unus Angelus una nocte primogenitos in Ægypto clade perdidit internecinâ. Unicus Angelus uno Triduo 70000 in *Davidico* Populo interfecit. Atque in Castris *Assyriorum*, unus 185000 unicâ nocte trucidavit. Porrò ad Horum Potentiam spectat, quòd tam planè ineffabili (tantùmque non incredibili) pernicitate sint prædicti, ut * Vento & Igni flammanti vel per *Meteora* comparentur. Tantâque subtilitate, (quum Spiritus sint,) ut nullo obice corporeo eorum accessus impediantur.

Potentia.
Exod. 12. 23, 27. 2 Sam. 24. 15. 2 Reg. 19. 35.
* Ps. 104. 4.

Sed quantumlibet reverendi admirandique sint Angeli qui statum servârunt Originalem, nulli

nulli sunt tamen adorandi, quoniam nobis *Conservi* audiunt; Deóque Soli serviendum, Qui *Manoa* apparuit, *non sibi*, sed *Domino*, Holocaustum offerri voluit. Et salubriter *Paulus* monet, nè quis cultu Angelorum Palmam nobis intervertat.

Mat. 4. 10. Apoc. 19. 1. & 22. 8. Judic. 13. 15. Col. 2. 18.

USUS Triplex.

§ 4. Jam Totius hujus Capitis *Triplex Usus* se nobis offert. Primus est ut Nosmetipsos in rebus arduis consolemur, eo quòd Deus etiam *Angelos*, tam numero quàm Virtute potentissimos, ad nos misellos sublevandos, tanquam milites præsidiarios, aut Satellites, nobis adjungi constituerit. Verisimile est enim, quòd non † *Singuli* tantùm singulis, (quemadmodùm *Socrati* suus Δαίμων ἐπίτροπος, & unicuique ex *Pythagoreis* Φίλαξ suus οἰκειότατος,) sed singulis Deum ritè colentibus * *Plures* Angeli Tutelares divino jussu administrant. Secundus est usus, ut à peccatis, quæ in conspectu *Angelorum* æquè ac *Dei* admittuntur, animos nostros avocemus; & (præcepti istius memores, αἰσχύνεο Σαυτὸν,) ad probitatem pietatémque exercendam nos pro virili accingamus. Ut exemplo Angelorum, qui nobis se longè inferioribus inserviunt, Servis nostris vicissim non dedignemur inservire. Denique dum Cordium Scrutator videt, Angelus Custos assistit, mors minatur, Diabolus accusat, mordet Conscientia, Infernus Rictum dilatat, † *Bernhardi* verbum illud, nè cum tempore evanescat, nobiscum indies recolamus. *In omni loco, in omni angulo, reverentiam exhibe tuo Angelo, neque Illo præsente facias, quod me præsente erubesceres.* Tertius est usus, ut ad agendas Deo

† Mat. 18. 10. Act. 12 15.

* Gen. 32. 2. 2 Reg. 6. 17. Psal. 91. 11.

† *Serm.* 12. *in* Psal. 91.

Deo gratias excitemur, propter Custodiam hanc Angelicam nos in periculis circumvallantem; utque laudibus summi Numinis vacemus perpetim celebrandis.

CAP. IX.

De Angelis Reprobis sive Diabolis.

§ 1. QUos præscivit Deus omniscius *in Veritate non* * *mansuros*, † *Domicilium derelicturos*, ab innocentia primæva defecturos, & perstituros in malitia, ideóque decrevit in judicium, æternis vinculis constrictos, sub Caligine reservandos, & deturbatum iri in Tartarum; (2 *Pet.* 2. 4.) Quantumvis Angeli, Spiritúsque ab ipso Deo in puritate pietatéque Concreati, summâ prædicti sagacitate, donati liberâ Voluntate, & ἐν τῇ προαιρέσει agentes omnia, ex *Puris* sponte sua *Immundi*, ex Piis Pessimi, ex Beatis maledicti, Miserrimique evaserunt; & notabili Nominum Varietate in Sacris Literis insigniuntur. Princeps eorum & Coryphæus vocatur *Beelzebub*, *Satanas*, *Diabolus*, *Tentator*, *Accusator fratrum*, *Princeps Mundi*, *Deus hujus Seculi*, *Leo rugiens*, *Serpens*, *Abaddon*, *Apollyon*, & Ἀνθρωποκτόνος ἀπ' ἀρχῆς. Ipsius Angeli Inferiores vocantur *Dæmones*, atque *Dæmonia*, *Rectores Tenebrarum*, *Spiritales Nequitiæ*, *Principes*, etiam, & *Potestates*

Natura & Nomina.
* Joh. 8. 44.
† Jud. v. 6.

restaures, ad Vim & Potentiam exprimendas.

Pravitas Summa & Voluntaria.

§ 2. Potuisse Spiritus semel Integros ita simul descisçere, ità suis facultatibus αὐτεξουσίοις valde abuti, atque à Scopo aberrare, ut de integro non possint, nedum in Integrum restaurari, ex S. Scripturis, & ab effectu, plus satis constat. * *Sicut Fulgur de Cœlo videbam Satanam cadentem. Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed Catenis noctis* (ait *Petrus*) immò *vinculis æternis* (inquit *Judas*) *sub Caliginem reservavit.* Quânam verò Peccati specie lapsi sint Angeli, & à statu defecerint primigenio, varie conjicitur à variis, & adhuc versatur in ambiguo. In verbo Dei non exprimitur ἀνωτέρω. Nec inhonestum est nescire. Sunt qui *Invidiam* fuisse aiunt, exinde ortam, quòd *humanam* in Christo Naturam supra Angelicam efferendam decrevit Deus. Sunt qui *Peccatum in Spiritum Sanctum* cadentibus Angelis impingunt. Alii *Legis* nescio cujus peculiaris *Contemptum*, qualis fuit Parentis primi. Alii pistillo obtusiores, ità quod dictum est *Gen.* 6. 2. malè intelligunt & detorquent, in Scortationis nescio quam speciem ipsis Angelis affingant. Plerique verò Theologorum, Tam ex operibus quibus Diaboli indolem suam & ingenium plus nimio prodant, quàm ex Scripturis quibusdam colligunt, * *Superbiam*, & *Arrogantiam*, *Ambitionemque* fuisse Crimen, quod *Primi* Peccantium crearunt *Primum*, & fortasse quis vocet *in-non-Triplex.*

* Luc. 10. 18. 2 Pet. 2. 4. Jud. 6.

* Gen. 3. 5. Mat. 4. 9. 1 Tim. 3. 6.

§ 3. Du

§ 3. De mora aliqua & Interstitio inter *Creationem* horum Spirituum, & eorundem *Apostasiam*, quarum *Illa* erat *Dei*, Hæc *Diaboli* operatio, ex eo satis supérque constat, quod aliter vitii Causa in Creatorem ipsum recideret. Apagè ergo *Manichæos*, qui Angelos quosdam *natura sua* fuisse Malos asseverárunt. Apagè etiam & *Scholasticos*, qui extemplo post primum Creationis momentum Angelos necessariò peccásse statuunt. Apagè omnes, qui ex nudo *peccare potuisse* in istis Angelis, malignè inferunt & absurdè, *non potuisse non peccare*. Eo loci ubi dicitur, Diabolum * *ab initio* fuisse Homicidam, non initium *Diaboli*, sed *Mundi Hominisque* initium respicit. Creatus erat *in* † *Veritate*, utut in eadem (testante Christo) NON STETIT. *Non concreata, sed irrixmtos.* * Joh 8. 44. † *Ibid.*

§ 4. Integritatem amisit Satanas, non Essentiam, non vim, non facultates naturales, quæ etiamnum manent tam validæ, ut vel ideo assimiletur & * *forti Armato*, & † *Leoni*; Nec *Mundi Princeps* duntaxat, (*Jo.* 12. 31.) sed & *Deus hujus Seculi*, à Sancto Apostolo appelletur, 2 *Cor.* 4. 4. qui idcirco nos jubet in procinctu semper stare, & usquequaque cataphractos; *Induite* (inquit ille) *totam Dei Armaturam, ut possitis stare adversus Diaboli Insidias*. Ratio sequitur * *ibi loci* (si qua unquam) certè gravissima, & perpetim nobis revolvenda. Neque tamen pro arbitratu quicquid *libet* potestatem patrandi habet Hic Κατωνάγιτος, sed ità intra certos cancellos stringitur, ità Catenis detinetur, ut nisi Dei *Potentia permagna, sed determinata.* * Luc. 11. 21. † Pet. 5. 8. * Eph. 6. 13, 14.

Job 1. Dei nostri permissu, (quæsito priùs, & interdum impetrato,) nihil cuiquam nocumenti afferre valeat: Christo non permittente, *Porcos intrare nullus poterat*; nedum † *Pediculos* evocare. Et testatissimum hoc facit Historia *Jobi*, quòd Potestatem modò *exilem* & merè *precariam* habet Diabolus. *Leonem istum Infernalem tenet Deus ligatum*, ut rectè *Gerson*. A seipso *libidinem nocendi habet, sed à Domino* * *potestatem*. Quod enim facere iniquè appetit, Deus non nisi justè permittit fieri. Facit quod potest permittente Deo; Quod potest non facit Deo potenter prohibente. In hunc sensum *Gregorius Magnus*. unde sequitur, *Mirabilia* quæ *multa* edit Egregius Artifex, *Miracula* esse veri nominis omninò *Nulla*. Nam ut aliquid fiat aut perpetretur præter ordinem Naturæ alicujus particularis, aut præter ordinarium agendi modum, ad *Miraculi* rationem nequaquam sufficit, (ità enim & lapis in sublime jactus miraculi speciem exhiberet, quandoquidem sursum tendere & efferri, sit præter lapidis naturam;) Sed ex eo est *Miraculum*, (ipsique Deo peculiare,) quòd præter Ordinem Totius Naturæ Creatæ, in actum exit; unus *Deus* est *Thaumaturgus*, τερατουργὸς tantùm *Diabolus*.

Mat. 8. 31.
† Exod. 8. 18.
* Greg. *Moral.* l. 2.

Opera & Effecta. § 5. Diaboli Opera & Effecta, circa quæ cum suis Angelis versatur plerumque & occupatur, ab operibus Electorum δὶς διὰ πασῶν discriminantur. *Diabolus* enim Deum ipsum ità atrociter calumniatur, ut Mendacii atque * Invidiæ eundem postulet, & accuset. Seminando Zizania † per hæreticos schismaticósque,

* Gen. 3. 4.
† Mat. 13.
2 Cor. 4. 4.
2 Cor. 12. 7.

ticósque, & ſemen Verbi, ex cordibus hominum auferendo, Evangelio ubique diſſeminando obices ponit indeſinenter; mentéſque hominum excæcat. Converſionibus Peccatorum pro ſummis viribus adverſatur, eorúmque flagitiis exultat maximè. Ad ſcelera incitat & impellit, impulſos ſatagit præcipitare, & nequando reſipiſcant ab ejus laqueis, diligenter cavet invigilátque. * Pios aſſiduè peſſundat, & quoad ejus poteſt, perdit. *Circumit ut leo rugiens, quem devoret quærens.* † *Draco Ille Magnus qui & ſerpens antiquus dicitur, Seductor* eſt Idem; & *Accuſator totius Mundi die & nocte coram Deo.* Porrò Jehovâ permittente, id eſt, non impediente, Quicquid eſt Corporum naturalium huc illuc rapit, contorquet, horſum verſum propellit; diras ciet Tempeſtates; incendit fulgetra; fulmina paſſim ejaculatur; collectis nubibus colliſíſque, fragores edit perquàm horribiles; Concuſſas ædes urbéſque à fundamentis ſæpe convellit; Terram quandoque dehiſcentem in voragines diffindit diffringíſque formidandas; Aërem venenatis halitibus implet; Paſcua fontéſque nonnunquam inficit; morbis plurimos infeſtat; forſan & nonnullos viciſſim ſanat, ut in majorem ſui perniciem *Patri* credant *Mendaciorum*, eúmque pro *vero* revereantur. Nec in *Corpora* duntaxat hominum pecudúmque inſilit aliquando, ſed ad *mentes* etiam humanas ità *Diabolus* illabitur ut turbatâ hominum *Craſi*, ſenſibúſque tum externis tum internis immutatis, (ſítne ex parte organi, an ex parte objecti, an ex utraque hoc factum, non eſt meum definire,)

2 Tim. 2. 26.

Joh. 8. 44. † Eph. 2. 2.

* 1 Pet. 5. 8.

† Apoc. 12. 9.

nire,) facultates naturales mirè incitet, & inficiat; illecebrísque semper objectis, ad scelerum pessima sæpe instiget. Nimirum flammas simultatum & odiorum certatim excitat, libidinum fomites subministrat; commotâque hunc in modum utrâque hominum facultate, *Irascibili* simul, & *Concupiscibili*, τὸ ἡγεμονικὸν sæpe ipsum de statione sua deturbat; excussóque Gubernaculo, transversum agit.

Quæ gratiâ divinâ frustrà sunt.

§ 6. Sed non obstantibus his præmissis, in eo stat solamen & Salus nostra, quòd limitibus undique clathrísque ità Diabolus cohibetur, ut *voluntatem* nostram *directè* nullus possit *movere*, nedum *cogere*. Non in iis duntaxat, qui Sancto Dei aguntur Spiritu, nulla est *Condemnatio* ab hoc *Inimico* metuenda; Sed nec iis qui *ex Patre Diabolo sunt*, *ejúsque explent Cupiditates*, ulla est *Excusatio* à Tentatore hoc speranda. *Omnes*, etiam Pientissimos, *aggredi* potest, & *adoriri*; *Neminem* verò nisi *volentem* prosternere potest, aut profligare. Habentes autem pro comperto, quàm vafer, quàm versipellis, quàm ingeniosè semper nequam, neque solummodò quàm malignus, sed & quàm Potens nobis sit Hostis; oportet ut eò * *cautiùs* in omnibus viis nostris & vitis, *Prudentiúsque* ambulemus; ut ad Fidem, & Patientiam, & ad orandum ἀδιαλείπτως in majus quotidiè excitemur. ut *induti* πανοπλίαν, & *lumbos nostros succincti*, viriliter *resistamus in die malo*. Utque Dæmoniorum * suppliciis moniti, ab Invidia superbiáque præ cæteris vitiis abhorreamus.

* 1 Pet. 5. 8.

Eph. 6. 13, &c.

* 2 Pet. 2. 3.

CAP.

CAP. X.

De Homine.

§ 1. UT Homo in statu primigenio Cœli Terræque fuit Compendium, & quicquid est divisim in Creaturis, conjunctim in Homine invenitur; Ità propter *Imaginem Dei* quam Deus in Homine quasi *pingebat*, Homo integer adhuc vitæ, Sceleriſque omninò purus, non tantummodò *Opificium*, (cujus quanti quanti *Epitome* erat, atque *Synopsis*,) Sed quadantenus & à longè Ipsum *Opificem* referebat. Nam ut missas faciam varias, Theologorum cùm veterum tum Recentiorum, de hac *Imagine Dei* sententias, quæ à se invicem mirè abeunt, (& quas vel cursim recensere prolixum foret,) * *Scripturæ* vestigiis insistens unicè, Hoc amplector Ratiocinium. Inprimis utcunque concedi queat, concinnè posse excogitari respectus varios, quibus Homo cum Creatore quandam habet *similitudinem*, (Exempli gratiâ) respectu Animæ spiritualis, incorporeæ, immortalis, intelligendi & volendi facultatibus imbutæ, liberæ quoad Electionem rerum ab extra & Civilium, corpori suo imperantis, Animalia cætera præcellentis, Dominium in ea exercentis, eodem temporis articulo Terrarum Orbem lustrantis, atque (ampliato in

Qualis, ante Lapsum, Imago Dei.

* Coloſ 3. 10. Eph. 4. 23. 2 Cor. 3. 18.

amplexus Cœlorum animo contemplante) Quicquid est usquam Circumeuntis, & sic quodammodò ubiquetariæ; Constat tamen *Imaginem Dei* in His quærendam non esse, secundum eam Notionem quam in Adamo ante lapsum Scriptura exhibet & instituit, siquidem Homini non renato, immò & Angelis reprobatis, omnia hæc competunt privilegia. Deinde constat *in solo Christo* extitisse *Imaginem Dei substantialem*. Unde Tertio loco colligitur, quòd *Imago Dei in prima homine adhuc integro, Justitia* fuit *indelibata, Sanctitásque Veritatis*, id est *Vera*, juxta Hebræum Idiotismum. Et ad *Hanc Imaginem*, lapsu hominis amissam, Renovari hos Homines necesse est. *Eph.* 4. 23. Est enim *Regeneratio* per Spiritum Sanctum, Nova & *Altera* quasi *Creatio*, per quam *Imago Dei* amissa in *Regenerato* restituitur. *Inchoativè* quidem in Terra, in Cœlis verò *Consummativè*. Summatim dico, quòd per *Imaginem* hanc fiebat, ut Ratio humana Deo suo subderetur, Voluntas Rationi, Affectus omnes Voluntati; ità ut esset Virium omnium atque Potentiarum Harmonia in homine exquisitissima.

Appetitus sensitivus quam purus.

§ 2. Ad quorundam objectiones maturè antevertendas, Distinguendum est nobis illicò inter ipsos Appetitus in Protoplasto Naturales, & eorundem in lapsu *ἀπαξίαν*. Appetitus sensitivus ante lapsum Rationali appetitui non omninò contrarius erat, sed pulcherrimè Conformis. Nondum enim limites egressus erat. Sicut *in Christo* fuit cibi, & potûs, & somni Appetitus innocentissimus;

mus; Sic in *Adamo* ante lapſum, quidni Conjugis Appetitus Amórque eſſet ordinatus, atque ab omni labe vacuus? Hanc non modò Animæ, ſed etiam Carnis in *Adamo* Integritatem, Ipſius *Nuditas* indicio erat, & *Paradiſi Inhabitatio*. Quid enim Eum ejúſve Conjugem tunc temporis ſuppuderet, cùm nullam *legem in membris* ſuis *Mentis legi* repugnantem ſentire poſſent? Nullus in corpore motus erat, cui modeſtia deberetur. *Nihil putabant velandum* (ut rectè * *Auguſtinus*) *qui nihil habebant refrenandum*. Iſthæc Imago Dei in homine non erat Donum Naturæ additum, aut ſupernaturale, (quemadmodùm nonnulli, magni nominis, contendunt,) ſed cum homine Concreata, & totius hominis Perfectio. Id quod ex † Reliquiis ejuſdem Imaginis poſt lapſum, non obſcurè quis colligat.

Eccleſ. 7. 30. Rom. 7. 23.

* De Gen. ad lit. l. 2. c. 1.

† Rom. 2. 14, 15.

§ 3. Ut Homo conſtat ex duobus, ex Corpore ſcilicet Elementari, Animáque rationali, unionis hypoſtaticæ arctiſſimo vinculo colligatus; ità reſpectu utriuſque, conditus eſt à Deo * ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, *ad conditionem incorruptam*, ut *Tremellius* vertendum cenſuit. Et Hæc *Imaginis* antedictæ, non tam *Pars*, quàm *Sequela* fuit. Corpus *Adami* ante lapſum, non fortaſſis *ex Natura*, ſed ſaltem ex Dei Beneplacito ſimúlque Pacto, ſi perſtitiſſet in Veritate, prorſus *Immortale* futurum erat. Nec niſi Pacto violato ad naturalem Mortalitatis conditionem rediiſſet. Mortem Peccati pœnam eſſe, multifariàm poteſt probari. Ex ipſa hominis † *Creatione*. Ex omnium hominum *Conſcientiis*.

Protoplaſti Immortalitas.

* Sap. 2. 23.

† Gen. 1. 27.

* Gen 25. 8. Ex humanæ Naturæ *Prærogativis.* * Ex congregatione Patriarcharum *ad Populum suum Patrêsque.* Ex piorum *ad* † *Deum Profectione,* (*Ps.* 31. 6. *Eccles.* 12. 7. *Sap.* 3. 1. *Mat.* 22. 23. *Luc.* 22. 46. *Act.* 7. 59. 2 *Cor.* 5. 1.) Ex Impiorum ad cruciatus Condemnatione sempiternos. Ex eo quòd homini Mors per * *minas,* & ut *supplicium* denunciabatur. Idque palam facit Comminationis *Executio.* Gen. 3. 19. *Corpus* † *moritur propter peccatum,* Rom. 5. 12. Ergo in statu Integritatis nullum mors locum habere potuit.

† 1 Pet. 2. 25. Heb. 13. 17. Mat. 10. 28. * Gen. 2. 17. Gen. 3. 19. † Rom. 8. 10. 1 Cor. 15. 21.

Transmissa etiam ad Posteros.

Adjici hisce Argumentis pro nostra immortalitate possunt alia non pauca ex Sacris literis; ut à Mercede *Abrahami* quæ Deus est, *Gen.* 15. 1. à Sanguine *Abelis* Vindictam exposcente, *Gen.* 4. 10. à Raptu *Enochi*, *Gen.* 5. 24. à fiducia *Jacobi* spiritum ultimum trahentis, *Gen.* 49. à Parabola Salvatoris, *Luc.* 16. 26. ab eodem asseverante, Animas hominum ab hominibus occidi non posse, *Mat.* 10. 28. à Sancto *Paulo* ad Christum migrare admodùm gestiente, *Philip.* 2. 23. ab impiorum spiritibus incarceratis, 1 *Pet.* 3. 19. à clamore Animarum, sanguinis sui ultionem elatâ voce postulantium, *Apoc.* 6. 10. denique ab *Absurdo* quod non posset non inferri, si res aliter se haberet. Nisi enim post mortem superstes esset Peccator maximus, malè conscius non haberet cur de suppliciis post mortem vel tantillùm sibi metueret. (*Si in hac solùm vita speramus in Christum, omnium hominum sumus miserrimi.*) cum Pessimis optimè ageretur, & vehementer flagitiosis, res succederent felicissimè, ἀτέπων ἀτεπότατον.

2 Cor. 5. 10. 1 Cor. 15. 19.

Fun-

Fundamentum Animæ *Immortalitatis*, quatenus ratione probari potest, in eo positum esse videtur, quòd ex pugnantibus qualitatibus non (ut Corpus) componitur; sed tam simplex est ἐντελέχεια, sive Actus informans, ut *generari* non possit, ideóque non *corrumpi*, nisi sensu *morali* tantùm. Deinde *Anima Rationalis* non est tantùm *incorporea*, verùm etiam est ὑπόστασις *per se subsistens*; Anima Corpore non eget (sed Corpus Animâ) ut operandi Munus obeat, nedum ut suam essentiam habeat. Et ex rei cujusque agendi modo, existendi quoque ratio colligi potest & conjectari. Adhæc, quod *Cicero* non levis momenti duxit, *Vigere Animum in somnis, atque ità esse affectum, ut sopito corpore & pene mortuo, Ipse vivat vigilétque.* Exinde etiam satis liquidò constare queat, Animam Hominis *Esse per se subsistens*, quippe quæ *citra ullum medium* humano Corpori unitur, modo prorsus incomprehensibili: *Unio lucis cum aëre* adumbrat forsan, aut illustrat aliquantillùm, quam habet Anima unionem cum suo corpore, ad vivum tamen haud explicat. Nam licèt Anima in corpore, ut lux in Aëre, nec tollit Corporis Naturam, nec suam mutat; cætera tamen tam sunt dissimiles, ut Lux sit nuda *Qualitas*, Anima verò *substantia*. Lux ab ipsa Solis substantia manat; sed ex ipsa Essentia Dei Anima hominis non item. Porrò *Anima irrationales* reliquorum omnium Animantium, ex eadem materia cum suis singulis corporibus creatæ sunt; indéque Corporibus resolutis, intereunt omnes illorum Animæ. Sed Deus Homini priùs efficto *spiraculum vitæ inspiravit*. Unde erat

Non repugnat Rationi.

Cic. *de Divinat. l. 1.*

Gen. 1. 20, 24.

* Thes. 5. 23. erat forsan quòd divus *Paulus* ex * Tribus *Hominem* Principiis constare dixit, quorum *Tertium* est *Spiritus*, præter *Animam*, & *Corpus*, quæ *Brutis* competunt Animalibus. Quod ut Animam interitûs expertem probat, Sic ejusdem etiam *Origini* (non duntaxat in *Adamo*, sed præsertim in ejus Posteris,) inserviet forsan enucleandæ. Nam

Qualis Animæ Origo.

§ 4. De *Origine* Animarum ità ubique controvertitur, ità certatim desudatur, ut in hoc uno conveniant omnes, quòd Ejusdem Indagationem fatentur esse difficillimam. De *modo* Originis derivandæ, Quinque sunt Dogmata discrepantia; de ipsa *Origine* Animarum, ad minimum Quatuor. Nonnulli in ea sententia erant, singulas simul Animas fuisse creatas ab initio, in Apotheca cœlesti asservatas, de tempore in tempus corporibus suis infundendas. Nonnulli verò Animarum certum Numerum statuentes, eas, prioribus occumbentibus, in nova corpora migrare dogmaticè asseruerunt. Nunc dierum contendunt plurimi, æquè Animas hominum ac Corpora ab unitis Parentibus propagari. Plurimi etiam asseverant, Novas quotidiè creari Animas, nascentiúmque Corporibus toties quoties infundi. Priores duas opiniones (quarum illam *Origenes*, hanc *Ægyptii* & *Pythagorei* amplexi sunt,) jamdudum explosæ penitùs ferè exoleverunt. De duabus posterioribus acres olim viguerunt simultates, & etiamnum enutriuntur, à Deo Animam derivari, Pauci negant. Immediaténe verò, an secus, consentiunt Pauci.

Utrum

Utrùm creata sit ἀμέσως, atque *Infusa* à *Creatore*, an ἐμμέσως per *Parentes* cum ipso spermate *Transfusa*, à *Calvini* sequacibus & *Pontificiis* ab una parte, à *Lutheranis* verò ab altera, tam eruditè, tam subtiliter, tam nervosè disputatur, támque ex æquo pugnatur & oppugnatur alternatim, ut dignosci sit arduum (si quid ego quidem judico) utra utri sententia præstet, aut sit à nobis antehabenda. Sed quandoquidem utraque utrinque urgetur difficultatibus, ex quibus spinosis intricatísque nemo se facilè extricaverit; inter omnia quæ occurrunt sententiarum divortia, (sive de modo, sive de Re,) maximè mihi placet sententia Illa, quæ duas maximè verisimiles amicè gestit conciliare; ídque duplici ratione tentari poterit, quarum prima hæc esto.

Quibus vexatur Difficultatibus.

Corpus humanum *generari*, nemo iverit inficias. Deinde concedatur *Animam*, quæ cum corpore generari nequaquam potest, cum eo nihilominus ex traduce posse *Propagari*. *Spiritum* verò, utrique additum, ex Nihilo cœlitùs *Creari*. Nam ὁλόκληρον ἡμῶν ex istis Tribus conflatum esse, *Moses* † *innuit* non obscurè; & *Sanctus Paulus* disertè *docet*. Si ex his Tribus unum desit Principiis, neutiquam sumus * ὁλοτελεῖς. Hinc apud *Marcum Eremitam*, τριμερὴς ὑπόστασις σώματος, πνεύματος, καὶ ψυχῆς. Hinc *Plotinus* apud *Nemesium*, ἐκ τριῶν τὸν ἄνθρωπον συνεστᾶναι, inquit, σώματος, καὶ ψυχῆς, καὶ νοῦ. Ità apud *Irenæum*, *Tria sunt ex quibus perfectus homo constat, Carne, Animâ & Spiritu.* Hoc pacto apud *Originem*, *Triplex hominis est Portio, Corpus, sive Caro, Spiritus, & inter ea, media Anima.*

Qui fieri possit adversantium Conciliatio.

† Gen. 2. 7.

* *V.* Hammondum τὸν Πάνυ in 1 Thess. 5. 23.

Altera

Altera verò Ratio diversas sententias conciliandi sic se habet. Duplex rei Productio datur; una quæ respicit potentiam *naturalem*, & vocatur *Generatio*; Altera quæ respicit Potentiam Dei *absolutam*, quæ *Creatio* dicitur. Hæc autem dividitur, in eam quæ est *ex Nihilo*, éstque Creatio propriè dicta; Et aliam quæ est ex *materia aliqua*, sed neque necessariò, nec cum Potentia naturali, sed purâ putâ *Obedientiali*. His præsuppositis statim efficitur, Deum secundo Creandi modo, ex *Parentum anima* præexistente, fœtui *Novam* increare: Quæ quia ex *Adamo* materiam habet, reatûs sit particeps; Et vicissim quoniam à Deo immediatè producitur, Absurditates eas gravissimas, quibus sententia hæc urgetur, effugiat commodè, & evadat.

Quænam sint quæ apud omnes sunt in Confesso.

Gen. 5. 3.
* Psal. 51. 7.
Joh. 3. 6.
Eccles. 12. 7.
* Job 31. 15. & 33. 4.
† Esa. 44. 24.
Zach. 12. 1.
Act. 17. 25.

Sufficiat nobis id tenere, quod διαρρήδην in Verbo Dei sic Scriptum legimus. *Adam genuit Seth ad imaginem suam. In * peccatis me concepit mater mea. Quod natum est ex Carne Caro est.* Et nihilominus inquit Apostolus, *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Dicit insuper Scriptura, *Revertatur pulvis in terram, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. * Spiritus Dei fecit me.* † Hæc dicit Dominus, *Formator tuus in utero. Dominus extendens Cœlum, & fundans Terram, fingens spiritum hominis in eo. Deus dat omnibus vitam & inspirationem & omnia.* De his convenit inter omnes. Convenit etiam & de istis, quòd in primæva Creatione, & Sanctione inibi promulgatâ, Tria occurrunt notatu digna: Imprimis Dei *Decretum* de cujuslibet speciei propagatione. Deinde tacita *Promissio*,

missio, Decreto huic adjuncta. [*fructificate, & multiplicamini.*] Denique *Benedictio*, quæ, ut causam suam effectus, ità Promissionem sequitur. Convenit iterum inter omnes, quòd *Homo gignit Hominem.* Et *Simile generat Simile.* Quòd Hominis generatio est omninò longè præstantissima. Et quod à Christo ex nobis non est assumptum, Id in nobis à Christo non est sanatum. Porrò convenit inter omnes, quòd cùm Proles ex stupro suscepta sit, Parentum *culpæ* non magis affinis est *Deus*, quàm *Natura* est particeps istius *furti* quod committitur, cùm ex tritico *furtivo* non minus, quàm ex *empticio*, segetem elicit felicissimam. Neque magis quàm Sol dicitur Erroris est Causa, siquando lippus, aut distortus oculis, de colorum aut lineamentorum in picta tabella varietate, perperàm judicat. Deus *Naturam* ejusque leges *fustentat*, *malitiam* verò non *instillat*; quanquam hominis *voluntas*, quæ malum eligit, non aliunde quàm à Deo Originem ducat.

§. 5. Ex triplici Gratia Primo hominum concessa, Prima erat *Animæ*, nempe *Justitia Originalis.* Secunda *Corporis*, nimirum *Immortalitas.* Tertia *Domicilii*, videlicet *Paradisus.* Qui Mosi dicitur *Gan Beeden*, *Hortus in Eden* amœnissimus. Nam ut *Gan* sonat *Hortum*, ità *Eden* significat *Voluptatem.* Unde fortassis *nobis*, & de *Horto Adonidis* apud Græcos figmentum, per quandam onomatopœian. Multa sunt in primo, secundo & tertio capite *Geneseos*, quæ probant hunc Locum non fuisse *Spiritualem*, (quemadmodùm *Origenes* ex Rabinorum somniis somniavit,)

Quali & ubi Paradisus.

vit,) sed usquequaque *Corporalem.* Ità tamen ut πασδευτήριον & Paradisi *Superioris*, & Paradisi *Interioris* Hic *Exterior* Paradisus habendus sit.

Paradisus autem *Mosaicus*, nec Totus erat Terrarum Orbis, (quod *Hugo de S. Victore* voluit,) nec quicquam extra Terrarum Globum, quod *Judaorum* aliqui delirârunt,) neque sublimis quædam Regio ad *Lunæ* Concavum exporrecta, (quod *Basilius* sensit, & *Damascenus*,) neque *pro certo* Mesopotamiæ & Babyloniæ partem complexus, (id quod conjecit *Robinsonus* nostrâs Doctissimus, & maximè omnium verisimile;) sed Tractus Terræ nescio quis in Orientali Plaga suavissimus, cujus limites & Pomæria nequaquam nobis innotescunt, propter Diluvium *Noachanum*, quo totus terrarum Orbis vastatus erat, montésque utut excelsi
Gen. 7. 19. sub omni Cœlo cooperti. *Henochus* autem & *Elias* (Æternitatis Candidati) non omninò in hunc Terrestrem (ut conjecit
* *De grat. primi Hom. c. 12.* * *Bellarminus*,) sed in Cœlestem Paradisum, Illum scilicet quem *Christus* Latroni
Luc. 23. 43. promisit præstitítque.

In Paradiso hoc Terrestri (de quo nunc agitur,) collocatus est *Adamus*, ut eum coleret, custodiret, ab injuriis ferarum sartum tectum præstaret, Ejúsque Deliciis & Amœnitatibus innocentissimè perfrueretur. Quem in finem satiùs duxit sine molestia laborare, quàm ignaviâ diffluere otiosum, & ex nimiis voluptatibus creare nauseam. Nam (ut *Pindarus* veracissimè canit) χόρον ἔχει κὴ μέλι, κὴ τὰ τερπνὰ ἀφροδίσια. In incerto est admodùm, magísne Horti Amœnitates

tates labore lassum reficerent, an ipse Labor Amœnitatibus saturum ferè recrearet.

§ 6. In ipso Horti meditullio Arbores duæ eminebant cæteris omnibus Superiores; quarum Altera *Vitæ* dicitur, Altera *Mortis*, ab effectu, vocari potest. *Mosi* verò Hæc Arbor *Scientiæ boni & mali* dicitur. Prior fructum ferebat eâ vi & virtute præditum, ut ejus esu quotidiano Homo * posset non mori, si vitâ se dignum præstitisset, Autori vitæ obtemperando. Posterior Arbor eo nomine *Scientiæ boni & mali* dicitur, partim quòd ex ea (cujus prohibetur usus) Deus hominem tam *Boni* quàm *Mali* discrimen docturus erat, (nam quicquid Deus *vult*, bonum est, & quicquid *vetat*, est malum;) partim etiam & præcipuè, quòd inde *cognituras Adamus* erat, experimento infelicissimo, Præceptum Divinum violando, quid differrent *Id Bonum* quo ante peccatum fruebatur, & *Illud Malum* quod peccando ultrò sibi accersebat. Denunciavit enim Deus, quàm primùm *ingressus* est homo *Paradisum*, (Alia enim illi erat Natalis Terra,) *Arboris hujus fructum nè comederet*. De reliquis omnibus ei liberum pro suo libitu decerpere, hac unicâ abstineret. Illud horti Culturæ datum; Hoc à se pro imperio, atque cultûs sui gratiâ, mandatum est. Et nè pœna præmiúmque deessent legi, addidit Deus Hoc Edictum, id ni faceret, moriendum illi esse; victuro, si faceret, in æternum.

Ejus Arboribus duabus potestas Vitæ & Necis Deo dante competebat.

Gen. 3. 22.

* Apoc. 22. 2.

Rom. 5. 20.

Sunt

Sunt qui *Sacramentum* hanc Arborem esse volunt. Sunt qui *Signum Dominii* divini malunt. Sunt quibus est pro *Symbolo* tantùm, quo Deus hominem explorabat, monebat, & à peccando dehortabatur. Quin & *Arborem vitæ* nihil nisi *Sacramentum*, multi ex nostris fuisse aiunt; quanquam *cujus Rei* Sacramentum esse censeretur, nondum ipsis inter se convenit. Neque *Mosaicæ* Historiæ Simplicitati, quæ de Sensu rerum mystico & allegorico traduntur, omninò competunt. Potuisse verò hanc Arborem ab interitu immunes præstare homines, duo esse videntur quæ fidem faciunt; Adami *Ejectio* sive *Exilium* ex Paradisi Præcinctibus, sive Pomœriis; & *arctæ Custodiæ* Institutio, nè fortè fructum Vitalem comedens, mortis expers perennaret.

Gen. 3. 22, 23, 24.

CAP. XI.

De Providentia, &c.

Descriptio. § 1. PRovidentia est quodammodò *Creationis Continuatio*; & propterea tum rectissimè Creationi subjungitur, tum Creatoris Omnipotentiam, Bonitatem, Sapientiam summam & ineffabilem, spectandam exhibet luculentissimè. Neque enim Summus Opifex ab absoluto jam opere Creationis quasi discessit, ejúsque curam quasi deposuit, (id quod Creatis Architectis in more est,)

est,) Sed etiamnum, Quicquid creavit, potenter sustinet, & conservat, consilióque suo gubernat, fovet providè, & moderatur, atque ad suos quæque Fines prudenter dirigit, & deducit. *Pater meus* (inquit * Salvator) *usque adhuc operatur, & Ego operor. Filius omnia verbo suo sustentat. Tuetur eadem Spiritus Sanctus.* † Innumera sunt Verbi Testimonia, quæ rerum omnium Providentiam & Oeconomiam Deo asserunt. Differt autem hoc in loco Providentiæ divinæ Significatio ab ea superiùs à me exhibita, ut *Executio* Decreti, à *Decreto*. Ideóque *Actualis* plerumque dicitur. *Damascenus* eam definit, non magis breviter, quàm nervosè: ἡ προνοία ἐστὶν, ἡ ἐπὶ τῷ Θεῷ τὰ ὄντα γινομένη ἐπιμέλεια.

* Joh. 5. 17. Heb. 1. 3. Gen. 1. 2. Esa. 4. 13. † Act. 17. 20, 25. Col. 1. 17. 1 Pet. 5. 7.

Damasc. *Orth. fid.* l. 2. c. 19.

§ 2. Utut sit languida Providentiæ cognitio, pura puta *Naturalis*, non Naturæ primogeniæ, sed hominum vitio depravata, (unde *Rutilio* convalescente, exclamat *Statius*. *Estis Jo Superi*,——Sed *Ovidius*, *Tibullo* defuncto dicit, *Sollicitor nullos esse putare Deos*;) suppetunt tamen hanc in partem Rationes rei liquidissimæ; & Argumentorum sunt Fontes limpidissimi qui sequuntur. 1. Ipsa Dei *natura*; 2. In ipsa Natura concreata *Ordo* desuper constitutus; 3. *Lex* Naturæ in cordibus hominum Sancita; 4. Ejusdem Legis tam in præmiis quàm in suppliciis *Executio*; 5. Mutationes Dynastiarum; 6. Provida Dei Cura, & Paterna, peculiariter quibusdam à se Dilectis, & mirum in modum demonstrata; Qualis est *Noa* Conservatio; *Lothi* Ereptio ex Incendiis; *Josephi* Captivitas & Liberatio; Extractio *Mosis* ex Nilo; Protectio

Demonstratio.

Gen. 6. 18. Gen. 19. 12. Gen. 45 5. Exod. 2. 5. Deut. 2. 7.

tectio Populi *Israelitici*; Aliâque id genus plurima, quæ divinæ Providentiæ locupletissimè suffragantur, Testésque prostant. Experientiâ etiam magistrâ, docemur omnes quantumvis obtusi, quod rebus minimis, æquè ac maximis, prospicitur satis, & providetur. Quòd universis simul & singulis præsto sunt Media prorsus idonea ad Fines suos necessaria. Quòd methodo planè stupendâ consistunt omnia & Disponuntur. Quòd absque omni ratione *solerter* agunt, & sine sensu *exquisitissimè*. Quòd ità mirificè temperantur quæ sibi sunt invicem ex adverso, ut suis ipsorum discordiis maximis, Harmoniæ Mundi velificentur. Ità ut præclarè *Boëthius* optimus (non in hæc forsan verba, sed in hunc sensum) dixerit, quòd *sicut Mundus in unam Formam ex tam contrariis non convenissent, nisi UNUS esset, qui tam diversa conjungeret; Ità Conjuncta dissociaret Ipsa rerum Diversitas, nisi etiam UNUS esset, qui qua nexuit, contineret. Neque motus tam dispositos, ità ut explicat, explicaret, nisi UNUS idémque esset, qui mutationum Varietates manens Ipse disponeret. Hoc quicquid est, quo condita mânent & agitantur, usitato cunctis vocabulo, DEUM nomino.*

Boeth. *de Cons.* Phil. l. 3.

Qui in tanta cùm Scripturæ tum Rationis luce cæcutiens, hanc tam conspicuam providentiam aut negat impius, aut diffitetur, ne ille non *Homo*, (Qui est *Animal Religiosum*, perinde atque *Rationale*,) sed Hominis *monstrum* atque *Propudium* censendus est. Negari enim ab illis *Deum*, qui negant Ipsius *Providentiam*, turpiúsque aliquantò Errare, elegantissimâ Similitudine *Erasmus* docet. *Quem-*

Quemadmodùm leviùs indignareris Illi qui putaret, se non esse Natum, quàm qui crederet sibi non esse sensus, aut mentem humanam, aliòque sine quibus Homo nomen hominis amittit; Sic turpiùs errat qui Providentiam, quàm qui Deum ipsum negat. Consulatur *Augustinus*, de Civ. Dei, *l.* 2. *c.* 21. & *Lactantius* Inst. Div. *l.* 1. *c.* 6. *Theodoretus* etiam de Providentia, Orat. 1. *In Symbol. Catech. 2. p. 35.*

§ 3. In Hac Dei Providentia, (quæ πρόνοια vocatur sensu lato,) Tria veniunt consideranda, quæ neque *sejungi* unquam possunt, neque tamen *confundi* debent. Primum est Rerum *Præscientia*; Alterum est *Voluntas* rebus creatis prospiciendi; Tertium est *Cura Actualis*, quâ Res reguntur, diriguntúrque. In his ergo tribus consistit Dei Providentia, ut Scientia consulat, Voluntas imperet, exequatur verò Potentia. *Partes.*

Respectu primæ, (quæ πρόγνωσις dicitur restrictè) Non per temporum interstitia intuetur Res Deus, sed simul & semel, ἀθρόως καὶ ἐν ῥιπῇ. *Nè verbum quidem illud Providere* (inquit *Scaliger*) *Divina convenit Omnipotentiæ, nisi quoad nostrâ mutilâ intellectione metiamur Infinitatem.* 2. Entia cognoscit ad unum omnia, usque ad * *Capitis capillum*; *qui absque Dei voluntate in terram non decidit*, nedum absque ejusdem visu, qui Παντοπτικὸς reverà dicitur. 3. Etiam ad Aliqua *non-entia* extendit se Dei præcognitio, sive potiùs Cognitio; Ad Ea scilicet innumera, quæ, licèt Actu non extent, olim tamen extiterunt, aut saltem sunt futura, vel fieri possunt. 4. Nullam rebus ipsis affert, nedum infert Necessitatem. *Exerc. 365. § 8.* *Matth. 6. 26.* * *Matth. 10. 29, 30.* *Luc. 12. 6.*

sitatem. Interrogantibus non Paucis, *Quomodò Deus scientiam habeat futurorum contingentium determinatam & necessariam*, Occhamus optimè respondet, *modum non posse sufficienter exprimi ab intellectu creato*. Addit tamen statuítque, quòd *sicut Notitia intuitiva in nobis, quâ evidenter cognoscimus Verum præsens contingensque, non addit ipsi contingenti necessitatem ullam, licèt ipsa sit evidens & infallibilis; Ità notitia Dei rebus futuris contingentibus non imponit necessitatem*. Cui Occhami Sententiæ (simplicissimæ quidem verissimæque) videtur & illud subjiciendum; quòd Effectus *contingentes* Deus non *contingenter* præscit, sed *necessariò*. Sufficiat semel dixisse, & summatim, quòd ad Divinam præscientiam respectu habito, Quæcunque ex causis contingenter liberéque agentibus provenient, necessaria ut sint necesse est, (sed cum hac facili & usitatissima Distinctione,) necessitate non omninò *Consequentis*, sed *consequentiæ*: non *Absolutâ*, sed *ex hypothesi*: non *antecedente*, sed *consequente*: non quidem *simplici*, sed *conditionatâ*.

Respectu secundæ, (quæ τρόθεσις dicitur, & προορισμὸς,) fixum stat illud atque immotum, quòd quicquid *in tempore* Deus agit, ab *æterno* agere decrevit. Quicquid permittit fore non impedit, decrevit etiam non impedire. Aliter ergò circa *bona*, Aliter longè circa *mala*, habet se Dei Providentia. Quæ autem *generalis* est, & significat deliberare, constituere, aut decernere, quid de re qualibet indiscriminatim sit agendum; aut *specialis*, & maximè propria, * de Electis in Christo ad vitam æternam creditur. Unde *Pars Providentiæ Prædestinatio, dicitur Aquinati*.

* Rom. 8. 30. Eph. 1. 5, &c. *Part.* 1. *q.* 23. *art.* 1.

Re-

(Respectu Tertiæ, (qui διοικητικὸς appellatur,) versatur circa res omnes quæ in mundo sunt aut fiunt. Eo pacto & fine, ut eas omnes † sustentet, gubernet, dirigat, moderetur. Ejusdem est Dei (inquit *Nemesius*) [illegible] Aliud autem est, *conservare* Creaturas; *gubernare* easdem, aliud. Respectu primi docemur, quod Ipse * *Panis quotidianus* nullam alendi vim habet, sine influxu Verbi divini quasi creantis, & conservantis, & perpetuò volentis ut vim sibi insitam alendi exeras. Quo influxu sublato, nihil aut *agere* potest, aut *esse*. Respectu alterius, utcunque omnia generatim Omnipotentis Providentiæ subjecta sint, Homo tamen præ omnibus, & modo quodam peculiari, providam Dei de se Curam habet: Præsertim ipsa Dei *Ecclesia* ex hominum genere collecta, & quaquaversum disseminata. *Deus est Salvator omnium*; *fidelium* † *maximè*. * *Ipsi cura est de vobis. Angelis suis mandavit de Te*, &c. Psal. 91. 11.

† Col. 1. 17. Heb. 1. 3. Nemes. c. 42.

* Deut. 8. 3. Matth. 4. 4. Matth. 3. 45.

† 1 Tim. 4. 10. * 1 Pet. 5. 7. Psal. 38. 12. 18.

§ 4. Nulla sunt usquam in universa rerum natura, quæ magis videntur esse fortuita, casu volvi vertique, quàm procellæ istæ & Turbines, quibus Aquarum & Aëris facies innumeris modis variantur. Ut non modò *Plinius*, *Ovidius*, & ejusdem farinæ alii, autumaverint *Inferiora Cœlorum motibus gubernari*, *Deique Exiguis non vacare*, *nec fore Deum particularem*, *nisi secundum Naturæ fatum universalem*; Sed Ipse etiam *Hieronymus* in hoc scopulum impegerit, nisi dextrorsùm asseratur verborum ejus Interpreta-

Objecta etiam vilissima.

Plin. *Nat. Hist.* 2. 7.

Hieron. *in* Habac. c. 1.

tio. *Fatua est Dei Adulatio* (inquit Ille) *quâ Majestas ejus ad hoc deducitur, ut sciat momenta singula, quot culices nascantur, quòt moriantur, quota muscarum sit Multitudo, quot pisces natent in aquis.* Quæ verba, nè laudi Providentiæ divinæ detrahant, útque ad sanum sensum trahantur, desudat pulchrè *Lombardus*, 1. *Sent. Dist.* 39. Rectiùs verò tutiùs què S. *Ambrosius* sic effert. *Si non est injuria & probrum Dei, minutissimas quasque res fecisse, multò minùs probrum illius, fallax regere.* Et pientissimè *Augustinus*. *Quis disposuit membra culicis & pulicis, ut habeant ordinem, vitam, motum suum?* —— *expaveseis in minimis, lauda Maximum.* Quantam curam de animalculis, non despoticam duntaxat, sed serè paternam, Deus agat, clarè passim in Scripturis videre est. * " Quis præparat
" Corvo escam suam? &c. Omnia à te exspectant, ut des illis escam in tempore, &c.
† " † Respicite Cœli volatilia, quæ non serunt,
" neque metunt, &c. Nonne duo passeres
" asse veneunt? nonne quinque dispondio?
" & unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Immò Deus ipsi vento pondus
" fecit, & aquas appendit in Mensura. Pluviis legem ponit: & viam facit fulguribus tonitruorum. *Job.* 28. 25. Deus operit Cœlum nubibus, &c. *Psal.* 148. 8. fulgura cum pluvia Ipse facit; educit ventum de Thesauris. *Psal.* 135. 8. Lilia Deus vestit. *Mat.* 6. 28. capillos numerat. *Mat.* 10. 30. Ut paucissimis denique absolvam; Quæcunque sunt aut fiunt, in universo sensu Creaturarum, (sive ea sint Corporea, sive incorporea, substantiæ, accidentia,

* Job. 39. 30.
Psal. 104. 27.
† Mat. 6. 26.
Luc. 12. 24.
Mat. 10. 29.
Luc. 12. 6.
a De Offic. 23
b In Psal. 147.

tia, universalia, particularia, necessaria, vel Contingentia,) nec latent Dei scientiam, nec gubernationem ejus effugiunt.

§ 5. A Dei insuper Providentia, comparatum est ità, ut propter fines multiplices, Gloriam suam illustrandam, salutem suorum promovendam, improbis pœnas accelerandas, vel ob causas quascunque alias, constitutum à se ordinem pro libitu suo sæpe prohibeat, promoveat, suspendat sæpe, atque immutet. Jubente Deo cœlitùs, *Per integrum diei spatium Sol & Luna constiterunt, Sol decem gradibus retrocedit. Rubus ardet, nec absumitur. Sociis Danielis conflagrationem non consumuntur. Distinguit Mare rubrum inter Populum Dei & Hostem. Aqua Jordanis Murorum instar. Elisæ pallio dividuntur. Fons ex Asini Maxillâ fluit. In sanguinem vertitur, & vinum. Ferrum Aquis innatat. Asina fruitur eloquio. Etiam pascunt Voracissima Bruta. Leonum ora obturantur. Vestes hominum per annos totos 40 non deteruntur. Elisæ dies noctesque 40 jejunus agit.* Longè plura sunt Miracula in SS. testatissima, quæ vel nudè recensere longum esset plus nimio, & operosum. *Imperium supra & contra Naturæ cursum legimque.*

Jos. 10. 13. 2 Reg. 20. 11. Exod. 3. 2. Dan. 3. 29. Exod. 14. 21. Jos. 3. 16. 2 Reg. 2. 8. Jud. 15. 19. Exod. 7. 20. Joh. 2. 9. 2 Reg. 6. 6. Num. 22. 30. 1 Reg. 17. 6. Dan. 6. 22. Deut. 8. 4. 2 Reg. 19. 8.

§ 6. Operæ pretium est recolere, quibus modis & quousque Providentia Dei se habeat in rebus quæ eveniunt malis. Sive autem concurrit Deus, eventus omnes præscindo, sive Naturam sustentando, sive res malas permittendo, sive peccantes deserendo, sive tradendo Satanæ, sive motus præsuiendo, sive eliciendo ex malis Bonum; *Ut se habeat & versetur circa mala.*

pro certo Hoc semper tenendum est, quod quæ moraliter sunt mala nec vult Deus, nec approbat, sed totus abominatur atque abhorret; usque adeo non jubet, non promovet, ut sub pœnis gravissimis & strictis legibus prohibeat, & vel prorsus impediat, vel metas & limites constituat, ad bonos fines dirigat, dignisque tandem suppliciis quicquid est impium ulciscatur. Quid, quòd Hominum maleficia in justissima sæpe judicia & supplicia * vertit? neque duntaxat *peccatores*, ipsumque *Satanam* præcipuè, sed ipsi etiam † *peccata*, nihilo magis sapienter, quam sanctè regit. Ejusdem sæpe Actionis triplicem scopum esse posse, notari debet. Unum Dei, alium Diaboli, tertium Hominis delinquentis. In una Christi Crucifixione, propositum erat *Deo*, Humanum genus redimere; propositum *Diabolo*, crucifigentes perdere; propositum *Crucifigentibus*, Sevitiæ libidini indulgere. Et ex His, aliis aliter propositum stetit. *Pilato*, ut *Judæis*, *Cæsarique* cum-primis rem gratam faceret; *Judæis* verò ipsis, ut Invidiæ, Avaritiæ, Furori suis satisfacerent. Quo minùs mirum videri debet, si prorsus eadem sive *Josephi* sive *Jobi* Calamitas & Afflictio non tantùm Homini, Satanæque, sed ipsi Deo etiam asseratur. Triplici sensu, juxta ac Scopo, toto Cœlo differentibus.

Damascenus ex * *Nemesio* duas statuit Defertionis divinæ species. Quatuor † *Nazianzenus*. *Hugo* quinque enumerat, in *Psal.* 21. octo colligit rationes *Johannes* * *Damascenus*, propter quas Deus *sinit* peccare homines. Sed breviter sufficit dixisse, quòd quic-

* 2 Sam. 12, 11, 12. 1. 16. v. 10. c. 24. v. 1. 4. 10 Reg. 12. 24.
† Gen. 50. 20. Joh. 1. 21. Act. 2. 23. c. 4. v. 27, 28.

* De Nat. hom. c. ult.
† In Orat. 2. de Filio.
* L. 2. Orth. fid. c. 31.

quicquid à natura determinatur ad Unum, evenit necessariò: quicquid pendet ab Arbitrio, contingenter evenit, & liberè.

Interitus & Defectus quarundam rerum nihil prædictis adversantur. Pertinent nimirum ad Universi Constitutionem, cujus potior est ratio, quàm naturæ particularis. Quandoquidem enim sit Deus Totius Mundi Provisor, ad ejus Providentiam spectat, defectus aliquos & vitia in particularibus permittere, nè Universi integritas impediatur. Nec cui mirum videri debet, si florescentibus & regnantibus nequitiis hominum, Virtutes non tantùm mercede careant impræsentiarùm, verùm etiam proculcentur, & in loco flagitiorum supplicia luant; Nam nec virtutem sine præmiis, nec scelera impunè dimittit Deus; sed vel in hac vita elciscitur, vel in futuro, ubi Pomarum tarditatem compensat gravitas.

§ 7. Præmissis hactenus pensiculatis, Interest Hominum in universum, & præ cæteris Christianorum, universus Dei Imperium gratis animis venerari; Quicquid desideramus, à Provido Patre eflagitare; Quicquid accipimus Bonorum, Eidem Largitori acceptum ferre; Exemplo Domini Dominantium, *nunquam ab opere recedentes*, munera nostra semper obire, summi qui possumus diligentia; Spem concipere firmissimam, nunquam nos deserturum, qui res nobis viliores nequaquam deserit; Sollicitudinem de futuris è nobis fortiter excutere; Pessimorum res hostes, arumnasque optimorum, irretortis oculis intueri; in patientia animas possidere; nec

Dictorum Praxis.

nec in prosperis esse elatos, nec adversis desperabundos; Denique omnes evitare, ab omnibus admodum abhorrere, qui divinæ Providentiæ quoquo modo adversantur, nempe vel *Fato*, vel *Fortunæ*, omnes Res fieri asseverantes.

CAP. XII.

De Lapsu Hominis.

Connexio cum Præcedentibus.

§ 1. Actum est de Providentia, quæ versatur circa hominem recens factum, & ante lapsum, in statu integro consideratum. De statu hominis jam lapsi agimus proximè, quatenus etiam circa eum Divina versatur Providentia. De statu autem Hominis per J. Christum *reparati*, randemque *in Cœlis glorificati*, alibi commodius agendum erit.

Quid Peccatum sit in genere.

Peccatum est nomen Concretivum, cujus Abstractivo Latini carent. Indigne à multis definitur *Inclinatio seu Habitus cum Lege pugnans*. Sed apud Græcos, definitur in sensu etiam abstractivo, per ἁμαρτία, quæ aliis *Legis Transgressio* dicitur; aliis concreatæ *conformitatis Defectus*; aliis *quicquid divinæ repugnat Legi*; ab aliis denique definitur per *malè factum, dictum*, aut *cogitatum*. Si penes Ciceronem judicium sit, *Peccare* est *transilire lineas*, extra orbitam evagari, peccatum

instar

istur aberrare à scopo. *Malum culpæ, malum morale, vitium, Crimen*, à *lege Discrepantia*, atque *Inobedientia*, sunt Synonyma apud Latinos, atque ἁμαρτία, ità ut *Peccatum* sit *in genere*, * *Exorbitatio à lege Dei*, qua Creatura Rationalis, à Bono aversa, & propensa in malum, malúmque operans, Reus est coelestis Iræ, æternæque Condemnationis, nisi per Christum Fide verâ viváque apprehensum Remissio fiat. * 1 Joh. 3. 4.

§ 2. Estque vel Angelorum, vel Hominum. * *Angelorum* Peccatum erat, Voluntaria ab ipso Opifice primóque Origine Defectio, ex qua inexplebilis malitiæ Habitum, eúmque immutabilem, sibi ultrò accerserunt. *Hominum* aliud est Primum, aliud Peccatum à Primo ortum. † *Primum* erat *Actuale*, quo legem Dei in Paradiso (de fructu prohibito non comedendo) *Adamus* & *Eva* violaverunt. Peccatum à primo ortum, aut est *Originale* in primorum Parentum posteris, aut in iisdem *Actuale*. *Originale* quod vulgò dicitur, est Humanæ Naturæ * Corruptio misera, per lapsos Parentes introducta, ex iisdem in † Posteros derivata; vel est Primævæ Integritatis Deliquium quoddam Hæreditarium, quod omne genus suppliciis tam temporalibus quam æternis omnes eos obnoxios & reos reddidit, qui *non ex aqua & Spiritu ad vitam æternam renascuntur*. *Quemplex in specie.* * Joh. 8. 44. † Rom. 5. 12. * Psal. 14. 3. Eph. 4. 17. † Gen. 5. 3. Psal. 51. 7. Job. 14. 4. Rom. 5. 12. Joh. 3. 5.

§ 3. De peccato Protoplastæ dicturus breviter, statuo *Causam* istius lapsûs imprimis non fuisse *Deum*, Qui legem tulit *ideo*, ut Creatori suo ac Domino servirent homines *Lapsus Adami speciatim inde.*

nes & obedirent; ut hominem viribus perfectum, totius naturæ integrum, potentiâ non-peccandi præditum, sed & libero arbitrio instructum insuper fuisse, νομοθεσίᾳ antedictâ palàm faceret; útque obsequii quoddam κεντήριον & exercitium constitueret; in quo si Homo perstitisset, ex terrestri Paradiso in cœlestem, nullo certè aut mortis aut Doloris interventu, tempore quodam præstituto translatus esset. Porrò ut Legem *observaret*, præceperat Deus disertè; ut eam *posset* observare, perfectis viribus imbuerat; nè observare detrectaret, Mortis minas etiam addiderat. Non ergò Deus, nec æternum Dei Decretum, nec divina facultatum sufficientium Denegatio, nec nuda Lapsûs Permissio, nec aptitudinis appetitûs sensitivi Excitatio, neque Providentialis ipsius Lapsûs Gubernatio, in causa erat quòd laberetur.

Esa. 5. 4.

A Diabolo externè; internè à Protoplastis.

Sed partim ipse *Satanas*, administro *Serpente Vetere*, (Apoc. 12. 9.) qui *Evam* seduxit imbecillem, (1 *Pet.* 3. 7.) partim *Eva* seducta, quæ pariter *maritum* in idem facinus pellexit, (1 *Tim.* 2. 14.) partim & præcipuè utriusque Hominis *Voluntas*, quâ mendaciis calumniisque Serpentis callidi crediderunt, & se à Deo non coacti suapte sponte averterunt. Duplex erat igitur Lapsûs Causa, Inde προκαταρκτικὴ, Hinc verò ἢ προηγουμένη. Sed controvertitur inter Scriptores de Serpente Illo Vetere, Qualis fuerit. *Josephus* nihil aliud quàm naturalem Serpentem hoc loco cogitat. E contrà *Philo* περὶ κοσμοποιΐας in Allegoriam totum convertit. Inter utramque opinionem tutius est Iter faciendum; neque

Antiqu. Jud. l. 1. c. 3.

que enim soli *Literæ*, nec Allegoriæ soli inhæreo. Sed crediderim hic describi obsessum Satanâ Serpentem. Quippe qui articulatâ loquelâ utitur. Mandatum Dei pervertit, quod non est Serpentis Naturalis. Pœnam luit mero Serpenti non competentem; nec nisi Serpenti infernali *Semen Mulieris contrivit Caput*. Prophetæ etiam & Apostoli, de peccati & mortis origine locuti, non Serpenti soli, sed Satanæ, eam ubilibet ascripserunt. Quid, quod *Homines*, qui peccando sese Diabolo Mancipârunt, *Serpentes* appellantur in Sacris Literis, & *Progenies Viperarum*? Restat ergo ut *Diabolus* sit *Serpens* Ille ὁ Διάβολος, qui speciosо Serpentis Schemate indutus affabre, & personatus, & cum *Eva* immediate & veteratoriè collocutus, Infernalis per naturalem Parentibus primis imposuerit.

Mat. 3. 7. & c. 23. v. 33.

§ 4. Nonnulli tot annos in Veritate & Paradiso primos homines perstitisse contendunt acriter, quot *Adamus secundus* vixit, qui morte suâ luit simûlque sustulit hoc Peccatum. Nonnulli tot duntaxat dies, quot ipse Christus jejunavit, Primorum Parentum Edacitatem compensaturus. Nonnulli etiam octavo postquam est Creatus die, lapsum *Adamum* opinantur, & Alii aliter, sed credibilius multò videtur, non cunctatum fuisse Satanam, nec invidiâ laborantem se potuisse continere, quin primo quoque tempore machinis hominem oppugnaret. Erat enim & Mendax, & ἀνθρωποκτόνος ἀπ' ἀρχῆς. Præterea nondum ante Lapsum *Adamus* liberis procreandis dedisset operam. Aliter *Cainus* sine peccato genitus esse potuisset. Necdum de arbore Vitali degustaverat,

Quàm subitò quàm citò Primi Homines collaberentur.

Joh. 8. 44.

rat, utut unus Is esset fructus maximè omnium appetibilis. Aut multis horis, nedum diebus, ab alterutra abstineret, (aut Arbore, aut re,) causam satis rationabilem vix quispiam finxerit. Relinquitur ergò, ut eodem quo creati sunt die *Adamus* & *Eva* collapsi fuerint.

Quàm essent etiam dæmonibus.

§ 5. Quanquam Deus *non vi* lapsum hunc hominis impedivit, nec ità hominem efformavit ut non potuerit peccare, nec fecit in Bono immutabilem, & permisit eum tentari quem præscivit succubiturum; neque tamen lapsurum impulit, nec voluit lapsum. Nam quod prohibet, quod punit, quod in integrum restituit, aut saltem capax medelæ reddit, Illud morbi non *Velle* dicendus est. Neque citra Blasphemiam Peccati Autor censeri potest Peccati ultor. Rectè sic habet *Augustinus*.

De Corrept. & gratia, c. 12.

Adam & terrenus nullo, & contra Dei terrenis imperium, libero usus Arbitrio, non fuerit in tanto non peccandi Facilitate. Ex qua novissima Circumstantia, *facilitatis non peccandi*, Peccati morbus per se malus in primis Parentibus ingravescebat. Quid, quòd *omnibus* posterorum gravius erat *unum Adami* facinus? Audiamus *Augustinum* de Eo judicium sic ferentem.

De Civ. Dei, l. 14. c. 12.

" Nemo existimet peccatum ideo " leve ac parvum, quia in esca factum est, " non quidem malâ nec noxiâ, nisi quia pro- " hibita; sed *obedientia* commendata est in " præcepto, quæ virtus in Creatura Ratio- " nali mater est omnium custósque Virtu- " tum, &c. —— Hoc itaque de uno cibi ge- " nere non edendo, ubi aliorum tanta copia " subjacebat, tam leve præceptum ad obser-

" vandum,

" vandum, tam breve ad memoriter reti-
" nendum, ubi præsertim voluntati nondum
" cupiditas resistebat, (quod de pœna trans-
" gressionis postea est secutum,) *tantò ma-*
" *jore injustitiâ est violatum, quantò faciliore*
" *posset observantia custodiri.*

§ 6. Malum Culpæ consequitur Malum Pœnæ non unum. Quanto pudore & dedecore suffusi sint parentes primi, ex admissi sceleris Conscientia, testantur in propatulo quæ sibi parabant * Perizomata. Oculi ipsis aperiebantur, ut viderent se nudos; ut cognoscerent quàm graviter Deum suum offendissent; atque in quantum miseriæ Barathrum ex quanta beatitudine demersi essent. Ecce sistuntur pro Tribunali; vocantur in judicium; Causam agunt pudibundi; accedit ad crimen aggravandum ipsa Criminis Extenuatio, idque in alium transferendi à se Cupido impudentissima, eáque ex ipso Pudore orta. *Adamus* in *Evam*, *Eva* in *Serpentem* transfert; Quid, quòd etiam Faba in *Deum* culitur ex obliquo, Qui ut Angelum, *Adamum*, & *Evam* nuper Creaverat, ità in Viri adjutorium uxorem dederat.

Quænam Peccati Consequentia.

* Gen. 3. 7.

Vers. 12, 13.

Prima & Maxima peccantium pœna est, peccâsse; ut rectè *Seneca*. Deinde Feminæ denunciatur, tum quòd Marito cogetur subjici, tum quòd conceptum libidinosum Partûs Dolores ulciscerentur. Viro bonarum frugum sterilitas, fertilitas noxiarum; Difficultatum, solicitudinum, morborum, Mortis denique amaritudines, & acerbitates denunciantur. Serpenti quà *Terrenæ* denunciatur Maledictum, *v.* 14. Quà *Infernali*, sive quà Satanæ,

Satanæ, acriùs ei maledicitur, *v.* 15. Magna est hæc Malorum seges, quæ ex una Lapsûs radice, quasi ictu oculi pullulavit. Sed longè major malorum Ilias, à Parentibus in Posteros ad finem Seculi derivata, ex Capite Secuturo petenda est.

CAP. XIII.

De Peccato Originali.

Quòd sit. § 1. EX peccato *primo*, quo Personæ Protoplastorum naturam suam corruperunt, peccatum effluxit *Originale*, quo Natura jam corrupta corrumpit hominum Personas ad unum omnes. Excepto solo Mediatore θεανθρώπῳ, qui non humanâ generatione, sed Spiritûs Sancti Adumbratione ex pura Virgine susceptus, non tam *ex Adamo*, quàm *per Adamum* originem traxit.

Quicquid delirant *Pelagiani*, *Photiniani*, *Anabaptistæ*, aliisque nimio multi, de Peccato hoc Originis, ac si beati *Augustini* Delirium esset, Multa id suadent, persuadentque, immò nos cogunt confiteri. Imprimis ea Scripturæ Dicta quæ de peccato *negativè* seu *privativè* enunciantur. *Rom.* 3. 23. *c.* 7. *v.* 18. *c.* 8. *v.* 7. & 1 *Cor.* 2. 14. & 2 *Cor.* 5. 3. *Eph.* 4. 18. Deinde ea quæ positivè *Injustitiæ Originalis* affirmant *Habitum*. *Gen.* 6. 5. *c.* 8. *v.* 21. *Rom.* 7. 7, 25. *Gal.* 5. 17. Ex utroque genere Dictorum constat, *Hominem animalem eorum non omninò capacem esse, quæ Spiritus*

Job. 14. 4.
Psal. 51. 7.
Jer. 17. 9.
Joh. 3. 6.
Rom. 5. 12.

Dei

Dei extant. 1 Cor. 2. 14. *Adamus* enim *genuit filium ad imaginem suam*, corruptam sc. & depravatam, (*Gen.* 5. 1.) & inde *humana cogitationes quotidiè malæ*, (Gen. 6. 5.) *Hominésque naturâ sunt Filii iræ*, Eph. 2. 3. Tertiò Peccata actualia, ceu tot Rami venenati Radicem revincunt venenatam. *Mat.* 15. 19. *Bonus fructus ferre Arbor mala non potest. Mat.* 7. 8. Mors & Morbi & Miseriæ temporales, quibus obnoxii sunt Infantes, innoxii licèt. *Rom.* 5. 14. *c.* 6. *v.* 23. *Per hominem mors*, 1 Cor. 15. 21. *in uno omnes moriuntur*, v. 22. Quartò *Necessitas* Regenerationis generationem arguit vitiosam. * *Joh.* 3. 5, 6. Quintò *Collatio* Imaginis Dei Primigeniæ cum mentis humanæ cæcitate, cum voluntatis pervicacia, cum Appetitûs hodierni perversitate. Sextò Consensus Patrum Veterum, ad quem provocat *Augustinus*. Septimò omnium, quantumvis piorum, Experientia; in quibus *Concupiscentia* est Argumento irrefragabili, Optimum esse Illum in filiis hominum, (non qui nullis omninò maculis, sed) qui minimis urgetur. Denique Homines utut Profani, apud Latinos Græcósque Veteres, longè magis ad Vitia, quàm ad Virtutes propendere humanos animos animadverterunt. Ubique locorum apud Poetas Philosophósque Querimonias videre licet, *Omnes à Virtute ad libidinem esse proclives. Sermonem esse Navem. Descensum Averni esse facilem, redire verò difficillimum. Niti semper in vetitum humanum genus. Probare nos Bona, sequi tamen deteriora. Viam ad Virtutem vepribus interclusam. Difficilia quæ pulchra. Cereas in vitium flecti Adolescentes. Terram spinis*

* Eph. 4. 17.

Contra Jul. *l.* 1. *&* *l.* 1. *ad* Bonif.

nis

nis tribulisque Matrem esse indulgentem; at verò floribus, & frumentis, herbisque saluberrimis, Novercam esse durissimam; eodem modo quo Mens humana, ad vitia se habet, & ad virtutes. Nam vitiis nemo sine nascitur.—— Quinimmò legibus pœnisque vitiorum segetem inhibere ubivis semper luxuriantem, *Hic labor, Hoc opus est*, prior improbus, posterius arduum. Rectè nimis *Aristoteles*, ἔργον ἐστὶ σπουδαῖον εἶναι. Nec non *Cicero* apud *B. Augustinum*, *A Natura Noverca* (inquit) *in lucem edi hominem; corpore fragili atque infirmo: animo anxio ad molestias, humili ad timores, debili ad labores, proclivi ad libidines, in quo divinus ignis sit obrutus, & ingenium, & mores.*

Aug. contra Jul. l. 4.

Ex octo præmissis Argumentis non possum quin colligam, & pro immoto ratóque habeam, quòd remotis longè sublatísve Dæmonum omnium incitamentis, manet in homine peccati Semen quod tam altas à natura radices egit, uti sagittæ ejus ignitæ non ex Pharetra Diaboli, sed Protoplastorum tantùm explosæ, lateri nostro omnium lethales hæreant.

Quid sit Peccatum Originale.

§ 2. Quocunque nomine censetur in Sacris Literis Hoc Vitium, sive *Peccatum* appellatur κατ' ἐξοχὴν, sive cum adjuncto *Peccatum peccans*, sive *inhabitans Peccatum*, sive *Caro, Concupiscentia, Vetus Homo, Lex Membrorum*, (*Rom.* 6. 6. *c.* 7. *v.* 7, 15, &c. *Joh.* 3. 6. *Gal.* 5. 17, 19. *Eph.* 4. 22. *Col.* 3. 9. *Jac.* 1. 14, 15. & 1 *Pet.* 1. 4.) est certè Vitium hæreditarium, quo propter Lapsum Parentis Primi, Omnes ab Eo propagati, per totum homi-

hominem commaculati, Peccatores constituuntur, pœnæque præsentis atque futuræ Reatum contrahunt; vel ut melius adhuc rem efferam, cum Ecclesia Anglicana, "Depra- *Conf. Art. 9.*
"vatio est Naturæ cujuslibet hominis, ex
"*Adamo* naturaliter propagati, quâ fit, ut
"ab originali justitia quàm longissimè di-
"stet, ad malum suâ naturâ propendeat, &
"Caro semper adversus Spiritum concupis-
"cat, unde in unoquoque nascentium iram
"Dei & Damnationem meretur. Manet e-
"tiam in renatis hæc Naturæ Depravatio:
"quâ fit, ut affectus carnis (Græci φρόνημα
"σαρκὸς, quod alii Sapientiam, alii sensum,
"alii affectum, alii studium carnis inter-
"pretantur,) legi Dei non subjiciatur. Et
"quanquam Renatis & Credentibus nulla
"propter Christum est Condemnatio, pec-
"cati tamen in sese rationem habere Con-
"cupiscentiam, fatetur Apostolus.

§ 3. Nec Hoc immeritò. *Adamus* ni- *Quam ob Rem & Rationem.*
mirum erat Totius Generis humani quasi fons, & Caput, & Radix utique. Neque pro semet tantummodò, sed & pro Posteris dona acceperat. Proinde nihil Absurdi est, si ex Fonte turbulento & coinquinato, Rivi turbidi manârint & lutulenti. Si Capitis ac membrorum eadem planè sit ratio. Si ex putrida Radice, Arbores putridæ succreverint. Si caput sibi membrisque suis eandem planè rationem habeat. Si ex ignobili Parente par Posteritas exoriatur. Namque Liberi non ex Parentum Regeneratione spirituali, sed ex eorundem Carnali proseminantur generatione. Nec Peccatum Originale malum est

penitùs Alienum, (quemadmodùm *Adami* Peccatum erat Actuale,) ità ut Nos Infontes simus; sed Lues isthæc ex Parentibus in nos omnes derivata, velut Lepra nativa in nobis resident. Huc accedit, quòd rupto fœdere violatóque per *Adamum*, quod cum toto humano genere in uno *Adamo* fuisset initum, necesse erat ut *novum Fœdus* sub *nova* deinde *Conditione*, una cum toto humano genere, quod unus Homo tunc erat, quasi de integro percuteretur. Nova autem *Conditio* erat, non ut *Innocens* deinceps, & ab omni peccato vacuus, sed ut *Sincerus* Præceptis Dei, & pro virili sua Parte (quantum fragilium esset virium) integro corde obtemperaret. Quin & decretum est insuper & provisum, à Patre Misericordiarum, *ut mulieris Semen Serpentis caput conculcaret, & conculcatum contereret.* Ut sicut omnes ac singuli in uno *Adamo* periissent, Omnes & singuli vicissim versa (nullum sibi ponentes obicem) in uno Christo reviviscerent. Quod vel ideo hoc in loco à me additum sciat Lector, ut non nullorum objectamentis antevertendo occurratur, satisque fiat in antecessum.

Secundum magis & minus in hoc Articulo erratur.

§ 4. Tutiùs longè erratur cum *Abailardo* apud *Bernardum*, & quibusdam Scholasticis in defectu, quàm in excessu cum *Monicheis*, quorum sequaces *Flaciani* statuunt, *Peccatum quod dicimus Originale ipsam Hominis esse substantiam.* Nam utcunque Totum hominis affecit Hæc labes infecitque; & in amissi Boni locum successit Malum, Quod, imagine Dei deleta, ipsam Imaginem Cacodæmonis magna ex parte introduxit; Utcunque

cunque Generationis Lex in Natura corrupta ità corrumpitur, ut Homo Hominem non magis, quàm Corruptus Corruptum generet; (planè ut * *Radix Amaritudinum sursum germinans*, vitiosos stolones protrudit unicè; ipsisque Catulis Luporum Lupina indoles ingeneratur;) Utcunque in corpore facultates, tam irascibiles, quàm concupiscibiles, (Rationis fræno quasi excusso) ceu Equi indomiti tumultuantur; Et ità Mens ipsa obtenebratur, ut nec compos sit nec capax eorum quæ propriè sunt Spiritûs Dei; Incolumis tamen semper manet ipsa animæ substantia, quæ nec ex se nec per accidens corrumpi valet.

* Heb. 12. 15.

§ 5. Duri sunt nimium & iniqui, qui innocuos infantes, aut ex incredulis oriundos, aut baptismatis expertes, tanquam Exleges atque Extorres ex Patria sua Cœlesti aliò ablegant amandántque. Obliti Deum omnipotentem esse πατέρα οἰκτιρμῶν: Obliti esse quàm plurima quæ infantibus quibuscunque facilè possunt subvenire. 1 Fœdus scilicet generale. Et 2 specialem Electionem. Et 3 Illam Veritatis æternæ Regulam, *quòd Nulla est aut esse potest Impossibilium Obligatio.* Et 4 nullum peccatum *mortale* esse, quod non est etiam *voluntarium.* Et 5 Gratiam Electionis communicari posse cum iis, quorum Majores non omninò ad Fœdus Dei pertinuerunt. Et 6 posse in Fœdere comprehendi Qui à Parentibus Fœderatis quantumlibet remotis ortum suum deducunt, per *illam Dei Misericordiam quam in * mille generationes* Deus se spondet exhibiturum.

Ut Infantibus Paganorum aut non Baptizatis succurri queat.

* Exod. 20. 6.

hibiturum. Et 7 inde usque ab *Adamo*, non tantùm *lapso*, verùm etiam resipiscente, perque Semen Mulieris jam tum promissum, in gratiam iterum & Pacem apud Deum redintegratio, Infantes quosque cùm Judæorum tum Gentilium genus trahere. 8 Quicunque denique damnantur, perquam *justissimè* damnari, & *suo merito*; Quicunque autem salvantur, per *Gratiam* utique salvari, eámque vel *gratos facientem*, aut *gratis datam*.

Quæstiones uniliter omittendæ.

§ 6. An, si *Eva* peccâsset sola, peccatum in Posteros propagâsset; An proximorum parentum vitia in liberos transeant; An peccato inficiatur Embryo nondum Animatus; An *Maria* Θεοτόκος peccatum Originale à Parentibus suis traduxerit, an ab eodem immunis fuerit; Quæstiones sunt inutiles, otiosæ, & eatenus saltem damnandæ, quatenus in irrita tempus terunt, ingenia hominum nimis exercent, Theologos inter se committunt, & Publicæ Paci inimicæ Zizania Dissensionum latè spargunt disseminántque. Sufficiat hoc in loco pauca pacificè observare; 1 nihil eorum omnium quæ inter Doctores ventilantur, aut necessariis debere annumerari, aut Fidei Articulis accenseri. 2 Vix aut nè vix quidem unquam, ante tempora *Lombardi*, B. Virginis Conceptionem dictam fuisse Immaculatam. 3 Nihil Virginis honori, quem Ipsi tribuit Evangelium, Sanctos Patres detractum velle, dum affirmant *beatam Virginem ad de Spiritu Sancto concepisse, non autem & conceptam fuisse. Peperisse Virginem, non tamen*

Bernhard. Epist. 174. Lugdun.

tamen & à Virgine partam; aliòqui ubi erit Prærogativa Matris Domini,—Si Matri ipsum tantundem dederis? 4 *Mariam in ipso utero sanctificatam priùs, quàm Natam,* (id quod Prophetæ *Jeremiæ*, ac *Johanni Baptistæ* Scriptura tribuit,) ex eo tamen non sequi, quòd à peccato originali immunis esset, in quantum Sanctificatio *non extinguit* ipsum peccatum, sed *reatum* peccati tollit, & *fomitem* minuit. 5 Nunquam denique *Mariam* illicitis flammis correptam fuisse vel tantillùm; & ea propter in omne ævum * *Beatam* fore prædicandam. * Luc. 1. 42, 48.

§ 7. *Peccatum Originale* sequuntur *Pœnæ* ferè innumeræ, quarum pars magna *peccata* sunt. Cujusmodi *mala* sustinere etiam in hac vita cogimur. Inter *mentis* humanæ Morbos, Hi præcipuè enumerantur. 1 Major in pueris *Ignorantia*, quàm in *Brutis* animalibus plerumque cernitur. 2 *Fatuitas* Idiotarum remediis major. 3 Difficultas discendi naturas rerum. 4 *Sui ipsius Ignoratio.* 5 Multiplex Animæ *Impedimentum* ab ipso Corporis Contubernio. 6 *Prurigo Animi* Naturalis, quæ *Curiositas* vulgò vocatur. 7 Inepta Levitas Cogitatuum ingratiis nostris, animóque quantumvis reluctante. Nec minores sunt morbi Hominum, quibus *Voluntas* ægrotat miserè. Ut 1 *Amor sui* immoderatus. 2 *Ineptitudo* & *Difficultas* sive virtutes excolendi, sive edomandi vitia. 3 Mira eorum *Negligentia* quæ ad beatè vivendum faciunt. 4 Inordinata *Soliciudo* de rebus nihili. 5 Statûs proprii *Fastidium.* 6 *Inconstantia*, *Instabilitas*, *Fructus miseri & Amari ex hac radice pullulantes.*

Adeatur omninò Bellarminus *de Statu Peccati, l. 6. cap.* 7, 8, 10, *&c.*

Actio mixta Voluntatis, quâ quis agit ἑκὼν ἀέκοντι γε θύμῳ, &c. Nec pauciora sunt Incommoda quæ *Corpus* humanum concomitantur. Qualia sunt 1 *Surditas*, *Cæcitásque*, quibuscum complures enascuntur. 2 Somniorum *Illusiones*. 3 Sensus communis *Hebetudo*, quæ mirè impedit, confundit, lædítque sensus exteriores. 4 In Appetitu *Infirmitas*, & *Repugnantia*. 5 Morborum *Varietas*, *Cruciatus*. 7 *Fames* ad rabiem usque ferociens. 8 Indefessus ad necessaria paranda *Labor*. 9 Vitæ & *Brevitas* & *Incertitudo*. 10 Morborum aut Mortis *Timor* ferè quotidianus. Sed maximæ omnium sunt Miseriæ extrinsecus homini advenientes. Ut 1 Deum habere excandescentem. 2 Esse sub Dæmonis potestate. 3 Insidiis hominum fraudibúsque esse plerumque opportunum. 4 Brutorum Recalcitrantium obnoxium esse Rebellionibus. 5 Exporrigi calamitatibus undecunque emersuris ex improviso, sive ex aqua, sive ex aëre, sive ex terra dehiscente, sive denique ex gehenna de Cœlo iterum descendente. Effectus autem & Fructus maledictæ hujus Peccati Arboris, [Peccati Originalis] & plurimi, & pessimi, & maximè omnium formidandi, sunt ipsa Peccata Actualia, de quibus mox deinde agendum est.

CAP.

CAP. XIV.

De Peccatis Actualibus.

§ 1. EX multiplici, Exactiſſimæ, ſed & Breviſſimæ Definitionis, quam Apoſtolus nos docet, Explicatione uberiore, Nulla mihi arridet magis, quàm Illa ſuaviſſimi *Melanchthonis*, in Colloquio propoſita *Wormatienſi*. Ubi *Peccatum vel Defectus, vel Inclinatio, vel Actio dicitur, pugnans cum lege Dei, offendens Deum, Damnata à Deo, & faciens nos reos æternæ iræ, & pœnarum præſentium ac æternarum, niſi fiat Remiſſio propter Filium Mediatorem.* Aliis dicitur non malè, *Actionis omnis irregularitas, ſive in mente & voluntate*, quæ interna dicitur, ſive *in geſtibus, verbis, & factis*, quæ eſt externa irrectitudo, ſi ità loqui fas ſit. Aliis *quicquid eſt Affectûs, Cogitatûs, quicquid Dicti, Factive, quo lex Dei violatur, aut aberratur à Norma legis*, Illud *actuale Peccatum* dicitur. Sed Prima ex iis Definitio, totam naturam Definiti, totúmque illud quicquid eſt quod *Peccati* nomine cenſetur, ſatis in ſe una complecti videtur, & abſorbere. *Definitio Peccati actualis.*

§ 2. Multæ ſunt paſſim in Sacris Literis quæ ejuſdem occurrunt Diſtinctiones, unde fœcunditas peccati, ejúſque Propago ferè *Diviſio Multiplex.*

innumera, facilè poteſt comprehendi. Nam reſpectu *efficientis*, ex ſola anima emergunt [a] *Concupiſcentiæ* naturales, pravæque homi- [b] *Cogitationes*. Ex toto homine oriuntur [c] *Carnis & Spiritûs inquinamenta*. *Cædes, furta, adulteria*, & quæ ſequuntur, *Matth.* 15. 19. Reſpectu ejuſdem, peccatum oritur ex [d] *juris aut facti ignorantia*, quale fuit nondum converſi *Pauli*; aut admittitur *contra* * *Scientiam*, quale fuit in ipſo *Petro*, Domini ſui *Abnegatio*; aut etiam *contra* [f] *Conſcientiam*, quale fuit tam ſcientis quàm volentis *Davidis Adulterium*. Reſpectu Cauſæ *materialis*, aliud *in Deum immediatè* patratur ſacrinus, ut [g] *Aaronis Idololatria*, [h] *Blaſphemia* filii Iraelitidis *Shelomith*, & quicquid eſt contra Primam Tabulam admiſſum; Aliud *mediatè* in ipſum Deum, immediatè verò *in Proximum*, Quale fuit [i] *Caini Invidia* ſimul & *fratricidium*, & [k] *Rebellio Abſolomi*; Aliud hominis *in ſe*, & in *Corpus ſuum*, ut cujuſcunque [l] *Scortatio*, atque [m] ἀυτοχειρία. Reſpectu cauſæ *Formalis*, Quod *per ſe bonum* eſt, *per accidens* fit *malum*; ut Bona non nulla [n] *Ethnicorum*; & Chriſtianam [o] libertatem non omninò intelligentium; & Bona opera [p] *Phariſæorum*; & quæcunque ad Dei gloriam [q] non fiunt. Reſpectu ejuſdem, peccata ſunt aut *omiſſionis*, aut *commiſſionis*, adverſus Dictum illud *Davidicum*, [r] deſiſte à malo, & fac bonum. Reſpectu *Cauſæ finalis*, peccatum Aliud eſt † *fortuitum*, Aliud *ex deliberatione*, quemadmodùm *Judas* [t] peccavit, & *Achitophel*. Reſpectu *effecti*, peccatur *gravius* aut *levius*, pro damni dati ratione, quòd ſpectat Cultus Vitulorum à [v] *Jeroboama*

[a] Mat. 5. 28.
[b] Mat. 15. 18.
[c] 2 Cor. 7. 1.
[d] Luc. 12. 48.
1 Tim. 1. 13.
Pſal. 19. 13.
[f] Mat. 26. 70.
[g] 2 Sam. 11. per totum.
[h] Exod. 32. 4, &c.
[i] Levit. 24. 10, 11, &c. ad v. 17.
[k] Gen. 4. 5, 8.
[l] 2 Sam. 13.
[m] 1 Cor. 6. 18.
[n] 1 Sam. ult.
[o] Rom. 2. 14, 15.
[p] Rom. 14. 23.
[q] Mat. 5. 20 & c. 6. v. 2.
[r] 1 Cor. 10. 31.
[t] Pſal. 34. 15.
† Num. 35. 21.
[v] Mar. 14. 10. 2 Sam. 17. 23.
[x] 1 Reg. 12.

roboamo introductus; [a] *Davidica* Populi Numeratio; & Seductio [b] *Balaami*. Respectu *subjecti*, peccatum aliud [c] est magis *spirituale*, ut vel *Hæresis*, vel *Superbia*; [c] aliud *Carnale* magis, ut *Ebrietas*, atque *Scortatio*; aliud est in [d] *mente*, aliud in * *voluntate*, aliud in [f] *gestibus*, aliud in [g] *Dictis*, in [h] *Factis* aliud. Respectu denique *Adjuncti*, aut *occultum* est peccatum, aut *cognitum* satis, & *apertum*. Prius vel ipsum [i] *Peccantem* latet; vel [k] Alios tantùm; Posterius patet vel [l] *omni tantùm*, vel [m] aliis etiam ex æquo. Respectu ejusdem, Peccatum dicitur aut *esse* tantùm in homine, sed *non regnare*, aut *instar Domini* * *regnare*, & *pro imperio* planè *Despotico*. Prius est etiam in *Renatis*, tantisper dum in carne militant, quos idcirco [n] *S. Johannes peccare negat*, peccato sc. regnante. Hujusmodi peccatum [o] *Remissibile* denominatur, per & propter *J. Christum* fide viva apprehensum. Posterius est in *Reprobis*, Qui Peccati sunt [p] Mancipia, [q] peccántque de industria, & voluptuosè; Hujusmodi Peccatum est [r] *Irremissibile*. Idque est vel *Promiscuum*, cunctis commune peregrinantibus, vel *Singulare* illud Peccatum *in Spiritum Sanctum*, ad quod Beatus † *Paulus* intendit digitum, & [t] *Peccatum ad mortem* dicitur; *Ad mortem*, emphaticè, & κατ' ἐξοχήν, quippe quod ità est *irremissibile*, tum *in hoc* seculo, tum in *futuro*, ut *pro tali peccato* [v] *non sit orandum*.

[a] 2 Sam. 24.
[b] Num. 25.
[c] 2 Cor. 7. 1.
[d] Mat. 9. 4.
* Mat. 5. 28.
[f] *Vers.* 29, 30.
[g] *V.* 22.
[h] *V.* 32.
[i] Psal. 19. 12, 13.
[k] Act. 5. 2.
[l] Jos. 7. 19.
[m] Mat. 18. 8.
[n] 1 Joh. 3. 9.
* Rom. 6. 12.
[o] Act. 26. 18. Rom. 8. 1. Mat. 12. 32.
[p] Joh. 8. 34.
[q] 2 Joh. 3. 8.
[r] Mat. 12. 32. Mar. 3. 29. Luc. 12. 10.
† Heb. 6. 4, &c. c. 10. v. 26, &c.
[t] 1 Joh. 5. 16.
[v] [illegible]

§ 3. Ad hanc novissimam peccati Distinctionem, referri potest vulgaris Illa in *Veniale*, & *Mortale*. Quæ Distinctio non inde

Speciatim in Veniale, & Mortale.

inde petenda est, quòd Peccatum ex se & natura sua aut *dignum est pœna*, aut *indignum*; Maledictus est enim & [a] *exetrabilis quisquis in omnibus non permanserit quæ in libro Legis sunt scripta*; & *Peccati vel* [b] *minimi stipendium mors est*. De *omni verbo* [c] *otiosa, reddens homines rationem in die Judicii*. Unde nobis utut sanctis orandum est, *Dimitte nobis sive* † *peccata, sive* * *debita nostra*. Nam vel *mala cogitationes impurum reddunt*, Mat. 15. 19. *Qui fratri irascitur, Judicio est obnoxius*, Mat. 5. 22. Quid, quòd *nostra etiam Justitia sicut pannus mulieris menstruatæ?* Esa. 64. 6. Unde apud *Cassandrum* in sua *consultatione* nonnemo dixit, quòd *jugiter super pannum vitæ, quem justitiæ operibus teximus, stillamus saniem diversorum criminum*. Indèque *Psalmista*, etiam post actam pœnitentiam, seriò petit à Deo Misericordiam, *Psal.* 130. 3. & 143. 2. Non *ex se* igitur *veniale*, sed *ab Eventu* dicitur Peccatum, cujus *Venia* propter *Christum* (illud nobis non imputantem) facillimè omnium impetratur. *Mortale* autem quod dicitur aliquantò latiùs se extendit, quàm ad numerum illum *Septenarium*, quem in Vocabulo isto *Saligia* plerique Scholastici complectuntur. Nam vel unum ex illis Peccatis Septem, *Acedia* scilicet, mortiferas Sex filias habere fertur: & compluscula enumerantur à Sancto *Paulo*, *Gal.* 5. 19, 20, 21. præterquàm quod *omne Peccatum Regnans*, cujus desideriis libentissimè indulgetur, & quod nunquam mortificatur, mortem affert, & reapse *mortale* est. Idem etiam appellatur Peccatum * *Vivens*, utpote quod in homine *vivit*, *vigétque*, usque adeò non

[a] Deut. 27. 26 Gal. 3. 10.
[b] Mat. 5. 19. Rom. 6. 23.
[c] Cor. 15. 36. Mat. 12. 35.
† Luc. 11. 4.
* Mat. 6. 12.
* Rom. 7. 8.

non languet, ut *furat* potiùs; eodem quo-
que redit Peccatum † *Malens*, quotiesfun- † Joh. 3. 36.
que putà Peccator nec morbum suum agnos- Joh. 9. 41.
cit, nec quærit Medicum. Sed post reli- *confer. c. 8.*
qua, atque præ reliquis. *v. 24.*

§ 4. Peccatum restat *in Spiritum Sanctum*, uberiùs quàm suprà, considerandum. Nulla nimirum hac majore exercet nos Deus difficultate, si penes *Augustinum* judicium sit. Illud imprimis pro certo constat, quòd Peccatum hoc dicitur in Spiritum Sanctum perpetrari; non ratione *Personæ* ejus, quatenus est *Tertia* Trinitatis *Subsistentia*; (nam qui in *Patrem* & *Filium* peccat, non potest quin peccet in *Spiritum Sanctum*;) sed ratione *Evangelii*, quod est *Spiritûs* * *Ministerium*; & ratione * *Illuminationis*, quæ ad *Officium* * 2 Cor. 3. 8.
Spiritûs spectat; nec *sine* † *gustu aliquo Cor-* † Heb. 6. 5.
dis irradiat mentem, *Heb.* 6. 5; & ratione
Testimonii, quod * *nostro perhibet Spiritui San-* * Rom. 8. 16.
cto Dei Spiritus qui Deus est. Ut videatur *in solis* hoc Peccatum impingendum, *qui Veritatem plenè agnitam*, & *de qua in Conscientia convicti sunt*, *malitiâ abnegant Voluntariâ*, *& blasphemantes eam impugnant.* Cavendum est igitur nè temerariò ad *quodvis* peccatum *voluntarium*, aut ad *quamlibet* Veritatis *abnegationem* extendatur. Nihil volo detrac- * Rom 5. 20.
tum *Gratiæ* * *supra peccatum exuberanti*, Quam Apostolus ad *Romanos* ità effert, magnique facit ut Peccatum quantumlibet flagitiosum à Gratia Dei de Cœlo edita, non *æquari* tantùm velit, sed mille modis *superari.* Illud (fateor) abundavit; Hæc verò *superabundavit.* Est Christianæ Charitatis, † *spe-*

Maximè est Mortale, quod peccatur in Spiritum Sanctum.

ὑπερπερισσεύσεν χάρις.

† 1 Cor. 13. 7. * 1 Tim. 2. 1. Aug. de Verb. Dom. Serm. 81.

† *sperare omnia*, & * *omnes precibus complecti.* Ideóque *Auguſtinus* de *Finali Impœnitentia* hoc peccatum exponi vult. Vult eſſe *Cordis impœnitentis perſeverantem duritiem, quæ in nullo, dum in hac vita eſt, deprehendi poſſit.* Dicitur autem *Irremiſſibile*, non quòd aut *natura*, aut *magnitudine* quidem ſua remitti nequit, (*Propitiatio* enim eſt *Chriſtus* pro Peccatis *Totius Mundi*,) ſed quoniam Illud qui committunt, Chriſtum *Unicum* Propitiatorem in Verbo Dei oblatum, ſcientes, volentéſque, & *Finaliter* etiam recuſant. *Chriſto* autem ‖ Heb. 10. 26. ità contemptim habito, * *Alia pro peccatis Hoſtia nequaquam manet.*

CAP. XV.

De Stipendio Peccati, ſeu Malo Pœnæ.

Connexio cum Capite præcedenti.

§ 1. PEccatum Pœna perinde ſequitur, atque Soboles Parentem, aut fontem fluvius. Quid enim æquius eſſe poteſt, aut magis ex ordine Naturæ, quàm ut quod Volens peccator patrat, idem Nolens patiatur? atque ut *Malum*, quod æquivocè de *peccato* & *pœna* enunciatur, excipiat *Malum* moleſtum, quod Turpe meruit? In hoc articulo Poetam Natura reddidit Orthodoxum. *Nunquam antecedentem ſceleſtum deſeruit ſequi pœna claudo.* Id nimirum ex æterna & immutabili *Juſtitiæ* Norma procedit, ut Malum morale

morale, sive Delicti, malum Supplicii ulciscatur; & necessario *Reatus* sequatur *Culpam*. Quid est enim *Reatus* aliud, quàm ad *Pœnam obligatio?* Ità inter se cohærent per nexum planè indissolubilem, *Peccatum* & *Pœna*, ut *Reatus* utrumque denotet apud Theologos; & *vitiosum* esse moraliter & esse *reum sive obnoxium* justissimæ Dei *Indignationi*. Et quid est aliud, *Christum fieri pro nobis miseris* * *Peccatum*, qui *peccatum non* † *noverat*, quàm duplicem illam Sarcinam, *Peccata & Pœnas* peccatoribus nobis debitas, *Christi* * *humeris imponi*, aut (quod eodem prorsus redit) Innocenti à Deo imputari?

* 2 Cor. 5. 21.
† 1 Pet. 2. 22.
* Esa. 53. 12. & 1 Pet. 2. 24.

§ 2. *Pœnæ* Peccatum originale consequentes, ità superiùs in classes sunt distributæ, (*c.* 13. § 7.) ut paucissimis & summatim hoc sit Caput transigendum; quia non agitur hoc in loco, nisi de Pœna illa multiplici quæ Peccatorum *actualium* Proles audit. Talis est *angor animi*, *morsúsque Conscientiæ*, quæ quovis Accusatore graviùs reum arrodit, Factíque monstrat fœditatem. Talis est *Sensus* irati Numinis, quem *Cainus* duxit *intolerabilem*; necnon *Manasses* in Oratione ad Deum habita, *Intolerabilis est Ira tua, inquit quam peccatoribus minaris*. Talis est *habitus vitiosus*, qui ità ad alia atque alia inclinat hominem peccata, ut deveniat insatiabilis, in peccando irrequietus, & κακὰ κακοῖς ἰᾶσθαι satagat. Talis *triceps* ille *Cerberus*, (si poeticum illud figmentum ad rem maximè seriam applicem,) Caro, Satanas, & Mundus; qui latratu rabiéque suis, Peccatorem, quem fecit, excruciat simul. Talis

Summa Pœnarum Capita.

Gen. 4. 13.

lis est omne genus Pœna, quà ad tempus, quà in æternum.

Ut Pios respiciunt.

§ 3. Aliter Deus punit, uti est *Pater Misericordiæ*; Aliter, uti *Justitiæ Vindex*. Pœna *piis* inflicta, respectu habito ad Finem, variis vocibus discriminatur. Dum flagello Dei * Paterno, aut aberrationis admonentur, aut in Viam reducuntur, παιδία dicitur, & νουθεσία. Dum quoad Fidem & Patientiam *explorantur* Dei Fideles, & quasi *Igne exequuntur*, propriè dicitur † δοκιμασία. Dum Religionis Veritatem passivè asserunt, effusoque sanguine obsignant, * *Martyrii* nomine insigniuntur. Dum bibunt ex eodem Tremoris Calice, cujus haustu, Filius Dei Confratribus suis propinavit, Συμμόρτωσις cum *Christo* in Sacra Pagina nuncupatur. *Pœna* autem quam Ipse *Christus* nostri causa perpessus est, vix aut aptiùs exprimitur, aut compendiosiùs, quàm dum *Captivi redempti* λύτρον, seu *Pretium* dicitur.

* 2 Sam. 7. 14, 15. Heb. 12. 7. Rom. 5. 10. c. 8. v. 1, 28. 1 Cor. 11. 32. † Psal. 11. 5. Jac. 1. 2, 3. 1 Pet. 1. 6, 7. * Apoc. 6. 9.

Et Impios.

§ 4. *Pœna* Impiis imposita, ἵνα ἀποπληρωθῇ, (quod *Aristoteles* habet in Ethicis,) καὶ εἰς ἐκδίκησιν, ut & Iræ & Justitiæ & Legi divinæ * *satisfiat*, aut hujus vitæ spatiis, aut nullis omninò determinatur. Primum genus complectitur quicquid est uspiam miseriarum, quibus in hac vita homines propter Peccatum subjiciuntur. Præsertim *Morbos*, *Mortemque primam*, quâ, terribili divulsione, corpus ab Anima Divortium patitur. Pœnarum hujusmodi temporalium, Omnes ferè Creaturæ quæ Dei judicia exequuntur, eique ut *Exercitus* Ductori parent, sunt quasi tot-

* Rom. 2. 8. Rom. 12. 19. 2 Tim. 4. 8. 2 Thess. 1. 6. Prov. 16. 4.

totidem Lictores, Carnifices, & Concausæ Instrumentales. Alterum genus comprehendit, quicquid aut *homines*, aut *Diaboli*, in vita futura perpetiuntur, Quam per * *Mortem Secundam Johannes* effert. Hæc inchoatur, quoad *Animam*, † quamprimùm corpore suo egreditur: quoad *Corpus* ex integro Animatum, in * Extremo Judicii die. Ubi, præter æternum illud à Beatifica Dei Visione desideratissimi Exilium, & horrificam *ejectionem in* † *Tenebras Exteriores*; Cruciatus sunt plurimi atque infandi, qui variis Symbolis adumbrantur, & Allegoriis; prout res spirituales per Corporales, ἀόρατα per visibiles, nondum expertæ per compertissimas, futuræ per præsentes, ad captum humanum accommodatas, exprimi solent, & adumbrari. Quales sunt † *fletus & stridor dentium.* * *Ignis inextinguibilis.* † *Stagnum ignis & sulphuris. Vermis ille non moriens.* * *Flamma simul Sitisque.* Quibus Typis Torturæ exquisitissimæ designantur. An verò *igne materiali* ustulandum sit aliquo, aut cujusnam naturæ sit, quandoquidem Scriptura nihil asserat διαῤῥήδην, nobis utique in medio relinquendum esse existimo. Curiosiùs inquirere in Res remotas extra Scripturam, *ubi loci* infernus sit, qui & *Gehenna*, & *Fornax*, & *Carcer*, & *Abyssus*, & *locus cruciatuum* hinc inde dicitur, nec libet, nec licet, nec expedit nobis Viatoribus. Summopere potiùs cavendum est, nè aut *ubi* sit, aut *qualis*, aut *quantus* denique, experiamur.

* Apoc. 20. 14.
† Luc. 16. 23.
* Joh. 5. 29.
† Mat. 8. 12.
* Mar. 9. 44.
† Apoc. 20. 14.
Mar. 9. 44.
* Luc. 16. 24.
Mat. 5. 22.
Mat. 13. 42.
1 Pet. 3. 19.
Apoc. 9. 1.
Luc. 16. 28.

§ 5. Istis

Pessimorum Effectuum usus optimi.

§ 5. Istis breviter prælibatis, Nihil magis, nihilque melius, aut cogitandum, aut curandum, aut omni ope nitendum superest, quàm ut παθήματα antedicta in μαθήματα totidem transmigrent; & ab ingenti *malorum* Iliade Aliquid *Boni* nobis accrescat. Ut universum Peccati *Corpus*, ejúsque *membra* sigillatim, & inde nata Miseriæ *Solatia*, diuturno deinceps sint nobis odio, & nunquam cessanti Terriculamento. Ut vices nostras miserrimas coram Deo agnoscamus, nósque cum gemitu humiliemus. Ut certatim edomemus effrenem carnem; neque duntaxat deploremus peccata singula anteacta, ab iisque sériò resipiscamus, sed & ab omni malorum *fomite*, & ad peccandum *incitamento*, ceu à veneno animæ præsentissimo, in omni vita abhorreamus. Ut pertæsi denique miseriarum ad pristinum * 1 Joh. 1, 7. statum felicitatis, per unum * *Christum* recuperandæ, nocte diéque suspiremus, & precibus Deum fatigantes, indefesso conatu contendamus.

CAP.

CAP. XVI.

De Libero hominis Arbitrio.

Connexio Sequentium cum Precedentibus.

§ 1. POst Hominem lapsum, ità ut diximus, & usquequaque depravatum; operæ pretium est inquirere, Quid sit Virium internarum, quod in Eo sic corrupto, videtur adhuc relictum esse. Simúlque subit considerandum, quòd Sicut Pœna à Peccato, atque à Pietate Præmium aliquam habet dependentiam, Sic Neutri locus esse potest, (qui proprius sit saltem, & rationabilis,) nisi *Agentis Voluntarii* Arbitrium etiam sit Liberum; Utut *Libertas* ea constet diversis gradibus, pro diverso hominis statu quo est à nobis considerandus. Quatuor * autem sunt Status, per quos vagatur Hæc Quæstio de Libero hominis Arbitrio: *Integritatis* ante Lapsum, *Corruptionis* post Lapsum, *Gratiæ* Status per Jesum Christum, Statúsque *Gloriæ* post mortem, & Beatam exinde Resurrectionem.

*Lombardus 2. Sent. Dist. 25.

Quantum fuerit Libertas *in Statu Primo.*

§ 2. Liberum Arbitrium, in primo statu, *Facultas erat Intellectûs & Voluntatis mixta* (inquit *Aquinas*) *ex intelligentia & appetitu, quâ & rectissimè de rebus Parvarum Primus judicavit, & judicata elegit, aut evitavit, prosecutus est, aut fugit*, prout moraliter aut *Bonum*, aut *Malum* erat.

Definitionis hujus Ratio in eo fundatur atque consistit, quòd ex *utriusque Facultatis* concursu, *Intellectûs & Voluntatis*, emergit Illud quod *Liberum Arbitrium* dicimus. Ità ut *Arbitrium* ad *mentem*, *Libertas* verò ad *Voluntatem*. De hoc Articulo accuratiùs cautiúsque aliquantò agendum est, quippe qui (Judice *Augustino*) *usque adeo est difficilis ad discernendum, ut quando defenditur Arbitrium liberum, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, Liberum Arbitrium putetur auferri.* Constat *Adami* Voluntatem ità fuisse verò liberam, & ab omni immunem violentia, (quæ *Coactio* sæpius dicitur, implicátque *Necessitatem*,) ut potuerit peccare, cùm non peccare potuisset. Nondum in Bono Confirmatus, nondum in statu Comprehensorum, velle Bonum potuit, & nolle malum, & vice versa. Sic ut in ejus Voluntate *Δυνάμει* esset *ἀντιφάσεως*. *Libertas* autem *Rectitudinis* quæ *Adamo* adhuc constiterat, immane quantum differt ab ea quæ *Libertas à Coactione* vulgò vocatur. Hæc est enim *de intrinseca Voluntatis ratione*, & à S. *Bernardo* rectè dicitur *Inamissibilis*. Illa ità à Creatore est comparata, ut (voluntatis Essentiâ salvâ) facilè nimis amitti posset, nam de facto amitti constat.

Aug. *de Gratia contra* Pelag. *l.* 1. *c.* 47. *& contra* Julian. *l.* 4. *c.* 8.

§ 3. Alia igitur post Lapsum *Libertas* est Misera *Voluntatis*, sive *libertas* † *à justitia*, (ut S. *Paulus* dicendam censuit,) qui Corrupta Voluntas hominis suâpte *sponte* quidem, & *liberè*, sed *ad malum* duntaxat ducitur, Cujus * *Mancipium* jam evasit, utpote à quo † *superatus est*. Unde etiam *Augustinus*

Quæ in Statu Secundo.
† Rom. 6. 20.
* Joh. 8. 34.
† 2 Pet. 2. 19.

non amplius *liberum*, sed * *Servum* Arbitrium dicitur. *Successit* enim in locum primævæ illius Libertatis, *Servitus* ista Catastrosa, quæ est contumax, effrenis, & quasi cervicosus ad malum impetus, quo ita Agens abripitur, ut *nondum Regeneratus* nihil nisi peccare queat. Quod non ita intelligendum esse volo, ac si Hominis sive *Essentiam* sive *Naturam* deperditum eam aut violatum. Nam non Hominem *Voluntate*, sed Voluntatis *Rectitudine*, & primigenia *Sanitate* privatum esse contendo. *Voluntas* autem non est, quæ non est aliquo modo *libera*, respectu nimirum habito ad *agendi modum*, qui ita à natura est comparatus, ut nec quisquam cogatur ad agendum ab extra, nec ex instinctu naturali (ut Arbor) agat, sed sponte sua, & liberè, & ex intrinseco motûs principio, vel *prosequatur*, vel *recusset* objectum aliquod. In rebus utique Mundanis, *omnia* potest propemodum Liberum hominis Arbitrium, In rebus verò spiritualibus (Gratia Dei non accedente) omninò *Nihil Illius* fidem nobis faciunt egregia Ethnicorum Opera. Hujus liquida Probatio ex Scripturarum testimoniis petenda est. De *Intellectus Cæcitate* plus satis liquet, ex *Joh.* 1. 5. ex 1 *Cor.* 2. 14. & 2 *Cor.* 4. 3. ex *Eph.* 4. 18. De *Pravitate Voluntatis* certos nos faciunt Testimonia, ex *Gen.* 6. 5. *Rom.* 3. 11. & c. 8. v. 7. *Sapientia Carnis Inimica est Deo; legi enim Dei non est subjecta, nec esse potest.*

* Aug. *cont. Jul. l.* 2. & *Enchir. c.* 30.

Jer. 13. 23. Ezek. 36. 26. Rom. 5. 10. Eph. 2. 3.

§ 4. Alia etiam *Arbitrii Libertas* est in Statu hominis Regenerati, Conversique. Nam ex Statu depravationis in Statum

Quadruplex in Tertio hominis Statu.

Gratiæ conversus, ab errore in Veritatem, ab incredulitate ad Fidem, à tenebris ad Lucem, à Peccatis ad Deum, Novam Arbitrii libertatem, non ab ipso sanè *Peccato*, sed à *Peccati Servitute*, evestigiò consequitur. Novâ luce accensus, novis viribus munitus per Spiritum Sanctum, Eidem Spiritui

* 1 Cor. 3. 9. * *cooperatur*; *Arbitrium* habet à Filio Dei
3 Joh. 8. † *liberatum*. * *Liberatus à peccato, factus*
Mar. 16. 20. *est Justitiæ Servus. Et ubi Spiritus Domini,*
2 Cor. 6. 1. *ibi libertas. Agimur ut agant*, (inquit Ber-
† Joh. 8. 36. tus † *Augustinus*) *non ut Ipsi nihil agant re-*
* Rom. 8. 18. *nati*. Neque indignum est notatu, quàm
2 Cor. 3. 17. operosè distinguat Idem inter Gratiam pre-
† *De Corrept. & Grat. c. 2.* venientem, præparantem, assistentem, cooperantem, & Gratiam denique perficientem. Conversio autem hominis non est ex homine, sed ex gratia divina tantùm. * *Sine me* (inquit Salvator) *nihil facere potestis.*

* Joh. 15. 5. † *Sufficientia nostra ex Deo est. Deus est qui*
† 2 Cor. 3. 5. *operatur* * *& velle & perficere*. Verum est,
* Phil. 2. 13. quod ad externas actiones attinet, (cujusmodi sunt, interesse precibus, frequentare conciones, iisdem attendere, verbum Dei legere, audire, * annunciare, & contemplari,) Eas Homo non Renatus præstare potest, debetque. Illud tamen externum studium nihilum meriti conciliat, quod ad

* Perkinsio *veste, in Cath. Reform. Contr. 2.*

* Rom. 9. 19. *Conversionem* spectat. * *Non enim volentis, neque currentis est, sed Solius miserentis Dei*;
† 1 Cor. 3. 6. & Quisquis *plantat, rigatve, Solus dat* † *Incrementum Deus*. Velle quidem Naturæ est; Malè velle, Corruptionis; Benè velle, Con-
* Gal. 5. 17. versionis. * *Lucta Carnis & Spiritus* manet etiam in Renatis; Sed *Mens* per gratiam *reformata*, Et *Voluntas* per Eam *liberata*,

tua, Legi Divinæ condelectatur, & contrarium pugnare gestit. Immò in ipso etiam *opere* (si non & *Actu*) *Conversionis*, Hoc per omnes licebit dicere, quòd Homo non ponit obicem, non reluctatur, non recalcitrat suadenti, non resistit Spiritui Sancto, quemadmodùm Illi apud *Judæos*, qui * *Semper eidem resistebant*, (non *extrà* tantùm, sed & intùs docenti ac monenti.;) Nam cum *resistitur Spiritui Sancto*, ut † *tristitiâ* dicatur affici, Deus spernenti *priorem* Gratiam, subtrahit posteriorem, alioqui paratam exhiberi.

* Act. 7. 51.

† Eph. 4. 30.

§ 5. In statu Gloriæ, ad quem Renati in gratiæ statu anhelant, Plenissima Arbitrii Libertas erit; Libertas, non modò à Peccati *servitute*, sed ab ipso etiam *Peccato*, & à peccandi *aptitudine*, sive *potentiâ* relabendi. Nulla nimirum erit aut judicii imbecillitas, aut irrectitudo Voluntatis, aut Appetitûs irregularitas; Sed *Deum* * *de facie ad faciem* contemplantes, εἰσάγγελοι *erimus*, (inquit Salvator,) Eundémque unà cum Angelis in æternum collaudabimus.

Quænam in quarto futura sit.

* 1 Cor. 13. 12. Mat. 22. 30.

§ 6. Prædictis omnibus juxta positis, maturéque consideratis, restat 1 ut nostram in Spiritualibus inopiam summam agnoscentes, & cristas superbiæ demittamus, & ad amissa per Lapsum Bona per Gratiam Christi aspiremus. Ut 2 admirandas hominum non renatorum Dexteritates, in rebus Seculi & Externis, debito modo contuentes; & præstantissima Dei dona quibus vel Ethnici exornantur, rectè nobiscum reputantes; Largitorem bonorum omnium admirabundi magnificemus,

Usus Præcedentium ad Pacem tendens.

nificemus, & pro muneribus tam egregiis agamus gratias. 3 Ut inter Errores in *Excessu*, (cujusmodi sunt *Pelagianorum*,) atque Errores in *defectu*, (quales sunt Illi *Manichaeorum*, *Marcionitarum*, *Valentinianorum*, & quicunque *Stoicorum* vestigia legunt,) medium tramitem teneamus, Hic, ut ubique ferè, tutissimum.

4. Restat denique ut, amoto Partium studio perquàm longissimè, *Moderationi & Pari*, perinde atque *Veritati*, in hoc Articulo, tam difficili támque vexato, *studeamus*. Cardo autem totius rei in eo consistit, ut sciatur, Quid ad suam Conversionem *conducat* Hominis Voluntas, aut *non* conducat. Omnibus inter se convenit, & *cum Ecclesia Anglicana*, (modò vestigiis hæreticorum antedictorum non insistant,) *Eam esse hominis post Lapsum Conditionem, ut sese naturalibus suis viribus & bonis operibus, ad fidem & invocationem Dei convertere, & præparare non possit. Quare absque Gratia Dei quæ per Christum est nos præveniente ut Velimus, & cooperante dum velimus, ad Pietatis opera facienda quæ Deo grata sunt & accepta, nihil valemus.* Quidni conveniat inter omnes, aliter hominem se habere in ipso opere Conversionis, quàm stipes insipidus, aut truncus? Decantatum est Illud *Augustini*, *Qui Creavit te sine te, non justificabit te sine te.* Et clarissimus *Molinæus*, Dordrechtanæ Synodi Hyperaspistes, vel cane pejus & angue Dictum Illud abominatur, *Fidem à Deo* (non duntaxat *in nobis*, verum *&*) *sine nobis effici*. Ipsam Animæ *substantiam*, ipsam *Naturam* & *Voluntatem* in homine converso *de novo* fieri, (*mutari* veterem,

Eccl. Angl. art. 10.

Pet. Molin *in Anat. Arm. c. 44 sub initium.*

rem, immò & *destrui*,) Illud *Flacii Illyrici* Commentum erat absurdissimum. *Meticulosior* sim è contrà (prope dixeram & *Modestior*,) quàm ut cum * *Beza* celeberrimo effari ausim, *etiam & prima Dei Gratia convertendos homines* συνεργεῖν. Tutiùs multò, minúsque audacter, & minori offendiculo, cum doctissimo † *Perkinsio* dicendum reor, " Multis Deum Externis, ut Mediis uti, quibus hominis Conversionem paulatim inchoat, & quæ si pertinaciter respuat homo Ψυχικὸς, Inexcusabilis statim efficitur. " Idem * alibi *Perkinsius* ait, Hominem etiam " in prima Conversione non habere se merè " passivè, sed *liberum ejus arbitrium cum Gratia concurrere*. Liberè ergò credit homo, " libertate non natâ, sed datâ. Eundem in sensum dixit eruditissimus *Tilenus*, (etiam antequam transibat in Castra *Arminianorum*,) " Voluntatem *ad actum volendi* conversionem " suam, & credendi, *non Physicè determinari*. Neque aliter *Augustinus*, *Eâdem gratiâ* (inquit) *quæ est per fidem Jesu Christi, non nova voluntas creatur, neque invita voluntas cogitur, sed infirma sanatur, depravata corrigitur, & ex mala in bonam convertitur, ac interiore quodam motu ità trahitur, ut ex nolente volens efficiatur, & divinæ Vocationi libenter consentiat, & pòst (eâdem cooperante) divina Voluntati obediat, & in bonis operibus per eandem gratiam perseverando, ex eadem gratia hæreditatem regni Cœlestis adeat*. Orthodoxæ hujus Doctrinæ summam breviter comprehensam videre est *in Concilio Araussicano*, quod quasi Compendium est eorum omnium quæ passim apud *Augustinum*, & alios diffusissimè leguntur.

* *Quæst. & Respons. l. 1. fol. 621.*

† *Ubi suprà.*

* *Apud* Grotium *in sua Conciliatione, &c. p. 255.*

Ibid.

V. Aug. *de Gratia & lib. Arb ad* Valent. *c. 13. & Confer* Cassandri *Consult. in Con. Augustan. Art. 18.*

Excerpta ex Auctoribus ad Concordiam faciencia.

§ 7. Concludam hoc Caput de *libero* hominis *Arbitrio*, (quemadmodùm *Caput Quintum de Prædestinatione*,) cum quibusdam non minus verè, quàm pacificè Dictis, de quibus aut *convenit* inter omnes quibus cordi est sapere ad sobrietatem, aut *facilè potest* convenire.

Prosper *de Vocat. Gent. l.* 1. *c. ult.*

Profunditas illius Quæstionis quàm impenetrabilem confitemur, per *liberi arbitrii velle & nolle* non solvitur: quia licèt insit homini bonum nolle, tamen nisi donatum non habet bonum velle; & illud contraxit Natura per *culpam*, Hoc recepit Natura per *Gratiam*.

Idem de lib. Arb in Epist. ad Roffin.

Gratia Dei quoscunque justificat, non ex bonis meliores, sed ex malis bonos facit. Postea per profectum ex bonis factura meliores, non *adempto* libero arbitrio, sed *liberato*.

Idem contra Collatorem, c. 38.

Non conturbat nos superbientium inepta querimonia, quâ liberum arbitrium calumniantur auferri; ——quoniam opitulationes divinæ gratiæ stabilimenta sunt Voluntatis humanæ. *Volentes oramus*, & tamen misit Deus *Spiritum* in corda nostra, *clamantem Abba Pater*. *Volentes loquimur*, si *Pium* tamen, *Spiritus loquitur in nobis*. Volentes operamur salutem nostram, & tamen *Deus* est, *qui ipsum Velle & operari in nobis operatur*. Volentes diligimus Deum & Proximum, & tamen *Charitas ex Deo diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui est in nobis*. ——Quòd liberum arbitrium homini inditum maneat in natura *profitemur*; sed qualitate & Conditione *istâ* mutatâ per

Rom. 8. 15. Mat. 10. 20.

Philip. 2. 13.

Rom 5. 5.

Jesum

Jesum Christum,—ut delectatione affectâ, fide mundatâ, spe erectâ, Charitate accensâ, liberalem suscipiat Servitutem, & Servilem amittat libertatem.

An fortè verendum, nè *liberum* tollere videamur *arbitrium*, cùm omnia per quæ propitiatur Deus, ad ipsum dicimus referenda? Nequaquam esse consequens Veritatis ostenditur. Operante enim Spiritu Dei *juvatur* arbitrium, *non aufertur*, & hoc agit Gratia, ut voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumsepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus suis: sed per opem miserentis Medici curata revalescat, & gaudeat se non interrogantem edoctam, & non quærentem esse quæsitam.——Quia Prophetica, Evangelica, Apostolica Doctrina, nec superbos nos vult esse, nec desides; *Cooperatores nos oportet esse gratiæ Dei*, ut illam excitantem, juvantem, locupletantem, & quotidiè provehentem, vigilanter & sobriè subsequamur. *Idem in Epist. ad Demetriadem.*

Sic ipsam Mentem *Augustini*, cujus Amicus erat *Prosper*, atque Discipulus sequacissimus, totus spirat *Aquitanicus*, & sanè Totam.

Si non sit liberum arbitrium, non est quod Salvetur; si non sit gratia, non est unde Salvetur; pari modo quo jamdudum *Augustinus*; *Si non sit liberum arbitrium, quomodo Deus judicat Mundum? si non sit Gratia quomodo salvat Mundum?* Quem imitatus *B.* * *Prosper* si (inquit) *tollitur voluntas, ubi ipsa est origo verarum virtutum? Si tollitur Gratia, ubi est ipsa bonorum causa meritorum?* *S. Bernardus ad Valentinum Epist. 46.* * *De Vocat. Gent. l. 1. c. 1.*

Atque

Cassand. *Conf. in Via ad pacem Ecclesiastica, p.* 130.

Atque utinam (inquit *Cassander*) in hac simplici Explicatione, quæ divinis literis & orthodoxæ Doctrinæ consentanea est, & ad Pietatem sufficit, permaneatur; & inutiles ac infinitæ Quæstiones, de Necessitate, & [illegible], è medio auferantur.

H. Grotius *in sua Conciliatione, p.* 54.

In summa, (inquit *Grotius*) Duo sunt operandi genera præcipua, quæ tamen habent momenta sua & gradus: *Illuminatio*, & *Regeneratio*. Mens cæca est circa spiritualia, itaque perfundi debet novo lumine. Voluntas est mortua spiritualiter, itaque novus vitales spiritus debet accipere. ——Sed his *Dei* actionibus subordinatæ sunt actiones quædam *hominis*, quas homo *liberè operatur, operante Gratiâ excitatus*, & *cooperante adjutus*. Sic illuminationi respondet attenta Meditatio; infusioni virium in voluntatem, ait eorundem virium, putà Actus ipse agendi pœnitentiam, & credendi; Qui Actus sunt *non Dei*, sed *Hominis, à Deo, & per Deum*. Cæterum (paulo pòst Ille) si quis ex infusione habitus fidei ipsum Actum putet necessariò produci, ità tamen ut fateatur, hominem gratiis ad infusionem prævîis non rectè utendo, ipsum infusioni aditum potuisse præcludere, cum eo non magnopere videtur litigandum.

D. Overallus *in Expos. Sent. Eccl. An.* 6.4.

Denique *sic* in Articulis nostris, (inquit optimus ille Sententiæ Ecclesiæ Anglicanæ Interpres,) multisque liturgiæ locis, Gratiæ necessitas astruitur, ut tamen sub Gratia, voluntas libera relinquatur; sine qua frustra Leges, Præcepta, Consultationes, Exhortationes, Admonitiones, Promissiones, Comminationes, Laudes & Vituperia, Præmia & Pœnæ

Pœnæ proponerentur; Omnisque curæ, & diligentiæ, studii, consilii, & laboris ratio tolleretur. Ità nec *nihil* nec *minimum* Arbitrio libero tribuetur; nec ex una parte (cum Gratiæ irresistibilis Defensoribus) *liberum arbitrium*, non modò *ante gratiam*, sed etiam *sub gratia*, negabitur, & evacuabitur; nec ex altera parte, *Gratiæ salutaris* efficacitas ab *Arbitrii* virtute & *libertate* dependebitur. Sed concesso *Gratiæ divinæ* Principatu, *Humana Voluntas* ut Pedissequa, *libera* tamen Pedissequa, *liberèque* Gratiæ obsequens, adjungetur; per quam *Gratiæ prævenientis* monitionibus excitatam, & affectionibus præparatam, & viribus roboratam & adjutam, Homo & liberè & libenter Deo cooperetur, *nè Gratia Dei in vanum recipiatur.*

CAP. XVII.

De Lege Dei.

Connexio Capitis sequentis cum antecedente.

§ 1. DE *lege Dei* à quibusdam immediatè post *Providentiam divinam* agitur, quia *hominum Gubernatio* (quæ Providentiæ est opus) fit peculiariter per *Legem Dei*, quæ Totius vitæ est Regula. Et quemadmodum in toto *Providentia* objecto aspectabili, nihil est nobilius Homine; Sic inter media seu Instrumenta Providentiæ, nihil est præ-

præstantius *Lege*, quâ Homo gubernatur. Ab Aliis immediatè post Hominem in statu innocentiæ & miseriæ consideratum, *de Lege Dei* Tractatur: quia duplicem illum statum excipit duplex Alius, *Gratiæ* scilicet & *Gloriæ* status. *Gratiæ* statum *Redemptori* acceptum ferimus. *Redemptor* autem non cognoscitur, nisi *ex Lege* & *Evangelio*, ex quibus tota Scriptura constat. Ex *Evangelio*, Redemptoris petenda est *Veritas*, ex *Lege* verò *Necessitas*. Unde priùs de *Lege Dei*, quàm de ipsius Evangelio agendum est. Ab Aliis denique actum est, immediatè post Peccatum & *Liberum Arbitrium*, de *Lege Dei*, Quia quemadmodùm *Peccatum* est ipsa *Legis Transgressio*, ità *Peccati* etiam *Agnitio ex Lege* est. *Rectum est mensura Sui & Obliqui*. Et certè *Curvitas* illa animæ, quæ *Peccati* nomine censetur, vix aut nè vix quidem capitur, nisi habitâ relatione ad illam *Regulam justitiæ*, quam *Legem* dicimus.

1 Joh. 3. 4. Rom. 3. 20.

Quid & Quotuplex sit Lex secundum Dicta.

§ 2. *Lex* sive à *legendo*, sive à *ligando* dicitur (ut νόμος græcè ἀπὸ τῦ νέμειν,) vocabulum est in Sacris literis multifariam significativum. Utque *Erroribus* caveatur, quos varietas Significatuum jam pridem peperit, atque etiamnum non semel parit, operæ pretium facturus videor, Si Significatus *Legis* præcipuos ex Sacris Bibliis præmisero.

Quandoque sumitur *generaliter*, pro *Tota Dei Scriptura*. Ità & *Evangelium* vocatur *Lex*. † *Lex exibit de Sion*; dicitúrque *Lex Fidei* ab Apostolo ad *Romanos*. Sic apud Psalten sæpenumero; ut *Psal.* 1. 2. *Psal.* 19. & *Psal.*

† Isa. 2. 3. Rom. 3. 27.

Pſal. 119. Quandoque ſolùm pro toto vetere Teſtamento, ut *in* * *Lege ſcriptum* dicitur, quod legitur in *Pſalmo* 25. 19. & S. *Paulus in Lege* (quod erat ex *Eſaia*) *ſcriptum* dicit. Quandoque magis ſpecialiter pro Libris tantùm *Moſaicis*; ut *Luc.* 24. 44. Quæ ſcripta ſunt *in Lege Moſis*, &c. *neceſſe eſt impleri omnia.* Quandoque etiam pro ratione, vi, virtute, aut impetu cujuſlibet rei cui adjungitur; ut Lex Peccati, Lex Mortis, Lex in Membris, Lex Spiritûs, Lex Naturæ, &c. Quandoque per Synecdochen, pro una aut altera legis ſpecie, ut *Joh.* 1. 17. Quandoque per Metonymiam, pro dominio aliquo aut impulſu, ut *Rom.* 7. 23. & 8. 2. Sed plerumque & κατ' ἐπεξήγησιν, (ſecundum id quod prævalet) pro *Decalogi Doctrina*, prout à *Moſe* erat exhibita, ubi ubi ſive in vetere, ſive in novo occurrit Teſtamento, Vocabulum *Legis* in uſu eſt.

* Joh. 15. 25. 1 Cor. 14. 21.

§ 3. Dividitur Lex pro variis reſpectuum differentiis, vel in Divinam, & Humanam; vel in Moralem, Ceremonialem, & Judicialem; vel in Scriptam, & non Scriptam; in Eccleſiaſticam, & Politicam; in Naturalem, & Civilem; in *Neceſſariam*, & *Mutabilem*, quam etiam *Poſitivam* plerumque dicimus. Quæ Populum Dei ſpectabant ſub *Moſaica Diſpenſatione*, Tribus Legum generibus Deus voluit conſcribi, Quarum *Moralis* Regina audit, Totiúſque Vitæ Magiſtra, Exquiſitiſſima *Pietatis* adverſus Deum, & *Probitatis* adverſus hominem, Norma & Regula Immutabilis. Primæ hujus Tabulæ, quæ Pietatis officia regit, *Lex Ceremonialis* tanquam Pediſſequa

Secundum Eſſe, præſertim ut a Deo per Moſen lata.

dissequa non uno modo famulatur. Secundæ ejusdem Tabulæ, quæ omnigenam sancit Justitiam morúmque Integritatem, *Lex* ancillatur *Judicialis*. Pœnis enim adhibitis, aliisque etiam aptissimis ex mente Dei Institutis, civilem tuetur Societatem, Pacémque munit eo fine, ut Divinum liberiùs colatur Numen. Sanctus *Paulus* tribus Verbis videtur has leges indigitâsse; ubi *Sanctam*, *Justam*, & *Bonam* esse legem asserit. *Sanctam* quidem *Ceremoniis* à Deo datis. *Justam* Politicis Sanctionibus *suum cuique* tribuentibus. *Bonam* omninò, & usquequaque, Præceptis Ethicis & Moralibus, Naturæ ipsi coævis, nec unquam nisi cum seculi Cœlique Fabrica desituris. Legem *Forensem*, & *Ritualem*, ut *Hebræis* quodammodò *propriam*, missam facio impræsentiarum: Ad eam potiùs me conferens, cujus vinculis ex æquo *Judæi* & *Gentes* obstringuntur; nec ad *tempus* duntaxat, sed in *æternum*.

Specialissimè Moralis ante Mosem ab Æterno.

† Rom. 2. 15.
* Gen. 1. 27.
† Eph. 4. 24.

§ 4. *Lex Moralis* inde usque ab ipsis Mundi incunabulis, tradita est divinitus & patefacta, mentibus *Hominum* ingenerata, & quasi Cordibus † insculpta; *Hominum* (inquam) ad * *Imaginem* opificis sui creatorúm, Quæ in † *Justitia & Sanctitate* (quarum Nomen & Speculum in *Lege Moralis* videre est) præcipuè conditur & consistit. Quid, quòd in *Mente Divina* extiit, ante Tempora Secularia, aut jacta Mundi Fundamenta? Quòd *æterna* sit Dei *Sanctitas*, *Misericordia*, & *Perfectio*, Quis ibit inficias? Ac verò cœlitus & diserte *jubentur* Homines, & quidem *Omnes*, esse * *Sancti*, † *Misericordes*, & * *Perfecti*, quem-

* Lev. 11. 44. & 1 Pet. 1. 15.
† Luc. 6. 36.
* Mat. 5. 48.

quemadmodùm Ipſe *Cæleſtis Pater* eſt & *Sanctus*, & *Miſericors*, & *Perfectus*. Cujuſmodi Perfectionis in *Lege Morali* Imago eſt. Quid, quòd *Legis* hujus *Doctrina*, longè ante ſolennem illam in Monte *Sinai* promulgationem, Sanctis *Patriarchis* tota ſenuit, reliquóque Dei Populo per Patriarcharum miniſterium clarè fuit annunciata? Dicit diſertè *Tertullianus*, & ex profeſſo etiam * *Contendit*, *eam legem à Moſe ſcriptam in Tabulis lapideis, Legem fuiſſe nonſcriptam, quæ naturaliter inſculpebatur, & a Patribus cuſtodiebatur*. Dicit hanc *Legem Primordialem Adamo & Evæ in Paradiſo fuiſſe datam*; & Legem illam primævam [de *Fructu arboris interdictæ non tundendo*] fuiſſe *omnium Præceptorum* in Lege Morali quaſi *Matricem*. Nec *Dicit* tantummodò, ſed & *Demonſtrat*.

* Tertull. in libro contra Judæos non longè ab initio, p. 133. & ſequ.

Et ſumma quidem cum ratione. *Fœdus* enim quod cum *Hebræis* percuſſit Deus, & quod omnem Religionem, ſeu Cultum Dei univerſum, Salutiſque humanæ myſterium totum continebat, *Idem* erat, *ex parte Rei*, quod cum *Adamo* contractum fuerat; *confirmatum* poſtea cum *Abrahamo*, novóque *auctum* ritu, (nimirum *Circumciſionis*;) deinde cum *Poſteris Abrahami*, (Populo ſcilicet *Iſraelitico*,) hoc maximè *Renovatum*, quòd inde *Chriſtum Salvatorem* tempore ſuo præfinito natum iri, ante Mundi Primordia Decretum erat. Neque cum iis *excluſivè*, ſed & cum *Reliquis Gentilium* ex hac hypotheſi, ſive ſub hac Conditione, ut *Arboris* hujus *Iſraeliticæ* quaſi *Truncus* * inſererentur. Quinimmò *Veritas* hujus Doctrinæ multiplici patet argumento. Quid enim *Aliud* vult ſibi *Opus illud Legis* quod

Totum Genus Humanum tangit.

* Rom. 11. 17, 18, &c. ad v. 25.

quod *in Cordibus Ethnicorum Scriptum* dicitur ab Apostolo, *Rom.* 1. 15? Annon *Summa Legis* consistit in *Dilectione*? Annon Lex de diligendo & Deo & Proximo tam *Gentiles* quàm *Judæos* ex æquo obligat? Annon *Illa* Lex obligat, in quibus justè punitur *Transgressio* Legis? In * *Gentilibus* autem punitur Moralis Legis Violatio. Annon etiam ad *Gentiles* Leges Illæ attinebant, à quarum Violationibus *Gentiles* maximè † abhorrebant? Quædam sunt (fateor) in *Lege Morali Ritualia*, quæ ad *Judæos* solos spectabant. Quæ verò purè & in totum *Moralis* est, ad Homines universim *quà Tales* spectat.

* Lev. 18. 24, 25, &c. Rom. 1. 18, 19, &c. Eph. 6. 8, 9. † 1 Cor. 5. 1.

Regulæ 13 *ad mentem Totius Decalogi facientes.*

§ 5. Præcepta Legis Moralia, quæ & summatim, & breviter, & Paucissimis concluduntur, eóque minùs sunt perspicua, opus habent quibusdam *clavibus*, quibus Thesauri, latentes inibi, faciliùs possint aperiri. *Regulæ* autem assignantur ab aliis plures, ab aliis pauciores, Quarum ope, Præceptorum quæ latissimè patent omnium, videtur mens tota recludi posse. I. *Qua generaliter in Præceptis Decalogi docentur, sunt per species exponenda.* Et ubi Quid *specialiter enunciatur, illic intelligitur totum Genus.* Ità damnatur in *Homicidio*, quicquid officit saluti. Damnatur in *Adulterio*, quicquid Castitatem violat. Prohibetur in *Furto*, quicquid alienis obstat Commodis. In *falso Testimonio*, mendacia quævis Convitiáque; & sic de cæteris. II. *Cum in Decalogi Præcepta per Synecdochen Species & Membri efferuntur; idque Metonymicè*; ità ut cum Causa intelligendus sit Effectus, cum Antecedente Consecutivum, cum Affirmato Negatum,

Negatum, cum Relato Correlatum. Sic in Prohibito *Adulterio*, prohibetur *Luxuria*; Luxûs *Mater*. In *Castitate* viciſſim requiſita, requiruntur ejuſdem Media, *Temperantia* ſc. & *Abſtinentia*. Sic Bonum præſcriptum præſtari non poteſt, niſi malum caveatur contrarium; & vice verſa. Ità cum jubentur Filii Parentes ſuos honorare, Ex correlato intelligitur, quòd Parentum eſt Filios ſuos * *in monitis Dei enutrire.* III. *Ubi nobis proponuntur Virtutes aliquæ amplectendæ, ibi Vitia vetari contraria conſtat.* Ut, ſi Parentes ſunt Honorandi, graviter peccat, qui Eos afficit Ignominiâ; & vice verſâ. IV. *Non malè facta duntaxat, ſed pravè dicta, & Motus animi ad peccandum voluntarii per totum Decalogum prohibentur, etiamſi non erumpant & matureſcant in facinora.* Immò cavenda & evitanda ſunt ipſa Malorum Irritamenta. Quò ſpectat Regula apud me Quinta, quòd *Decimum Legis Præceptum Novem omnium præcuntium Interpres eſt fideliſſimus.* Nequis enim dubitet (cauſatus obſcuritatem) an *Lex Dei ſit* † *Spiritualis*, (homini non minus *interno*, quàm *externo* lata,) *Naturæ* Legis iſthâc Coronide apertè & clarè manifeſtatur. Quin & Ipſe Salvator Dominus in ſua *Legis* * Elucidatione, ità Hoc Præceptum ultimum interpretandum eſſe oſtendit, ut per Decalogi Mandata ducatur omnia. VI. *Non qualiſcunque obedientia Interior ſufficit, ſed requiritur* * *Perfecta, omnibuſque numeris Abſoluta.* Diliges Dominum Deum *ex Toto Corde*, &c. VII. *Cujuſque Præcepti Finis & Scopus prodeſt maximè ad Senſum ejuſdem inveſtigandum.* Totus autem Scopus

* ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ, Eph. 6. 4.

Mat. 5. 28.

† Rom. 7. 14.

* Mat. 5. 17, 18, *&c. ad finem uſque.*

* Deut. 6. 5.

Scopus & Finis Legis diſertè dicitur eſſe
† 1 Tim. 1. 7. † *Charitas.* Nec tamen Charitas qualiſcunque, ſed *ex puro Corde, & Conſcientia bona, & Fide non ficta.* Nam nec extra Conſcientiam ſinceram eſt Charitas, nec extra Fidem Conſcientia, nec Fides extra Verbum Dei. VIII. *Ad Virtutes & Vitia in unoquoque Præcepto, Promiſſiones & Minæ, Præmia & Pœnæ, adjici debent & aptari.* IX. *Præceptum Primum reliquis omnibus includitur, totúmque Decalogum pervagatur.* Nullum enim ex Præceptis ſciens volénſque violabit, Qui Deum diligit timétque. Unde & Illud poteſt
* Rom. 14. 23. intelligi, * *Quicquid non ſit ex fide, Peccatum eſt.* X. *Quæ in Decalogo ſunt Moralia & omnes obligant ex æquo, ab involucris Moſaicis ad Iſraelitas ſolos ſpectantibus, ſecernenda ſunt accuratiſſimè.* Id quod *Chemnitius* omnium optimè effectum dedit. XI. *Obedientia Primæ Tabulæ* (cum utraque ſimul locum habere nequit) *Secundæ detrahit derogátque.* Unde fit quod *Jeſu Chriſti Diſcipulus eſſe non*
* Luc. 14. 26. * *poteſt, qui & patrem, & filios, & uxorem* quantumvis dilectam, *& ſuam animam non odit.* XII. *Ritualia cedunt Moralibus, atque in Secundâ Tabulâ.* † Miſericordiam enim
† Oſ. 6. 6. Mat 9. 13. vult Deus, *non Sacrificium.* XIII. *Præceptum*
* Mat. 22. 39. *ſecundum Generale de Dilectione Proximi,* * *Simile eſt Præcepto primo de Dei Ipſius Dilectione;* non *æquale* dicit, ſed *ſimile.* Conſiſtit autem *Similitudo* in 1 neceſſaria utriuſque Tabulæ
† 1 Joh. 4. 20. *Connexione;* Deum enim non † diligit qui fratrem odit. 2 In eodem cultûs genere. Deum enim non colit qui negligit Parentes. 3 In eodem genere Pœnæ, Quæ (temporalis & æterna) utriuſque Tabulæ Violationi

eſt

est ex debito irroganda. 4 In Causâ denique Finali, quæ secundæ Tabulæ cum Prima communis est. Nisi enim *Dilectio Proximi* procedat ex *Dei Dilectione*, nullus inde Cultus est Deo Gratus.

Præter Has tredecim, Aliæ Regulæ complures apud alios Scriptores habendæ sunt. Sed me saltem Judice, Hæ sunt Cæteris Potiores.

§. 6. His hactenus præmissis, Nescio sanè operæ pretium facturus sim necne, si Decem Verba sigillatim in me recepero explicanda. Nam & optimè ab immensis exornata est Hæc Sparta; & convenit inter sè plerisque omnibus, tam de *Ambitu* quàm de *Scientia* Totius Juris *Naturalis*, Quod & *Morale* vulgò dicitur; Et tam latum Scribendi Campum, quàm digna aliqua Decalogi Evolutio postularet, Corpusculi nostri Theologici affectata Brevitas non fert. *Multipl. & finis usúsque Legis.*

Videtur magis ex usu fore, magisque ad scopum spectare nostrum, de usu Legis (non uso) verba facere in compendium. Multiplex verò Legis *Usus* ex *Fine* ejus multiplici videtur originem suam deducere. *Usus* enim Cujusque Rei in eo potissimùm consistit, ut per *Media* rectè adhibita ad *Finem* optatum perveniatur. In Eos fines usúsque *Legem* condit *à Deo*, per *Homines Dei* promulgatam, Primò, ut *aliquousque* saltem *coerceat* homines merè *Psychicos*, necdum omninò Regeneratos, nè in scelera nimis prorumpant, quibus humanæ Vitæ Societas ad *miserandum* usque turbetur, sed in obsequio potiùs nonnullo (Bellvarum instar ferocium) Legum frenis

* 1 Tim. 1. 9. nis contineantur. * *Lex justo non est posita, sed injustis.* Data est (inquit *Hieronymus*) "Ut Peccatorum venena monstret, & "hominem malè libertate sua abutentem "freno Legis retineat. *Primus usus legis*
† *In Comm. ad Galat. c. 3.* "*est* (*Lutherus* † ait) impios homines co-"ercere. Diabolus enim regnat in toto "orbe, &c. Ideo Deus Magistratus, & Le-"ges, & Vincula ordinavit, ut si non am-"plius possint efficere, revinciant saltem "Diabolo manus, nè ità sæviat in suis pro "libidine sua. —— Hæc Civilis Coërtio sum-"mè necessaria est, & à Deo instituta, cùm "propter publicam Pacem, tum maximè "nè himium Evangelii Cursus impediatur.
Hos. 6. 5. Rom. 3. 20. Secundò, *ut Peccatum arguat*, & de peccato Peccatorem, unde Lex *Dolabra* dicitur ab *Hosea*. *Peccati agnitio est per Legem. Index Peccati Lex est* (inquit *Ambrosius*) *non genetrix, reos faciens Peccatores.* Tertiò, ut Renatos instruat, edoceátque, Quæ sint opera verè Bona, in quibus ambulare debeant, &
Rom. 3. 30. per Quæ Deo placere possint. *Num legem destruimus per fidem? Absit; sed legem stabilimus. Et propter Carnem* (inquit *Lutherus*) *adhuc opus est Renatis Pædagogo, qui fortem Asinum exerceat & vexet; ut hac Pædagogiâ minuantur Peccata, & Christo Via paretur.* Quartò, ut sit Speculum Justitiæ, Sanctitatis, Divinæque Perfectionis, cujus *Imaginem* aliqualem in Ipsa *Lege Morali* proposuit Deus. Huit Legi Jesus Christus nostri vice & pro nobis perfectam præstitit Obedientiam, quam per fidem vivam conditionaliter nobis donat, & (per Spiritum Sanctum) Imaginem Dei in nobis de integro incipit instaurare, in

Vita

Vitâ æterna consummaturus. Quintò, ut sit Imago primævæ illius Integritatis, quâ *Adamus* secundum Deum aliquantisper gavisus est. Quicquid enim interiùs in Corde hominis adhuc integri scriptum erat, Illud ipsum exteriùs in Lege nobis præcipitur; ut *Deum* scilicet *ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligamus.* Sextò, ut sit Speculum humanæ etiam Corruptionis, per Lapsum *Adami* * introductæ. *Omnes* inde *naturâ sunt Filii Iræ, & venundati sub Peccatum.* A cujus sordibus maculisque nè Ipsi quidem Regenerati usquequaque liberantur. *Ex hominis enim † Corde*, tanquam ex Fonte venenato, *exurgunt pravæ Cupiditates, quæ ipsum dicuntur coinquinare.* Lex autem prohibet eas omnes, dicendo, *non Concupisces.* Et sic in *Lege*, tanquam in *Speculo*, Peccati conspicimus inquinamenta. Restat ergò ut *à Lege* confugiamus ad *Evangelium*; Et de viribus aut virtutibus *nostris omnibus* desperantes, non aliunde quàm à *Christo*, & Remissionem, & Justitiam, & Coronam justitiæ præstolemur.

* Rom. 5. 19. Eph. 2. 3. Rom. 7. 14.

† Mat. 15. 19.

§ 7. Objici possunt & *Præcepta*, & *Exempla* ex Sacris Literis, quæ favent humanæ sufficientiæ, & decantatam *δυνατὰ* seu absolutam *impotentiam* implendi Legem moralem, aut refellunt in solidum, aut valde in speciem contraveniunt. *Ambula coram me, & esto Perfectus*, Gen. 17. 1. *Perfectus eris cum Domino*, Deut. 18. 13. *Estote perfecti*, &c. Matth. 5. 84. Similia sunt etiam Scripturæ Dicta, *Eph.* 5. 26. *Col.* 1. 28. *Phil.* 2. 15. *Noah erat Vir justus & Perfectus.* Gen. 6. 11. *Jobus integer & rectus.* Job. 1. 1. cujusmodi

Objectioni Pelagianorum obviàm itur.

Elogiis celebratus est Rex *Josias*. 2 Reg. 23. 25. *Zacharias* itidem, & *Elizabetha*. Luc. 1. 6. Ad hæc, quòd Syllogismus sic conficitur. *Qui proximum diligit, implevit Legem*, (Rom. 13. 8.) sed Proximum diligit Renatus, Ergo Renatus implevit Legem.

Atqui hujusmodi Argumentis è Schola *Pelagii* accersitis, facillimè respondetur è Schola *Christi*; idque gradatim, & multifariam. Primò, secundum Idioma in Verbo Dei usitatum, *Perfectus, Integer, irreprehensibilis* dicitur, & *immaculatus*, qui apertis flagitiis caret; qui Deum *non simulatò*, sed *verè* diligit, & *ex animo*; qui mandatis (non absolutum, sed) *sinceram* obsequium præstat, & *irreprehensus*. Secundò, Phrasis illa *ex toto Corde*, &, *ex tota Virtute aut fortitudine sua*, pro *serio Cordis affectu* sumitur; Quali Ille est præditus, qui non est * *corde & corde*, qui non animi incertus hinc illinc fluctuat, neque † *duplici est animo*, (δίψυχος apud Jacobum) sed integro corde, & certâ fide stabilitus. Tertiò, non *qualiscunque* aut *quantulacunque* Dilectio *Legem* dicitur *implere*, (Rom. 13. 8.) sed talis & tanta quæ Legis obrutæ est adæquata, nec ullâ pravâ concupiscentiâ vitiatur. Quartò, satisfit objectioni ex oppositis Scripturæ Testimoniis, quæ probant Legem à Viatoribus impleri non posse. Probant hoc Sanctorum hominum *Querimonia*, 1 *Cor.* 4. 4. 1 *Joh.* 1. 8. Pro Remissione *Preces*, & Pœnarum *deprecationes*, Psal. 143. 2. Psal. 19. 13. Probat hoc Dei *Incarnatio*, quâ aliter opus non fuisset. *Rom.* 8. 3. *Gal.* 2. 21. Quintò, *Perfecti* dicuntur homines in statu Regenerationis, quia quicquid macularum ipsorum

* 1 Chro. 12. 33.

† Jac. 1. 8.

ipſorum virtutibus adhæreſcit, Oratione ſibi tegitur, *Dimitte nobis Debita noſtra*; & *Chriſti* meritis deletur; ut non omninò in *Seipſis*, ſed in perfecto *Mediatore* perfecti ſint. Denique Summa Reſponſionis huc ferè redit. Perfectio Moralis vel *Abſoluta* eſt, vel *Reſpectiva*. *Abſoluta* exemplum non extat, niſi in *Adamo ante Lapſum*, & poſt Lapſum in *Jeſu Chriſto*, qui obſequium Legi præſtitit omnibus numeris *Abſolutum*. *Reſpectiva* verò *Perfectio* (quæ & *Conditionata* dicitur,) eſt Sincerum & Serium ſtudium Deo in omnibus obediendi, etſi aliquid ſemper deſit reſpectu graduum. Et hujuſmodi perfectionis pars eſt, agnoſcere Imperfectionem. Id quod fecit Beatus *Paulus*, *Philip.* 3. 12, 13. Obſequium igitur in Renato *Quadruplici Reſpectu perfectum* dicitur. 1 Reſpectu *univerſalitatis*, in quantum * *omnibus* Dei Mandatis morem gerit pro viribus, ut ut ejus juſtitia ſit *inchoata*. 2 Reſpectu *ſimplicitatis*, in quantum animo † *defatigatiſſimo* obtemperare Deo geſtit, & † *ſincerè* malis reſiſtit. 3 Reſpectu *Converſationis in ſua generatione*, in quantum ad extra non eſt obnoxius, ſed ἀμεμπτος καὶ ἀμωμητος, * *Irreprehenſus*, & *Inculpatus in medio Populi perverſi*. Ità *Perfectus* erat *Noah*, ſed *in* † *ſua generatione*. 4 Reſpectu Fratrum *Infirmiorum*, * Qui inſtar *Infantium* & *Parvulorum*, *Lactis adhuc ſunt participes*, & opus habent; nondum ità *adolevêrunt*, *ut res ſit illis cum cibo ſolido*; nondum *ſenſus habent exercitatos ad boni & mali diſcretionem*; nedum *in virum ſive adultum*, † ſive *Perfectum evaſerunt*, *ad menſuram ſtaturæ Chriſti*, qui non in *ſeſe*, ſed in *ſuis*, ibi dicitur *adoleſcere*.

* Pſal. 119.6.

† Pſ. 119.34.

* Phil. 2.15.

† Gen. 6.9.

* Heb. 5.12, 13, 14.

† Eph. 4.13, 14, 15.

Errores maximè in hoc articulo fugiendi.

§ 8. Facessant igitur *Pelagiani*, & si qui sint eorum similes, qui aut hominem quà *hominem* naturalibus suis viribus, virtute liberi sui Arbitrii, aut hominem quà *Renatum*, Perfectè posse legem Dei implere docent, & isthac posse *Perfectione* non modò *Veniam*, & *Gratiam*, sed *Gloriam* Dei *Sempiternam*, aut promereri à Deo, aut ad minimum impetrare. Facessant etiam hinc procul & *Pharisæi*, & *Hypocritæ*, qui ad *Externam* duntaxat Obedientiam obligari se somniant, & Requisita in Lege * *omnia* custodiisse se jactant. Facessant denique *Antinomi*, *Anabaptistæ*, & *Libertini*, qui Legem moralem ex Ecclesia aut in totum proscribunt, aut *Renatorum* non esse, (sed tantummodò Reproborum,) ad Legis regulam & amussim vitas suas exigere, contendunt acriter; sed etiamsi Lex dicat, *Dilige Proximum*, liberum tamen *Renatis* esse, vel ut morigeros se præbeant, vel immorigeros.

* Mat. 19. 20.

Ab hoc Errore *præ Aliis*, & nunc dierum *præcipuè* cavendum censeo, propter nonnulla Scripturæ Dicta, quæ torquent miserè *Libertini*, & quantumlibet invita ad Rem suam raptant. Qualia sunt Illa Beati Apostoli ad *Romanos*. *Non sub Lege estis, sed sub gratia.* (c. 6. v. 14.) *Nulla est iis condemnatio qui sunt in Christo.* (c. 8. v. 1.) & ad *Galatas*. *Si Spiritu ducimini, non estis sub Lege*, Gal. 5. 18. Obliti interim fanatici Moriones, aut non intelligere sustinentes, quod & Salvator & Apostolus dixerunt alibi Ματθ. 5. 17; *Nolite existimare me venisse ut dissolvam*, [ut vel minimum præceptorum patris velim abolere,] *non veni ut dissolvam, sed impleam legem*; ut verum obedientiæ

dientiæ præscriptæ usum etiam edoceam; utque vim obediendi mentibus hominum insculpam. *Legem igitur* (inquit Apostolus) *inanem reddimus per fidem?* [otiosam, vacuam, omnibus viribus destitutam?] *Absit: Imò Legem stabilimus.* Firmam facimus, & efficacem. Quanquam enim *Renati* † *non sint sub Lege* quoad *Rigorem*, & ab ejusdem * *Maledictione* per *Jesum Christum* eximantur; quoad tamen *Vitæ Normam*, & *Legis* Ipsius *Æquitatem*, necnon *Moralem necessitatem* Renatis omnibus incumbentem, ut Magno suo Exemplari conformes sint, Renati plus cæteris, maximè saltem & eminentissimè, Divinis Dei Præceptis obsequium debent. Fatetur enim *B. Paulus*, in Loco *Antinomis* semper gratissimo, (*Rom.* 6.14.) Peccatum adhuc in Renatis non usque adeò esse mortuum, ut sit penitus extinctum; sed fortiter dimicantibus contra & Carnem, & Mundum, & Diabolum, Victoriam lætam pollicetur, Quandoquidem *Gratia Dei* (sub * quâ sumus ut Renati) id agit efficitque ut *Lex* non ampliùs sit, in nobis, aut *Virtus* Peccati, aut *Instrumentum*. Interim tamen nihil impedit, quo minùs Monita quotidiana, Consilia, Promissa, Minæ, Præcepta, Adhortamina, Documenta, sint nobis admodùm utilia, (quid, quòd insuper necessaria?) ad Concupiscentias naturales (in Renatis reliquas) compescendum.

Rom. 3. 31.

† Rom. 6. 14.
* Gal. 3. 13. & c. 4. v. 4.

* Ibid.

§ 9. Expeditis jam Legibus nunquam à Christo abrogandis, tangamus leviter *Abrogatas*, οὐκ ἐν παρόδῳ expediendas. *Ceremoniales* inprimis erant Totius Cultûs Levitici Externæ Constitutiones & Temporariæ, quibus & Populus

Legum forensium & Ritualium Definitio & Interitus.

Populus *Israeliticus* ab aliis Populis Gentibusque distinctus est; Et *Messias* desideratissimus
* Hagg. 2. 8. Mal. 2. 11. (omnium Gentium * Desiderium) multiplici modo adumbratus; Quin & per fidem apprehendentibus Cultoribus suis applicatus. Has abrogatas esse Leges, adventu Christi, Multa in novo Testamento Multis in Vetere correspondentia fidem faciunt firmissimam. *E. G. Dan.* 9. 27. *Matth.* 11. 13. *Colos.* 2. 16. *Heb.* 8. 13. & c. 10. v. 8. Et sanè ex ipsarum natura constat, *Umbras* eas absente, præsente *Corpore* disparuisse.

Forenses Leges apud *Hebræos* Politica erant Instituta, quæ Magistratus, Judicia, Mulctarum gradus rationesque, Contractus, Hæreditates, & id genus alia (certè quàm plurima) respiciebant. Iisque Populum *Israeliticum* (unde Mundi Redemptor futurus erat) *Jehova* voluit gubernari. Quotquot ex istis *Judicialibus* Rituales leges concernebant, unà cum Illis evanuerunt. Et Quotquot *solos Hebræos* respiciebant, cum isto Populo ferè deleto abolitas esse, Res ipsa & Ratio, dum tacent, clamant: Et
* Gen. 49. 10. Patriarchæ Moribundi * Prophetia probat. Quotquot verò *Æquitati*, & legibus nunquam abrogandis, adeóque *Juri Gentium* conformes erant, adeò non tollit Evangelium, ut iisdem Christianos subjiciat meritò. Qui de his Legibus Temporariis, & Reipublicæ Hebræorum peculiariter adaptatis, legitimam Dissertationem in animo habet devorare, omninò adeat eruditissimum *Robinsonum*, *Annal.* l. 5. à § 30. p. 310. ad § 41. p. 335. Et in Calce Libri Addenda *de Lege Judiciali Moralem Pœnis Communiente*, ad Finem usque.

CAP.

CAP. XVIII.

De Evangelio tam abſolutè quàm Relativè.

§ 1. PRout *Operibus Naturæ*, ordine ſatis accommodato, *Opera Gratiæ* ſuccedunt; & Redemptoris *Neceſſitatem* ejuſdem excipit *Certitudo*, methodo etiam convenienti; Ità optimè quoque tranſitur à *Moſe*, ad *Chriſtum*; à Monte *Sinai*, ad montem *Sionis*; à Morbo Peccati, ad Medicinam; à Baculo * *Vinculorum*, ad Baculum Paſtoralem quæ *Amanitatis* nomine cenſetur; à *Lege* denique, ad *Evangelium*. Connexio autem *Evangelii* cum tota Dei Oeconomia inde uſque ab initio, & ſingularum inter ſe Partium, præſertim *Chriſti* cum *Adamo*, & Salutis humanæ *Reparatæ* cum Salute hominis *deperditæ*, hunc in modum ſe habet. *Connexio triplex antecedentium cum ſecuturis.* * Zach. 11. 7.

In ipſis Mundi Primordiis, atque in ſtatu integritatis, Moralis Juris Præcepta humanis Animis erant impreſſa, & ab ipſo Dei Digito (Nutu nimirum & Voluntate) Cordibus hominum quaſi *inſculpta*. Nec vires illis defuerunt ad Juſtitiam integram præſtandam. Sed primorum Parentum Lapſu & Prævaricatione, uſque adeò labefactata ac *obſcurata* erant omnia, & ità alicubi planè *deleta* præcepta Legis Naturalis Cordium Tabulis

in-

inſcripta, ut Nova Legis *Editione* opus eſſe videretur. Nec enim ullus Mortalium erat, aut futurus erat unquam, cujus Vita ad amuſſim Legi morali adæquaretur. Quare viſum eſt Deo, humani generis miſerto, Reliquias lucis naturalis novâ face accendere; à Corruptelis vindicare; atque in integrum reſtituere Legem ſuam, (æquè ac ſubditos,) Scriptíſque reimpreſſam perſpicuis tradere, nè quam peccatis ſuis homines aut ignorantiam cauſarentur, aut oblivionem. Hæc præcepta perficientibus æternæ *Præmium* Salutis ſpondebat Deus: Violantibus *Pœnam* æquè æternam minitabatur. Quanquam enim rudi Populo, & ſe ad Terrena objicienti, de rebus *terrenis corporeiſque* Promiſſa & Minas propoſuerit *apertè* Deus, rerum tamen *Spiritualium* fuiſſe *Typos* eas & *Symbola*, liquidò conſtat ex Evangelio, atque ex Fidei Analogia patet nobis luculentiſſimè. Atqui adeò * non poterant aut *Judæi* aut *Gentes* implere Legem, aut per Legem juſtificari, ut omnibus eſſet pereundum, niſi pro ſumma ſua clementia apud ſe Deus cogitaviſſet (hominibus nihil cogitantibus) de Salvatore cœlitùs demittendo, quem *Meſſiam* vocant *Hebræi*, *Chriſtum Græci*. Ad eum noſtra omnium ſummè intereſt confugere, eúmque per fidem apprehendere, Quicunque volumus enatare ex hoc Naufragio. *Antiqui* Patres & Patriarchæ, non minus *Fide* in *Meſſiam* multis pòſt annis *moriturum* Salutem æternam impetraverunt, quàm in eundem jam olim *Mortuum* credendo firmiter, impetramus. Ità Deus dilexit Mundum, ut quod † *Legi* † *erat* ἀδύνατον, ab omni parte *Impoſſibile*, *præſtiterit Deus miſſo ſua ipſius in Mundum Filio*,

* Joh. 7. 19. Act. 7. 53. Act. 13. 36. Act. 15. 10. Gal. 3. 21.

† Rom. 8. 3.

§ 2. Vox

§ 2. Vox aut Vocabulum *Evangelium* multiplicis est usus; Triplicis in *genere*; (de quo optimè *Chemnitius*, *part* 2. *Loc.*) Quintuplicis verò in *specie*. Priore missо, usum in *specie* consideremus, ut ad nos maximè pertinentem. Rectè autem *Evangelium* pro *Lato Nuncio* usurpatur, 1. Ex eo quòd * annunciat Hostes nostros per *Christum* fugatos esse, Victoriam partam, pacémque restitutam; 2. Quòd † Lugentibus annunciat *Consolationem*; ut cùm lætissimè acclamatur, apud Prophetam Evangelicum, *Consolamini*, *Consolamini populum meum*, &c. 3. Quòd * *Filius sit nobis Natus*, unde & nobis est υἱοθεσία. 4. Quòd annunciat ex † *Infernali Carcere*, & ex *Satanæ potestate* Liberationem felicissimam. 5. * Quòd *Christum* prædicat prædicítque *Mortem Morti* illaturum. Hoc accedit quòd synonymas Evangelii Appellationes in novem classes digessit *Chemnitius* longè doctissimus, quas in præsenti recensere, longum esset

Definitio quoad Nomen.

* 1Sam 31.9 Luc. 1. 74. Col. 1. 13. Col. 2. 15.
† Esa. 40.1. Zach. 9. 11.
* Joh. 1. 20. Esa. 9. 6.
† Gal. 4. 5.
* Hos. 13.14.

§ 3. *Evangelium* ex parte *Rei* multifariàm exprimitur, & definitur, licèt non semper adæquatè, non Dialecticè, sed ὡς ἐν πολλοῖς sæpissimè, atque συνεκδοχικῶς. Quid est enim aliud [a] *Promissio* illa beatissima *de Semine Mulieris caput Serpentis contrituro*, quàm lætissimum Dei Nuncium de Regno Satanæ per mortem Messiæ expugnando? Quid est aliud quàm *Evangelica* ejusdem Promissi *Repetitio*, prædictio illa de *Messia* ex [b] *Abrahami Lumbis Nasciturо*, *in quo Gentes æquè ac Judæi futurа erant benedicenda*, *& ad justitiam imputanda in illum Fides*? Pari modo ad *Isaacum* de *Messia* ex

Quoad Naturam, in Veteре.

[a] Gen. 3.15.

[b] Gen. 12.2. Gen. 15. 6. Gen. 22. 18.

[c] Gen. 26. 3, 4, 5.
[d] Gen. 28. 14, 15.
* Gen. 49. 10.
[f] Deut. 18. 38, 19. *cum quo confer propheticum illud* Balaami, Num. 24. 17.
[g] 2 Sam. 7. 12, 13. &c. 1 Chro. 22. 9, &c. Pſal. 2. 7, 8. & 22. 1. Pſal. 45. *per totum.* Pſal. 68. 18, &c. Pſal. 89. 3, 4. 27, 28, &c. Pſal. 110. *per totum.*
[h] Eſa. 7. 14. Eſa. 53. *per totum.*
[i] Jer 23. 5, 6. Jer. 33. 15, 16
[k] Dan. 9. 24, 25, 26.
[l] Hoſ. 13. 14.
[m] Mich. 5. 2, & c. 7. v. 19.
[n] Zach. 9. 9. & c. 13. v. 1.

ex illo orituro ipſe *Jehova* [c] concionatur. Quam [d] Concionem ad *Jacobum* gratioſiſſimè Deus habuit, * repetiitque ipſe *Jacobus* è Cælo doctus *de Meſſia ex tribu Juda naſcituro, qui futurus erat Siloh, Virginis Filius, &c.* Ejuſmodi erat promiſſio *Dei*, [f] ad *Moſen* tradita immediatè, & per *Moſen* ad *Hebræos*, *de Propheta ex populo Iſraelitico oriundo*, ipſi *Moſi* per omnia *ſimili*, id eſt *ad hominem Dei nomine, Deique verbis locuturo*, ideóque *ab omnibus* (*oraculi inſtar*) *Audiendo*. Ejuſmodi etiam [g] *Evangelio Davidem* Deus exhilaravit, *ex cujus Semine oriturum Filium Dei Incarnatum, pro peccatis moriturum humani generis, ex Sepulchro Reſurrecturum, Aſcenſurum in Cœlum*, ibique *ad Dextram Cœleſtis Patris Inthronizandum*. Quæ omnia & ſingula, ex Inſtinctu Spiritûs Sancti in ſacris Literis prolata, Quibuſlibet colligere in promptu eſt. Planiùs adhuc & dilucidius [h] *Evangeliſta* inter Prophetas *de Filio Virginis*, & *Immanuel*, *pro peccatis humani generis in ara Crucis immolando*, ut Θεοδίδακτος concionatur. Conſimili modo Evangelizatur *de* [i] *Germine Davidi ſuſcitando, cui Jehovah Juſtitia noſtra Nomini erit in æternum*. Dein *de* [k] *Meſſia Principe pro peccatis* (non ſuis, ſed) *alienis occidendo, & æternâ Juſtitiâ introducendâ*. De [l] *Morte per mortem ejuſdem Meſſiæ* perimendâ, deque Inferno penitus profligando. De [m] *Meſſia ex Bethlehem Ephratah* futurie temporibus *oriundo, cujus Egreſſus eſt ab æterno, & propter quem peccata populi in Maris profundum projiciuntur*. Neque eſt quicquam notatu dignius, quàm *Cleonæus* illud perquàm lætiſſimum, & *Congratulatio* triumphabunda, [n] *propter Regem brevi venturum*,

rum, salutem suis afferentem; per quem Fons aperietur in Peccati expiationem. Denique quid est aliud concio illa aut prædicatio [a] ad quoscunque filios hominum *ubicunque* locorum inhabitantes, *De* * *Angelo Fœderis* exoptatissimo, Testamenti Novi Mediatore, Qui *Sol Justitiæ* denominatur, & *sub cujus Alis Salus* adest Spiritualis, omnibus Morbis, Malisque, Medicis ipsis, ac Medicinis, unicum illud & singulare & veri nominis *Diacatholicon*. Hactenus ex vetere novum eruimus Testamentum; Et ex Prophetiis simul sumptis, Evangelii *Descriptio* vel *Definitio*, Definito Adæquata, confiari potest.

[a] Mal. 1. 11.

* Mal. 3. 1.

§ 4. Tot sunt autem *Evangelii* in Evangelii Descriptiones, in novo scilicet Instrumento, ut ex plurimis paucas, sed & potissimas, recensere satius duxerim. Quid est enim *Evangelium*, de quo nunc agitur, nisi Doctrina Salutifera, seu Nuncium omnibus jucundissimum, omniumque optimum atque lætissimum, de [a] *Filio Dei ex Virgine per Spiritum Sanctum nascituro, qui Jesus erit sive Salvator, populum suum ex peccatis* sanguine suo liberaturus? [b] *Qui non venit vocatum Justos, sed Peccatores ad resipiscentiam.* Qui [c] *Lassos omnes & oneratos ad se vocat gratiosissimè, eorumque Animabus Requiem offert.* Qui [d] *omni Creaturæ, & per mundum universum jubet* hanc Requiem *annunciari, ut quicunque ei crediderit, & baptizatus fuerit, Salvetur.* Qui † *plenus gratiæ & veritatis, ex sua ipsius plenitudine, omnes credentibus in nomen suum, Gratiam Gratiæ cumulatam.* [f] *Cujus Verbum quicunque audit creditque in condemnationem non venit, sed*

In Novo Testamento.

[a] Mat. 1. 20, 21, &c.

[b] Mat. 9. 13.

[c] Mat. 11. 28, 29.

[d] Mar. 16. 16. Luc. 2. 10, 11.

† Joh. 1. 12, 14, 16, 18, 29. Joh. 3. 16.

[f] Joh. 5. 24. & c. 6. v. 40.

[g] Joh. 11. 25, 26. *sed à morte transit in vitam.* Qui [g] *Resurrectio & Vita est, in quem quisquis credit, etsi mortuus fuerit, vivet, non moriturus in eternum.* [h] Qui quum *Omnium sit Dominus*, (non modò Gentis Israeliticæ,) *non est omninò* Προσωποληπτης, *sed in qualibet Gente acceptum sibi vult esse quemlibet, qui Deum timet, & operatur Justitiam.*

[h] Act. 10. 34, 35, 36, 43.

[i] Act. 13. 32, 33, &c. 38, 39. Rom. 1. 2, 3, 4, &c. [i] Qui est *Impletio Promissionis ad Patres factæ, de se à mortuis resuscitando, de Remissione peccatorum, liberatione à maledicto Mosaicæ legis, & vitâ æternâ per fidem veram consequendâ.*

[k] Rom. 3. 21, 22, 24, 25, 27 [k] Qui tradit sive *Doctrinam sive Legem Fidei, in qua Justitia Dei absque lege manifestatur, testimonio Legis & Prophetarum comprobata.* Quæ Justitia, aut Justificatio, quod ad nos attinet, * est prorsus *gratuita*, ut quæ nitatur iis quæ non ipsi fecimus, sed *Christus* nostri redimendi causâ pertulit. [l] *Qui finis est Legis ad justitiam omni credenti.* Nam Finis legis (inquit *Beza*) est illos justificare qui illam implent; quod quum Carnis nostræ vitio nulli possimus assequi, huic morbo medetur Christus, qui pro nobis implevit legem. Talis est Ipse *Christus*, circa quem totum & solum, respectu semper ad humanum genus habito, *Evangelium* versatur, & *Cujus* est. Quid est enim Evangelium, (si breviter, & in Recto, de eo dicere allubescat,) nisi [m] *Præconium Jesu Christi, ac Revelatio mysterii quod à temporibus secularibus tacitum fuit, nunc verò factum est manifestum, & omnibus Gentibus declaratum?* unde, κατ' ἐξοχὴν, Dicitur *Christi* [n] *Testimonium, Sermo illi de Cruce, stultitia iis qui pereunt, iis autem qui servantur, potentia Dei. Stulta iterum de Christo crucifixo Prædicatio, qui factus est nobis Sapientia à Deo, Justitiâque, & Sanctificatio, & Redemptio.*

* Δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι. Rom. v. 24.

[l] Rom. 10. 4. 8. 18.

[m] Rom. 16. 25, 26.

[n] 1 Cor. 1. 6. 18. 21. Vers. 30.

demptio. Ubi *Author* Evangelii ipsum dicitur *Evangelium*, quod vera est quidem *Sapientia*, vera *Justitiæ* consequendæ Ratio, vera *sanctæ & honestæ* vitæ via, vera denique ab omnibus calamitatibus liberatio. Dicitur etiam [o] *Ministerium Novi Testamenti & Justitiæ.* [p] Et *Verbum Reconciliationis*, quem *Legati Apostolici nomine Christi annunciant.*

[o] 2 Cor. 3. 6. 9. 18.
[p] 2 Cor. 5. 18, 19, 20.

§ 5. Ex his hactenus præmissis, succincta Evangelii Definitio sic potest colligi. *Pars ejus altera & Nobilior de salute hominum Doctrina, à Lege contradistincta, non naturâ nobis nota, sed ex arcano Patris sinu per Unigenitum patefacta, per Sanctos Dei homines ubique & semper prædicata, in qua gratuita peccatorum Remissio, unà cum seria Resipiscentia atque ad Deum conversione, omnibus Christum Mediatorem secundum se totum amplectentibus, per Fidem veram, vivam, & energeticam, offertur, atque etiam exhibetur, ad hominum salutem, & Dei Gloriam.*

Ex utroque Compendiosa Evang. Definitio.

Adhuc paulò compendiosiùs definiri potest *Evangelium*, *per Nuncium Lætum sive Divinam de Misericordia Dei Triuniti, de Novi hominum obedientiæ, deque salute sempiterna per Fidem in Christum Incarnatum, & Crucifixum, & à mortuis Resuscitatum, pro nobis omnia perpessum mala, Bona omnia promerium.*

§ 6. Sunt qui volunt *Evangelium* esse proprie definiendum per *Concionem latissimam de gratuita peccatorum Remissione propter Christum*, nec quicquam addunt. Sunt è contrà qui requirunt *Bonorum Operum Conditionem, tanquam*

Conciliatio Dissidiorum de Natura Evangelii.

quam meritum causámque Remissionis peccatorum. Sed Neutra loquendi ratio periculis caret, nisi perspicua semper & dextra utriusque adsit Interpretatio. Hinc videlicet *Pelagiani*, illinc verò *Antinomi* crudè dicta & incautè ad sensus suos detorqueant. Hoc in confesso est apud omnes, quòd *Lex Moralis* & *Evangelium* sunt semper in praxi conjunctissima. Evangelium simul annunciat & *Remissionem* peccatorum, & eorundem *Agnitionem* requirit rigidè; *Fidem* prædicat, & *Pœnitentiam.* Neutram ut *Causam* Remissionis, utramque verò ut *Conditionem sine quâ non.* Solus *Deus in Christo* * *justificat* peccatores, solus *non imputat* peccata; *Remittit* solus, idque ἄμισθος, & *gratuitò.* Non *propter* fidem aut penitentiam, sed *propter se*, & *suam ipsius Misericordiam.* Neque tamen *sine* fide aut pœnitentiâ justificamur, sed *per* utramque semper unitam. *Fides* enim & *Pœnitentia* nunquam possunt esse *veræ*, nisi sunt etiam *individuæ.* Aut (ut nonnullis res grata fiat) dicamus liberè atque libenter, *fide* non aut *per fidem* in Christo Jesu *justificari*; Nullâ habitâ aut *pœnitentia*, aut *operum* mentione. Non tamen *Fide Qualicunque*, quæ † *sine operibus est mortua*; sed quæ ‖ *agit & operatur per charitatem, per Dei & proximi dilectionem.* Vel ut meliùs adhuc rem dicam, (cum *Tertulliano* & *Clemente* apud * *Hammondum* nostrum incomparabilem,) *quæ perficitur per charitatem*, aut *per eandem consummatur.* Namque vocabulum ἐνεργεῖσθαι *passivè* semper significat per *Pauli* Epistolas ferè omnes. Et ἐνεργούμενον, τελεσθὲν, & ἐνεργούμενον, in idem plenè recidunt apud *Clementem Alexandrinum.*

* Rom. 3. 26.

† Jac. 2. 17. 20, 26.

‖ Gal. 5. 3.

* *Annot in locum.* Tertul. *cont.* Marcion. *l.* 5.

Strom. *l.* 4. Beza in Gal. 5. 3. & in Jac. 2. 22.

Adul-

Adulterina enim est *Fides*, (ut *Beza* optime) quæ non est *operum Administra*, eaque *efficax*, & *fœcunda*. Certo certius *Quæ Abrahamo imputata est in Justitiam, fuit ex* † *operibus perfecta Fides*, ἐκ τῶν ἔργων ἐτελειώθη. Immò disertè dicit Apostolus, * *justificari hominem ex operibus, & non ex fide tantùm.*

† Jac. 2. 22.

* ἐξ ἔργων δικαιοῦται, v. 24.

Deus Bone! Quàm in proclivi est *utriusque* † *Apostoli* Conciliatio, & consequenter Conciliatio *Partium utrinque Dissidentium in Domo Dei*, modò absit διλογεικία, quæ se doceri non sinit? Omnibus enim inter se convenit, quòd per *Verbum Evangelii*, non solùm datur *Peccatorum Remissio* vere credentibus δῆμα, καὶ δωρεὰν, ἐν τῇ αὐτοῦ χαριτοῦ χάριτι, ἐκ πίστεως, καὶ κατὰ χάριν, *sine merito, sine mercede, ex fide, gratis, & per gratiam*, (ut Apostolus loquitur ἀντιλέξει, *Rom.* 3. 24. *Rom.* 4. 16.) verùm etiam quòd * *Fides ex Evangelii Præconio orta per Dilectionem est efficax, operativa, bonorum operum fœcundissima.* Est Evangelicæ Proprietatis, † *Legem Dei moralem cordibus nostris inscribere*, & id efficere in nobis, * ut *Evangelicâ Professione indignum nihil admittamus*, sed è contrà ut Evangelio ἀξίως πολιτεύωμεν, *ita dignè conversemur, ut Evangelium cohonestemus.* Idem *Paulus* qui dicit, *Fide hominem justificari sine Legis operibus*, (Rom. 3. 28.) confestim subjicit, & occurrit (quam facile prævidet) Objectioni, *v.* 31. *Legem igitur inanem reddimus per fidem? Absit; immò Legem stabilimus*, dixeràtque paulò superiùs, *non qui audiunt Legem, justi sunt apud Deum, sed Legis* * *Factores justificabuntur*. Rom. 2. 13. Tam ad amussim Sanctus *Paulus* Sancto *Jacobo* suffragatur. Convenit iterum inter se omnibus,

† B. Paulus Rom. 3. 21, 22, 24, 28. & cap. 4 v. 13, 16. & B. Jacobus *ubi suprà.*

* Gal. 5. 3.

† Jer. 31. 31, 33, 34.

* Phil. 1. 27.

* Ποιηταὶ τοῦ νόμου δικαιωθήσονται.

omnibus, quòd generaliter sumpto Vocabulo,
* Luc. 24. 47. *Evangelium est Doctrina de* * *Resipiscentia, & Remissione Peccatorum.* Ecquis inficiabitur, quod *Christus* ait? Ecquis *Aliud Evangelium* quàm Sanctus *Petrus* edocuit, docere autem,
† Act. 3. 19. † *Resipiscite* (inquit) *& convertite Vos, ut deleantur Peccata vestra.* Idque summa cum ra-
* Act. 5. 31. tione. * *Princeps enim & Salvator constitutus est Christus, ut det Resipiscentiam, & Remissionem Peccatorum.* Omnibus porrò inter se convenit, quòd *Evangelium requirit Fidem*, & quòd *Fides requirit Opera*, unde sequitur *mediatè*, etiamsi non immediatè, bona opera requiri ab Evangelio vel *specialiter* sic dicto. Quorsum verò in partes à se invicem abiturum, quos unica distinctiuncula abunde sufficit conciliare? Denique apud & *Lutheranos* & *Pontificios* est in confesso, ut & apud *Genevenses* & *Socinianos*, quòd non *Remissio* duntaxat *Peccatorum*, verùm etiam *Renovatio*, *per quam praparamur ad bona opera*, *Evangelicis Beneficiis* meritò debet annumerari. Et etiam
† Rom. 2. 6. dicatur Deus, † *secundum Opera, cuique Reddere*, nihil tamen amplius eximè sequitur, quàm opus esse justitiâ tum *Judæis* tum *Græcis*, tum aliis quibuscunque *Christum* pro suo asserentibus. Vox enim *Reddere* in SS. tam *de Gratuita Mercede*, quàm de *Justa & legali Retributione* enunciatur. Neque κατὰ τὰ ἔργα dicitur, aut *propter opera*, (quod meritum Vitæ implicaret,) sed κατὰ τὰ ἔργα, *secundum* opera, quod *Regulam* denotat, aut *Mensuram*, aut *Analogiam proportionis*, (ut Proportionis Geometricæ,) secundum quam
* Rom. 2. 11, 12. Apoc. 22. 12. retribuet Deus unicuique, * *absque respectu Personarum*; Et paulò post, *Judicabit Deus*

...(non ex Evangelio, ut vertit *Beza*, sed) ...κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου, *secundum Evangelium meum*, ...16. Unde videtur *Evangelii* officium esse, ...*solummodo*, licèt *præcipuè*, Christum ostendere Peccatoribus, Conscientias perterritas consolari, & polliceri gratiam; sed quandoque etiam Arguere, Terrere, & susque deque Evangelium habentibus interminari. Abit ergò ut λοιμαχίαι Discipulos Christi committant invicem, ex mera εὐαγγελίᾳ plerumque natæ, nec ex *gratia* duntaxat, sed & ex *Lege* condonandæ.

§ 7. Ut ab *Officiis* Evangelii *Natura* ejus illustratur, ità *Natura* atque *Officia* ex Evangelii *Beneficiis* ritè queant dijudicari. *Christi* autem *Beneficia* quæ nobis exhibet *Evangelium*, (nec enim aliter Evangelio sunt ascribenda,) summatim sufficiet enumerare. Primum [a] Idémque præcipuum est, *Peccatorum* humani Generis in Se innocuum *susceptio*, sive * *eum Deus pro nobis Peccatum*, (nostris omnium Peccatis uni Christo imputatis,) *ut Nos in Eo Justitia Dei efficeremur*. (Unius *Christi Justitiâ* nobis vicissim *putativè* per fidem & gratiam allocatâ.) Secundum [b] est Supplicii nobis debiti *Perpessio*, & perpetiendo *Persolutio*. Tertium [c] est Perfecta *Lex* nostri causâ *Impletio*. Quartum [d] est humani generis *Liberatio*, tam à *Rigore* ipsius Legis, quàm ab ejusdem *Maledicto*. *Nulla est nobis Condemnatio*, &c. *dum Christus pro nobis Execratio est factus*. Quintum * est nostra *cum Patre per Filium Conciliatio*. *Placuit enim Deo Patri ut per Christum reconciliaret sibi omnia, tum quæ in terra, tum quæ in Cœlis*. Sextum

Quam promoveant Beneficia quæ complectitur Evangelium.

[a] Esa. 53. 6. Joh. 1. 29.
* 2 Cor. 5. 21.
[b] Esa. 53. 5. & c. 43. v. 24
[c] Mat. 5. 17. Rom. 10. 4.
[d] Rom. 8. 1. Gal. 3. 13.
* Col. 1. 19, 20. 2 Cor. 5. 18, 19.

f Mat. 20. 28. tum [f] est Nostri ex Tyrannide Satanæ *Vindicatio*. Namque *animam suam dedit in pretium*
g Joh. 1. 12. Gal. 1. 5, 6. *Redemptionis*. Septimum [g] Nostri est *Adoptio* in Filios Dei. Nam κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος, *gratis nos sibi gratos in Dilecto illo*
h Joh. 7. 38, 39. Gal. 4. 6. *effecit*. Octavum [h] est *Missio, Collatio, Effusio Spiritûs Sancti in corda nostra*. Nonum
i 2 Cor. 3. 5. [i] est *Gratia Perseverantiæ*, quàm uni Deo in Christo acceptam ferimus. *Nulli enim idonei sumus ex nobismetipsis ad cogitandum quicquam, velut ex nobisipsis, sed sufficientia nostra*
* Phil. 2. 13. *ex Deo est*, * *qui in nobis operatur ut velimus*, &c. Quod adversus arrogantiam est προφυλακτικὸν præstantissimum, (etiamsi nec
k Rom. 5. 21. Gal. 5. 6. trunci, nec stipites sumus.) Decimum [k] *Christi* Beneficium in *Evangelio* nobis oblatum, est Actualis *Vitæ æternæ* & Beatissima *Possessio*; in ordine ad quam cum bono Deo capessendam, *Gratia* in nobis [βασιλεύειν] *Regnare* dicitur *per Justitiam*; Et ex *fide*, quæ est à *spiritu*, *Spem Justitiæ expectamus*. Constat autem, ex hoc Censu Beneficiorum Evangelico non
† 2 Cor. 5. 10, 11. excludi *Terrorem* † *Illum Domini nostri Jesu Christi*, Formidabile Judicium illud, *quo Apostolus ad Fidem adduxit homines*, & etiamnum sæpe adducimus. Nec absonum est aut alienum aut ἀπροσδιόνυσον in Evangelio, ut * *re-*
* Rom. 1. 18. *tegatur Ira Dei è Cœlo adversus omnem Impietatem & Injustitiam*. Ut omnes sciant *Domi-*
† Rom. 2. 16. *num* † *Occulta hominis judicaturum*, idque *secundum Evangelium*. Ut ex *Petri* Prædicatione
* Act. 2. 37. * *compungantur* Auditores τῇ καρδίᾳ, & † *li-*
† Ib Vers. 42 *benter* nihilominus *Verbum Dei recipiant*. Ut
* Act. 24. 25. Sancto *Paulo* concionante, *Felix* utiliter * *ex-*
pavefiat. Ut Divitibus & Profanis in luxu suo
† Jac. 5. 1, &c. immersis, & diffluentibus luxuriâ, † *Ejulatus*, &

& *Petrus*, ultimúmque *Exitium* denuncient. Ut * *Angelus* denique *ex Evangelio evangelizet omni Genti, & Linguæ, & Populo*, præcipiátque *magnâ Voce*, Φοβήθητε τὸν Θεὸν, *Timete Deum*.. * Apoc. 14. 6, 7.

§ 8. Multùm facit ad Pacem inter Theologos procurandam, quòd omnes ſtatuunt & concedunt, Beneficium Chriſti in Evangelio non ſolùm eſſe Remiſſionem Peccatorum, ſed & Spiritûs Sancti Donationem per quem Credentes *renovantur*, & *ipſa* * *Lex* Dei *eorum Cordibus inſcribitur*. Præterquam quòd *Chriſtus*, *in Evangelio*, Moralem *legem* confirmat, repetit, explicat, urget, (perficiat, ſane, non vacat, non expedit, non libet diſcutere, nedum dogmaticè impræſentiarûm ediſſere,) de homicidio, adulterio, perjurio, & ſimilibus. Et quòd Dominus *eam legem à ſeſe explicatam*, ſervari velit, convenit inter Litigantes Literarum laude digniſſimos, & perſpicuum eſt maximè, 1 Ex ipſo modo loquendi [*Ego autem dico vobis*] qui eſt planè *Dictatorius*, ſummúmque decet *Nomotheten*. 2 Ex ipſa Dominica aſſeveratione, *Se non veniſſe ut legem ſolveret, ſed impleret*. 3 Ex eo quòd Chriſtus diſertè dicitur locutus, † *ut habens Autoritatem*; non ſolùm ut *Legiſperitus*, aut *Scriba*, qui ex ſcientia legem *exponit*, ſed omninò ut *Legiſlator*, qui ἐκ τῆς ἰδίας legem *reficit refigitve*, eámque * *Jubet* ſervari, & tam † *pœnis* quàm *præmiis* munit, mentéſque hominum † *percellit*, ut *Moſe Major*. Porrò ab omni parte conceditur, quòd *Jeſus Chriſtus* & *Apoſtoli* de cauſis multis magnifique, (Nempe ut Legem à Corruptelis *Pha-* *Et Partium litigantium de Re præcipua Conceſſiones.* * Jer. 31. 33. Mat. 5. 17, 18, &c. ad finem. † Mat. 7. 28. * Mat. 5. 19. † Mat. 7. 19, 23, 28.

Phariſæorum vindicarent; nitori priſtino reſtituerent; ad Peccatorum Agnitionem turgidos homines perducerent; Normam Vitæ Renatis omnibus proponerent; à Contumeliis Malignantium ſe & Doctrinas ſuas aſſererent; odioſiſſimæ *Evangelii* Interpretationi, ac ſi per *Illud* Licentia pro libitu vivendi haberet aditum, occurrerent; Eccleſiæ Myſtis & Miniſtris Docendi Regulam præſcriberent;) hiſce inquam de cauſis, uſi ſunt *Legis* miniſterio; doctrinam Legis & Evangelii *conjunctim* Diſcipulis propoſuerunt; *Sanârunt* utique per Evangelium, ſed *Corde* pri-

† Luc. 4. 18. Iſa. 61. 1, 2, 3. Mat. 11. 28. * Luc. 4. 18. Mat. 11. 4. ùs * *Contritos*; Prædicârunt *Remiſſionem*, ſed *Captivis*, & Captivitatis ſuæ pertæſis; Recfecerunt, ſed *oneratos*, * *confractóſque*; Annunciârunt Evangelium, ſed *Pauperibus*. Quid, quòd *Lutherus* agnoſcit liberè, *Legem* ſimul & *Evangelium* in ipſa praxi, & pœnitentia, & pœnitentiæ Prædicatione, arctiſſimè eſſe connexa, * *immò quavis Mathematici conjunctione viciniora*. Namque ut ſine Evangelio Hypocritas facit Lex, aut deſperabundos, Sic Evangelium ſine Lege (inquit doctiſſimus *Gerhardus* qui *Lutheri* veſtigiis inſiſtit unicè) *carnalem alit ſecuritatem*. Indèque Sancti Dei homines, *Johannes*, *Judas*, & *Jacobus*, aliſque, utrumque Doctrinæ cœleſtis caput, tam *Legem* quàm *Evangelium* maximè propriè ſic dictum, Auditoribus ſuis propoſuerunt; quinimmò (inquit † Ille) proponere *Debuerunt*. Neque *Quamvis* Conditionem in Promiſſionibus Evangelii, ſed Conditionem *Meritorum* excludunt meritò *Lutherani*. Denique optimus *Chemnitius* in eo conſentit *Bellarmino*, quòd Jeſus Chriſtus,

* Luth. *in* Gal. c. 3.

† *Tom.* 5. c. 17.

Chemn. *in Harm. Evang.* c. 37.

in

in docendo, *eximiam quandam Autoritatem, Majestatémque Peculiarem præ se tulit*; nec *aliena, ut Interpres, sed suo nomine, ut Dominus*, ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν præcepit omnia. Et ad propriam *Christi* Doctrinam, ut *Evangelii* mentem peculiarem, (non ad solam Legis, & nudam, ab eóque distinctam, Repetitionem,) constat Id esse referendum, *Mar.* 1. 22. * *Luc.* 4. 32. *Matth.* 7. 28, 29. Quidni igitur Concordiam aut Pacem colant Theologi, de Natura, & Officiis, & Beneficiis Evangelii, ubi Duæ istæ Voculæ, *generatim* & *speciatim*, aut *magis* & *minus* propriè, facillimè dirimunt Controversiam?

* Ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ, ὅτι ἐν ἐξουσίᾳ ἦν ὁ λόγος.

§ 9. Utcunque *Lex* & *Evangelium* sint arctissimè connexa, idque ex sententia ipsorum *Lutheranorum*, quibus crimen committendi inter se *Legem & Evangelium* malignè affricare conati sunt *Neostadienses*; summa tamen cum cautela & accuratione sunt inter se invicem distinguenda; Multifariàm nimirum revèrà differunt. Primò, *Origine, Modóque Patefactionis.* Lex enim vel [a] Naturâ maximam partem innotescit, sed Evangelium est mysterium Rationi humanæ absconditum, Tandémque per Deum Filium * *ex sinu Patris* Revelatum. Secundò, [b] *materiâ circa quam* maximè, ac specificè versantur. *Illa* est enim Doctrina *Operum, Quæ qui fecerit in iis vivet.* Hoc est autem speciatim Doctrina *Fidei*, unde & * *Lex Fidei* dicitur. Indéque est Illud † *Augustini* πολυθρύλλητον, *Lege Operum dicit Deus, fac quod jubeo; Lege Fidei dicitur Deo, Da quod jubes, & jube quod vis.* Tertiò [c] *Formâ* etiam differunt. *Illius* enim Promissiones

Lex & Evangelium quid differant.

[a] Rom. 2. 15.

* Joh. 1. 18. Rom. 16. 26. Eph. 3. 9.

[b] Gal. 3. 12.

* Rom. 3. 21.

† *Enchir. ad Laur. c.* 117. *& passim alibi.*

[c] Levit. 18. 5. Ezec. 18. 5, 9.

ità

ita sunt Conditionales, ut requirant obedientiam *simpliciter* perfectam; *Hujus* autem Promissiones *ita* sunt Conditionales, ut *sincerè* perfectâ contentæ sint Obedientiâ. Unde dicuntur * κατὰ χάριν, ipsumque † *Evangelium Gratiæ* dicitur. Quarto, [a] differunt quoad *effectum Principale.* Illa enim *ita* peccatum arguit, ut hominem *terrefaciat. Lex iram operatur.* Hoc autem *ita*, ut Consolationem * administret, & solidam spem Remissionis. Quintò, [b] quoad *Objecta*, Homines sc. sed diversimodè consideratos. Illa enim Impiis est præcipuè proponenda, cervicosis, atque securis; Hoc * contritis Conscientiis, & Peccati sensu territis.

* Rom. 4.16.
† Act. 20.24.
[a] Rom. 3.20. Rom. 4.15.
* Esa. 61. 1, 2, 3.
[b] 1 Tim. 1. 9, 10.
* Luc. 4. 18. Mat. 11. 5.

Multi Veterum septem Capita hujus Discriminis inter *Legem* & *Evangelium* assignarunt. † *Bellarminus* octo. * *Cyrillus* decem. Sed ad prædicta quinque membra videntur posse reduci, & revocari. Nam Nonnullæ ex istis differentiæ non tam ad *Legem* & *Evangelium* propriè spectant, quàm ad *Vetus* & *Novum Testamentum*, Quorum igitur discrimina sunt proximo loco subjungenda.

† *De Justif. l.* 4. *c.* 3. *&* 4.
* *L.* 1. *in* Joh. *c.* 21.

Quid differant Testamenta Veteris Novique.

§ 10. Differunt autem Testamenta respectu plus minus decennali. 1. Quoad [a] *Tempus* utriusque promulgandi. *Vetus* enim est promulgatum sub tempus *Israelitici* ex *Ægypto* Eductionis; *Novum* sub Temporis Plenitudinem. Ibi credidêrunt in *Messiam* * *exhibendum*, Hic verò crédimus in *exhibitum.* 2. Quoad [b] *Locum.* Illud enim in Monte *Horeb*, in Deserto *Sinai*; Hoc exivit ex *Sione.* 3. Quoad [c] *Mediatorem.* Illud enim *Mosen* habuit, Hoc *Christum.* 4. Quoad [d] *Modum* Promulgationis. Illud enim inter

[a] Jer. 31. 31, 32.
* Esa. 2. 2. Mich. 4. 1, 2, &c.
[b] Ex. 19. 1, 18. Esa. 2. 2, 3.
[c] Deut. 5. 5. Heb. 8. 6.
[d] Ex. 19. 16. Heb. 9. 19.

ter Tonitrua, & ministerio Angelorum; Hoc est ità promulgatum, ut Deus Ipse de Cœlo corda hominum consolaretur. 5. Quoad Res utrinque vel utrobique comprehensas. *Illud* enim adjunctam habuit innumeram ferè legum ritualium & forensium multitudinem, valdéque difficilem observatu; *Hoc* paucissimos habet ritus, eosdémque longè facillimos. *Illud* etiam habuit Promissiones speciales de *Canaanitide* habitanda, nec spirituales æternásque, nisi cum dura conditione Legis ad apicem usque implendæ; *Hoc* gratuitam propter Christum Salutis æternæ Promissionem, sub conditione Obedientiæ Præceptis Christi præstandæ, *sincera* quidem & *acceptabilis*, sed non *simpliciter perfecta*. 6. Quoad [a] diversum utriusque Testamenti dicandi modum. *Illud* enim dicatum est Mundorum sanguine *Animalium*; Hoc verò sanguine * *Jesu Christi*, cujus Ille *typus* & *umbra* fuit. 7. Quoad [b] subjectum Scriptionis. *Illud* enim Legem moralem habuit in *Tabulis Lapideis* exaratam; *Hoc* * in cordibus Credentium, *non atramento, sed Spiritu Dei Vivi*. 8. Quoad [c] *ambitum* & extensionem. Illud enim intra Præcinctus *Israelitici* Regionis conclusum est; Hoc verò ad * totum terrarum Orbem exporrigitur. 9. Quoad [d] *Duration-nem*. *Illud* enim *ad Tempus* erat, *Hoc* verò manet *in æternum*. 10. Quoad * *præstantiam*. Illo enim, quantumvis Bono, Hoc *Melius* dicitur κρεῖττον. Non solummodò *in se*, verùm etiam quoad *effectus*. Illud enim erat * *occidens litera*, *ministerium Mortis & Condemnationis*, εἰς θανατον γεννῶσα, † *generans* stirpem *ad Servitutem*; Hoc è diverso est Spi-

[a] Exod. 24. 4, 5.
* Zach. 9. 9, 11. Col. 2. 17. Heb. 10. 1.
[b] Exo. 31. 18.
* 2 Cor. 3. 3.
[c] Deut. 5. 3.
* Mat. 28. 19.
[d] Heb. 8. 13. & c. 10. v. 9.
* Heb. 7. 22. & c. 8. v. 6.
* 2 Cor. 3. 6, 7, &c. *ad finem usque.*
† Gal. 4. 24, 26, &c. *ubi supra.*

Spiritus vivificans, Ministerium justitiæ, & quod adducit in libertatem.

Hac multitudine non obstante, *Hafenreffe-rus* aliique Trichotomiâ delectantur, aut saltem eâ contenti abeunt, in discrimine inter *Vetus* & *Novum Fœdus* assignando. (Nam utrumque Testamentum *Fœderis* nomine censetur, in diversis Scripturæ locis, idque appositissimè.) Beatus verò *Augustinus* duabus Voculis Discrimen includi voluit. *Brevissima*, inquit, *& apertissima duorum Testamentorum Differentia*, *Timor*, & *Amor*. Ob hanc crediderim rationem, siquidem *Vetus juri magis, quàm æquo sit appositum.* (Ut *Quintiliani* Verbis utar.) Novum verò affert [a] *Gratiam*, & [b] *Pacem*, & [c] *Fidem*, & [d] *Regenerationem*, & [*] *Remissionem Peccatorum*, (cui Beatitudinem acceptam ferimus, *Rom.* 4. 7, 8.) *&* [f] *Justitiam imputativam*, (per *Christum* scilicet τὸ δικαιοῦν, [g] Rom. 10. 4.) & [g] *Impletionem legis Mosaicæ*, & *Hereditatem* [h] *sempiternam*, & *ut naturæ* [i] *Consortes divinæ simus*, (non Essentiæ, sed Sanctitatis, qua in nobis restituitur, majori saltem ex parte, Imago Dei primigenia) & [k] υἱοθεσίαν, & [l] *Novitatem vitæ*, *Novámque quasi Creationem.* 2 Cor. 5. 17. Gal. 6. 15. Quæ omnia sigillatim, multóque magis simul sumpta, *Amorem* conciliant adversus Deum in Filiis Dei consummatissimum.

[a] Joh. 1. 17.
[b] Eph. 6. 15.
[c] Rom. 10. 17.
[d] Jac. 1. 18.
[*] Luc. 1. 77.
[f] Rom. 4. 5.
[g] Rom. 10. 4.
[h] 1 Pet. 1. 3, 4.
[i] 2 Pet. 1. 4.
[k] Joh. 1. 12. Gal. 4. 5, 6.
[l] Rom. 6. 4. & 7, 6.

Præcipuus Evangelii & Usus & Abusus.

§ 11. Nihil nunc nisi Vota & Supplicationes nobis superfunt, ut ex hactenus Commentatis fructum aliquem percipiamus; ut Evangelii *Contemplatio* in summam erumpat *Gratitudinem*, & Gratitudo statim exeat in *Vitæ Emendationem*, quæ unica est certè aut soli-

ſolidiſſima *Grati Animi Significatio*. Solus enim Promiſſionum in Evangelio eſt Hæres, ſolus particeps conſórſque cujus Fidei Anteambulo (aut Comes ſaltem) eſt ſeria Cordis *Contritio*, Pediſſequa verò *Obedientia*. Beneficia Evangelica non ità pridem enumerata ad Solos pertinent, qui ſinceram, ἀνυπόκριτον, profundam agunt Pœnitentiam; intimè dolent de Peccatis, ab iiſque liberari anxiè quærunt. Verum eſt Salutem noſtram nullibi tutiùs conſiſtere ac conſidere, quàm in iiſdem Dei manibus, quæ Cœlum & Terram condiderunt, conſervant, gubernant indies; in iiſdem quæ nunquam abbreviari poſſunt, aut debilitari; in iiſdem quæ affluunt Miſericordiæ Viſceribus, nec deſunt foramina per quæ effluant, inquit *Bernardus*. Verum eſt in hora mortis, & ſub Cruce in vita quomodocunque ingemiſcentibus, * *Conſolationem* nobis oriri ex Chriſti Meritis conſideratis, veràque Fide apprehenſis. Verùm & illud eſt æquè Verum, quòd *Fides Vera* non eſt quæ non *inchoatur* per Pœnitentiam, per Charitatémque *Conſummatur*, quod *Baptiſta*, *Chriſtus*, Sanctique *Chriſti Emiſſarii*, Annunciando ſemper Evangelio *Reſipiſcendi* onus præmittunt; Neque in Cor niſi † *contritum*, Miſericordiæ ſuæ *Oleum* infundit Deus.

Iren. *l.* 3. *c.* 20 Bernard. *in* Pſal. 31. 3.

* Eſa. 40. 1, 2, *&c.* Rom. 4. 16.

† Mat. 9. 12, 13. Mat. 11. *A.* 27.

Quapropter ab *Antinomis*, *Libertinis*, & quibuſcunque ejuſdem furfuris cavendum eſt nobis maximoperè, qui Evangelio ità utuntur, ut in ſuam ipſorum pernicièm abutantur; Qui *Libertatem* à Chriſto partam *in velamentum* pervertunt *malitiæ ſuæ*; *Legem deſtrui per fidem*, aut opinantur, aut ſaltem

1 Pet. 2. 16.

ver-

venditant; Dumque Deum Aliis *Vejovem* faciunt, Sibi arrogant privilegium *quicquid malorum est agendi*, ut indè cumulatius *eveniant Bona*, *Gratiáque supra peccatum utcunque auctum superabundet*.

Rom. 3. 8.
Rom. 5. 20.

Abusus Morbo Medicina maximè Parabilis.

§ 12. Ut huic Morbo nunc dierum in Vulgo hominum ingravescenti (proh dolor, pudórque!) eatur obviàm, *Ecclesiæ Reformatæ Anglicanæ* (breviter quidem, sed nervose, satisque ad Lites componendas,) Sequens præscripsit jam olim, & etiamnum præscribit ἀλεξιτήριον.

Conf. Angl. Art. 7.

1 "Testamentum *Vetus* non est *NOVO* "contrarium, quandoquidem tam in *Vetere* "quàm in *Novo* per *Christum*, qui unicus "est Mediator Dei & hominum, *Deus & Homo*, Æterna Vita *humanæ Generi* est "proposita. 2 Et quanquam *Lex* à Deo "data per *Mosen* (quoad *Ceremonias* & "*Ritus*) Christianos non astringat, neque "*Civilia* ejus Præcepta in aliqua Rep. necessariò recipi debeant, Nihilominus tamen *ab Obedientia Mandatorum*, quæ "*Moralia* vocantur, *Nullus* quamvis Christianus *est Solutus*."

De prima Parte hujus Articuli abunde constat, ex quatuordecim Instantiis, quas in medium jam produxi hujusce Cap. §. 3. Et uberiùs aliquantò constare queat, ex Levitico Cultu, & Sacerdotio, ex Sacrificiis eminentissimè, quæ *Messiam* semper Promissum luculentissimè adumbrárunt. 2 Ex eo quòd Christus verbatim dixit, non solum * *Mosen de se scripsisse*, & *Abrahamum gestuisse videre Diem quem vidit eminus, ac est gavisus*,

* Joh. 5. 46. Joh. 8. 56.

quiſſet, ſed de ſe ſcripſiſſe etiam *Prophetas* † omnes. 3 Ex eo quòd S. *Petrus* [a] *ab omnibus Prophetis teſtimonium Chriſto dari*, diſertè dixit, *nec eſſe in* [b] *alio quoquam Salutem quàm in Chriſto*, &c. 4 Ex eo quòd Idem *Petrus* (ſuo nomine & cæterorum, qui Concilio ſimul intererant) *non aliter quàm* [c] *Patres, per gratiam Chriſti Salvatoris Iri* ſe credidit. 5 Ex eo quòd *inquiſiverunt* † *& ſcrutati ſunt Prophetæ de ventura in nos gratia*, &c. 6 Ex eo quòd S. *Paulus* aſſerit, * *à Lege & Prophetis teſtimonium dari de Chriſto*; *& Abrahamum non ex operibus*, [f] *ſed fide in Chriſtum juſtificatum*. 7 Ex eo quòd *omnes* Dei Martyres inde uſque *ab Abele* eodem pacto per fidem Salvati ſunt; cujus fidei Exercitia ſictæ eſt, per totum Caput undecimum Epiſtolæ celebris ad *Hebræos*; & *Ibi qua Jeſus Chriſtus* [g] *Idem* dicitur, *& heri, & hodie, & in ſecula*. Cujus ſalvifica *mactatio* (ſaltem quoad efficaciam) *retro* & *prorſum* ſimul conſpecta, (adinſtar *Noctuis Homerici duæ vitæ* [h] *animæ*) ante profuit, quàm fuit. Utpote [h] *Agnus Dei ab origine Mundi trucidatus*. Idem [i] enim eſt *Agnus, qui peccatum mundi tollit*, (Radicem ſcilicet Peccati, cujus fondes ſive Fructus ſunt peccata Actualia,) quique *jam inde à facto univerſi fundamento*, (ab altero *Johanne*) *mactatus* dicitur.

† Luc. 24. 27.
[a] Act. 10. 43.
[b] Act. 4. 12.
[c] Act. 15. 10, 11.
† 1 Pet. 1. 10, 11, 12 *&c.*
* Rom. 3. 21.
[f] Rom. 4. 2, 3, 4, *&c.*
[g] Heb. 13. 8.
[h] Rev. 13. 8.
[i] Joh. 1. 29.

Secunda Pars Articuli ex eo conſtat, quòd aut *Chriſtus Legiſlator* cenſendus eſt *Novus*, (quod Multi Nominis magni inter Theologos valde nolunt,) qui Legem Moralem Præceptis Novis locupletavit; aut ſaltem Legi jam perfectæ *Conſilia* quædam ſuperaddidit. (Id quod Viri æquè Doctiſſimi nullo modo

modo ferendum putant.) *Disjunctivè* rem dico, propter honorem iis debitum, qui ab utraque ſtant Parte Diſſidentium. Et ſtilo uti decretorio, modeſtior ſim, quàm ut ſuſtineam. Operæ pretium tamen refundet, ob oculos ponere Scripturas, è quibus *Conſilia*, ut à Præceptis prorſus diſtincta, extunduntur.

[a] Mat. 13. 8. 1. *Ex* [a] *Terrâ bona* (id eſt Eccleſiâ) *cujus una pars fructum producebat triceſimum, alia ſexageſimum, alia centeſimum*, Patres Veteres colligebant, *Conjugio* præſtare *Viduitatem*, & utrique *Virginitatem*. * Honeſtum in omnibus eſt *Conjugium*, in quam plurimis Neceſſarium. *Continentia Virginalis* nulla eſt igitur Obligatio. Ideóque nuſquam *præ-*

† 1 Cor. 7. 25, 26. *pitur*, ſed per modum † *conſilii* recommendatur. 2. *Non expedit* [b] *nubere*; (diſcipuli aiunt) *Non omnes capiunt Verbum hoc, ſed quibus datum eſt*, (inquit Salvator.) *Sunt qui ſeipſos caſtrârunt propter regnum Cœlorum. Qui*

[b] Mat 19. 10, 11, 12. Apoc. 14 4.

* 1 Cor 7. 7. [c] Mat. 19. 21. *capax eſt, capiat*. Unde * *Conſilium*, non Præceptum, de *Cœlibatu* elicitur. 3. *Si* [c] *perfectus eſſe vis, abi, vende quæ tibi ſuperſunt, Theſaurum in Cœlo habiturus*. Quod *Conſilium* ſolum redolet de Paupertate Evangelica, (ut Complufculi interpretantur,) non Præcep-

† 1 Cor. 9. *per totum. præcipuè* v. 14. & 15. tum, quod vi ſuâ obligat. 4. S. *Paulus* † gloriatur, ſe plus feciſſe, quàm à Deo præceptum eſt. *Conſtituerat enim Dominus, ut Evangelium prædicantes ex Eo viverent. Ego autem* (inquit Ille) *nullo iſtorum ſum uſus.*

* Act. 4. 32, 34, &c. *ad finem uſque.* 5. Nec * ex debito aut Præcepto fuiſſe liquet, quòd *Joſes Agrum vendebat, pecuniamque deponebat ad Pedes Apoſtolorum, Aliique in communes Facultates conferebant*. Sed diverſa ſunt Dona ſecundum gratiam differentia; & *Spiritus*

ritus Sanctus majorem zelum in aliis accendit, quàm in aliis. Electa organa alios facit, atque ad *Heroica* impellit opera ſuaviſſimè.

Diverſa *Conſilia* in Evangelio ſint, necne, Morali Legi ſuperaddita, (præter unum conſilium illud de Continentia Virginali,) quandoquidem inter Viros utrinque magnos, Exceptione omni majores, Ingenio maximos, ex parte utraque ſit diſceptatum; non eſt Pacifici, pro certo dicere; nedum verecundi, pro imperio determinare. *Viderint qui melius quàm Nos intelligunt*, (ut more ſuo, id de modeſtè, nonnullibi dixit *Auguſtinus.*) ſatis ſuperque interim ſufficit, tam *Libertinos Antinomiſque* noſtrorum temporum revincendis, quàm Articulo Eccleſiæ Anglicanæ ſtatuminando, Quòd ſive *Conſilia* ſint Evangelica Præceptis Chriſti ſuperadjecta, ſive Præcepta potiùs ſpecialia ſpeciales Perſonas ſpecialibus Donis à Deo imbutas obligantia, majorem in modum tenemur Omnes, quotquot Chriſtianorum in Cenſu ſumus, Præceptis Chriſti generalibus morem gerere ad amuſſim; & *ſincerè*, licèt non *rigidè*, integro *corde*, licèt non *Integrè*, obſequium præſtare exquiſitiſſimum.

CAP. XIX.

De Pœnitentia, & Resipiscentia.

Connexio Capitis Antecedentis cum subsequente.

§ 1. ETiamsi *Jesus Christus* sit & a & ω totius Novi Testamenti, Completio Veteris, & utriusque Centrum; ita ut non ab re faciant, qui post præmissum *Evangelium*, proximo loco de *Persona* deque *Officio Christi* agunt, quæ Totius Evangelii *Duas Partes* constituunt, & utramque implent Paginam; Quia tamen *Evangelium* a Viris multis magnisque *per Prædicationem Pœnitentiæ* (idque † *per se*, inquit *Hemmingius*,) non inutiliter enunciatur, nè Doctrinæ Evangelii Carnalis Securitas enutriatur, peccandique Licentia in animis hominum corroboretur; Et quia Fides Salvifica absque ulla Pœnitentia existit Nulla; & Quia Docendi Ministerium *Apostolis Christi* Commendatum Ipse *Christus* * distinguit in *Prænuntium Pœnitentiæ, & Remissionis Peccatorum*; † *Omnésque Legis suæ Partes* nexu conjugit indissolubili; Quia denique Doctrina *de Pœnitentia ritè agenda* Legis simul & Evangelii Praxis quædam in Epitome vocari queat; Ideò statim ab *utroque*, de *Articulo Pœnitentiæ* agendum arbitror.

† *Syntag. Instit. c. 11. de Pœn. salutari.*

* Luc. 24. 47.

† Ἀφεσιν ἁμαρτιῶν, &c. Mar. 28. 20.

§ 2. Ita

§ 2. Ità differunt apud Latinos *Pœnitentia* & *Resipiscentia*, (si ἀκριβῶς atque præcisè loquendum sit,) ut μεταμέλεια atque μετάνοια apud Græcos plerosque omnes. Quanquam Interpretes LXX Hebræum *Nacham* promiscuè reddant; μεταμέλεια sæpe in *malam*, μετάνοια ferè semper in *bonam* partem usurpatur. *Judas* egit *Pœnitentiam*, sed non *Resipuit*; *Petrus* verò utrumque præstitit. *Pœnitere* est *dolere* de peccato admisso aliquo, aut *simplici solicitudine tristitiâque* laborare, quæ plerumque *Attritio* dicitur. Nequaquam implicat necessariò *Mutationem illam in Melius*, quam semper significat *Resipiscentia*, quæ idcirco & *Contritio*, & *Transmentatio*, & *Integra* nonnunquam *Conversio* dicitur ad Deum. Est nimirum *Resipiscere*, *post factum sapere*, ad se redire, lugere vitam anteactam, & de futuro *emendare*. Sed liceat etiam jam mihi, prout Aliis quibuscunque jam dudum licuit (non obstante vocum discrimine quod tantùm non omnes agnoverunt) utramque vocem promiscuè compendii ergò adhibere.

Pœnitere & Resipiscere quid differant.

* Ezec. 14. 22. Jer. 8. 6.

§ 3. Latè sumpta Resipiscentia, *Tota est hominis Conversio, à tenebris* [a] *ad lucem, à potestate Satanæ ad Deum*; à morte [b] *ad Vitam*; & *Resurrectio* [c] *prima* dicitur, *in qua quicunque partem habent, in hos secundæ Mors non habet potestatem.* Strictiùs sumpta & per synecdochen, *Confessio* [d] dicitur absolutè. *Tristitia* * *secundum Deum. Declinatio* [e] *à malo*, & *Propositum bonum.* Nec inscitè vocârunt Patres *secundam post Naufragium* [g]

Descriptiones Resipiscentiæ.

[a] Act. 26. 18.
[b] Act. 11. 18.
[c] Apoc. 20. 6.
[d] 1 Joh. 1. 9.
* 2 Cor. 7. 10.
[e] Psal. 37. 27.
[g] 1 Tim. 1. 19.

Tabulam. Quam tamen Tabulam periclitantibus ità subducunt *Novatiani*, (* *Hostes Illi Misericordiæ, & Pœnitentiæ Interfectores*) ut naufragos omnes submergi velint. *Pœnitentia* (inquit *Ambrosius*) *est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Aut (secundum *Augustinum*) *Vindicta semper in se puniens quod dolet commisisse.*

* Cyprian. *l.* 1. *Epist.* 1. *ad* Cornel.

Definitiones uberiores unà cum Explicatione.

§ 4. Sed quandoquidem variis modis de *pœnitentia* distinguatur, ità ut Alia sit *Ethnicorum*, qui vel ex tædio peccandi peccata deserunt, vel ex judicio Rationis peccare desinunt ad tempus; Alia verò *Christianorum*, eáque vel vera, vel falsa, vel dimidiata, vel hypocritica, quæ † Δαιμονιώδης appellatur, & Pœnitentia *Ischariotica*; Idcirco plurimum nostrâ refert, tam legitimam plenámque Definitionem subjicere, ut Resipiscentia *Salutaris* à Pœnitentia *exitiali* discerni possit.

† 2 Cor. 7. 10.

Vera autem, & Salutaris, *Ea est hominis Peccatoris ad Deum in Christo Conversio, qua Peccator de Peccatis odio habitis ità dolet, & humiliatur, ut fide in Christum concepta se rursus erigat, corrigátque, & * fructus deinde proferat dignos ipsâ Resipiscentiâ, dignósque iis qui resipuerunt,* aut † *Opera faciunt Resipiscentiæ Convenientia.* Quæ *Pœnitentiæ* Definitio non ex *Partibus* modò consistit, *Contritione* sc. & *Fide*, verùm etiam ex *effectis*, *Bonis* sc. *operibus*, quæ *Nova* complectitur *Obedientia.* Aliis non malè *Vera* dicitur *Pœnitentia*, quâ & peccata agnoscimus, & agnita seriò deploramus, fiduciáque in Dei misericordia & Christi merito nos erigimus, cum

Mat. 3. 8, 10, 11.

* Luc. 3. 8. 9.

† Act. 26. 20.

cum firmissimo à peccatis abstinendi, & Deo obediendi proposito. Iis qui breviter loqui malunt, atque διαλεκτικώτεροι videri cupiunt, *Resipiscentia est Mentis, Actionumque ex ea promanantium, juxta Præscriptum Jesu Christi Mutatio.* Non Mutatio tantum *Ea*, quâ quis abstinet ab eo quod perperam fecit aut designavit; Sed *Ea* etiam, quæ propositum conatúmque se emendandi, & Commissa nunquam iterum committendi comprehendit. Conatum (inquam) non irritum, sterilémque, qui nullum post se effectum trahit, sed validum illum, & potentem, quo *ab habitu peccandi*, vel *à Peccati Dominio* immunes sumus, & ad majorem Probitatis Pietatísque Profectum de die in diem aspiramus; eatenus saltem, quatenus nihil Condonatorum datâ operâ in posterum, scientésque rursum committimus, sed ipsas è contrà *fragilitates* nobiscum natas (quarum rigidam non habebit Pater Misericors rationem) profligare & corrigere magis magísque allaboramus.

§ 5. Nequis autem hominum aut ex una parte desperet, aut torpescat ex altera, operæ pretium erit advertere ad *Gradus* illos Resipiscentium, qui utut προκοπὴν quandam fecerint, non repentè sunt optimi. Primus est gradus Incipientium, qui ex priscina vita recens ad novam vivendi rationem se accingentes, non sine luctis molestiisque sibi temperant à peccando, & sanctis moribus dant operam. Secundus Gradus est eorum qui cum minore difficultate Renovationis pensum accurant; & ità indies proficiunt, ut ab habitu Pietatis non procul absint. Tertius *Resipiscentium Gradus.*

* Eph. 4. 13, 14. est * *Adultorum*, qui non solummodo sine luctâ, sed *cum delectatione* novam exercent obedientiam, utpote Pietatis adepti habitum. Excesserunt ex Ephebis, εἰς ἀνδρα τέλειον, *ad mensuram usque staturæ plenitudinis Christi*. Nam qui maximos progressus in re seriâ *Christianâ*, in iis dicitur Ipse *Christus* per Spiritum Sanctum *adolevisse*.

Pro gradibus Resipiscentiæ, unde perficitur;

§ 6. Ut Resipiscentia sit completa, & undequaque accepta Deo, Tria ad eam perficiendam videntur esse necessaria. In primis *efficax* sit oportet; non ut sola Velleitate, aut nudo affectu contenta sit, sed & per actus Virtutum se semper exerat. Secundo debet esse *sincera*; non ex studio Existimationis apud homines captandæ, sed ex vera animi Probitate proficiscens; non ex ficto, aut devviso, sed integro Corde exorta. Tertiò requiritur ut sit *perpetua*; non ut præstetur per intervalla, & duret tantùm aliquandiu; sed ad totius vitæ exitum, & tantisper dum suis Deus obsequio finem imposuerit. Porrò *Fides*, quam complectitur Resipiscentiæ Definitio, *bona opera* semper habet ex Necessitate sibi conjuncta, quorum est *Mater* fœcundissima, *Fons* Pietatis & Sanctimoniæ, * *sine quâ Nemo videbit Dominum*. Tantum abest *vera Fides*, quæ *vera Pœnitentiæ* pars magna dicitur, ut Pietati & operibus opponi debeat. Denique propter Reliquias Peccati in omnibus Omnibus, & quotidianas Infirmitates, Tota hominis verè pii nihil aliud est Vita, quàm Tenor perpetuus Resipiscentiæ. Quò spectat illud Solomonis, *Septies in die cadit Justus, & resurgit*.

* Heb. 12. 14. 1 Tim. 4. 8. Mat. 7. 21. Jac. 2. 22, 24.

Prov. 24. 16.

§ 7. Quid,

§ 7. Quid, quòd *Melancthon* Incomparabilis, Aliisque præstantes Viri ipsam *Novam Obedientiam*, & consequenter, *Bona opera*, Pœnitentiæ *Partibus* accensent? Nimirum *utiliter* & *à dextra* errare malunt, quàm perniciosè & à sinistra. Nec desunt Causæ istius Erroris impulsivæ, propter quas *Partibus* Resipiscentiæ *Effecta* ejusdem annumerantur. Respiciunt enim *Nexum* illum qui inter veram Resipiscentiam & opera bona est *Indissolubilis*. Respiciunt etiam Resipiscentiam, non in suo *Formali* tantùm, sed in Ejusdem *Consecutivo*. Inde eò adducti forsan, quòd Scripturis in usu est *Resipiscentiam* ex *operibus* & describere & metiri, prorsus ut *Arboris* bonitatem ex *Fructibus* bonis dijudicamus. Respiciunt insuper *Anabaptistas*, atque *Antinomos*, quibus negantibus Necessitatem bonorum operum, ἀλεξίκακον istud opponi volunt. Respiciunt denique Accusatores *Pontificios*, qui in Ecclesias *Lutheranorum* ità agunt censuram, ità de iis aut existimant, aut ferunt saltem, ac si *Fidem* sive *Fiduciam* nullâ subnixam Pietate, ab omni remotam Sanctimonia bonisque operibus destitutam, pro more haberent præconizare, Populumque rudem erudire. Eòque minùs mirari subit, si Viros optimos doctissimosque in Errorem innocuum abripuerit ipsa pejorum Errorum Fuga, & ἀμετρία ἀνθρώπης.

Bona opera non Partes Resipiscentiæ, sed Effectus Inseparabiles.

Huc accedit quòd *Bona opera* plures ob causas sunt *Necessaria*, & à quibusvis non simulatè pœnitentiam agentibus exercenda. In primis & præcipuè, ut Imperio Legislatoris, à quo præcepta sunt omnia, alacrem

Quo sensu Necessaria.

simul & accuratam *ultrò* præstemus Obedientiam. Ut hominibus *Fidem* nostram genuinè *Christianam* probemus esse. Ut & Scandala evitemus, Aliósque exemplo nostro ad opera bona pelliciamus. Ut pro innumeris immensísque in nos Collatis Beneficiis solidam Deo Gratitudinem vel Apodexin declaremus. Ut supplicia nobis debita per gratiam Dei amoliamur, & mercedes non debitas per Christi Merita procuremus. Ut Deus Dona in nobis sua, Bona opera, coronet; & *Gratiam* * *pro Gratia* (Gratiam scilicet Indulgentiæ, pro Gratia Resipiscentiæ) gratuitò nobis impertiatur.

* Joh. 1. 16.

Non tamen Meritoria.

Nusquam rectius tutiúsque de Bonis operibus actum est, quàm in *Articulo duodecimo Confessionis Anglicanæ*. "Bona Opera quæ "sunt fructus Fidei, & sequuntur Justificatos, quanquam peccata nostra * *expiant*, "& divini judicii severitatem ferre non "*possunt*, Deo tamen grata sunt & accepta in Christo, atque ex vera & viva fide "*necessariò* profluunt; ut planè ex Illis aque "Viva Fides cognosci possit, atque Arbor "ex fructu judicari. Ex quo Articulo est colligere, quo sano sensu Textus aliqui, de *sola fide* locuti, ab omnibus sint intelligendi.

* Gen. 32. 10. Luc. 17. 10.

[a] Rom. 3. 28. [b] Eph. 2. 8. [a] *Arbitramur hominem justificari per fidem, sine operibus legis.* [b] *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei Donum est; non ex operibus, nequis glorietur.* [c] 1 Pet. 1. 5. [d] 1 Pet. 1. 9. [c] *In Virtute Dei custodimini per fidem in Salutem.* [d] *Reportantes finem* (sive Mercedem) *Fidei vestræ, salutem animarum.*

§ 8. Errores

§ 8. Errores in hoc Articulo multi à multis admittuntur, quibus maturè obviam ire omnium interest Christianorum quibus vera, salutifera, non-pœnitenda Pœnitentia cordi est. 1. Nimio Multi sunt qui *ficta*, & * *Pharisaica* acquiescunt, cujus in † *Achabo* Exemplum est, qui auditis Dei minis, *vestimenta sua scidit, induit Saccum, in Sacco dormiit, jejunavit, incessit humiliatus*, vel lento gradu, vel nudis pedibus, vel capite obvoluto, vel oculis humi defixis. 2. Multis placet *Pœnitentia* non tam ficta, quam *mutila*; non hypocritica, sed *Dimidiata*; Nominis *Resipiscentiæ* mensuram non implens. Cujus exemplum est in *Juda*, Domini sui Proditore. Quem tamen, suæ Proditionis, & multùm, & seriò, & animitùs pœnitebat: sed absque vera in Christum Fide, & absque nova obedientia, quæ Fidem veram vivámque perpetuò sequitur. Unde Tristitia sive Dolor quo est intimè affectus, non fuit *Dolor* κατὰ Θεὸν, sed * *Dolor quoad Mundum, qui operatus est mortem.* 3. Multis arridet *Contritio Manca*, quæ in lachrymis, prostratione, viliorum vestium usu, Rosariorum Battologiâ, Ciliciis, Carnis flagellatione, aliisque operibus planè indebitis consistit unicè, & *Attritio* videtur dicenda potiùs. *Contritio* propriè sic dicta ex iis qui sequuntur consistit partibus gradibúsve. 1. Ex [a] vera peccati Agnitione. 2. Ex [b] divinæ iræ sensu. 3. Ex [c] morsibus, angoribus, ac pavoribus conscientiæ. 4. Ex [d] vera coram Deo Dejectione animi æquè ac corporis. 5. Ex [e] integra atque ingenua Peccatorum Confessione. 6. Ex [f]

Errores maximè Cavendi.

* Mat. 6. 6.
† 1 Reg. 21. 27.

*2 Cor. 7. 10, 11.

[a] Ps. 51. 5.
[b] Ps. 38. 2.
[c] Ps. 25. 17.
[d] Ps. 44. 25.
[e] Ps. 32. 3, 5.
[f] Ps. 51. 5.
[f] Lev. 26. 41.

non

non simulato Peccati odio, & seria detestatione. *Peccatum meum coram me semper est* (inquit Psalces) id est, *Hostis loco pessimi à me habetur*, & (ut Hostis solet maximus) *semper mihi est Adversum*. Multis *Confessio* non satisfacit, nisi aut nimia, aut ferè Nulla. Nimiam volunt * *Romanenses*, dum ità exigunt peccatorum quantumcunque tacendorum præcisam & rigidam enumerationem, ut si Confessus fortè omiserit vel unum ex plurimis Delictis mortalibus, aut de uno deditâ operâ silentium egerit, incassum illi *Confessio* cessura sit. Singulorum Criminum in memoriam venientium commemorationem cum suis circumstantiis, non esse divini præcepti, statuunt *Scotus*, & *Canonistæ*, nec aliter sentire *Græcos* affirmat Ipse *Gratianus*; *Nectarii* etiam sequentiúmque Patriarcharum Actus satis id testantur. Neque notatu indignum est, quod narratur ab *Acosta*, *Theologis scilicet quibusdam visum, optimè Indis consultum-iri, si obligatio Illa tolleretur*. Hactenus *Confessio* videtur *Nimia*. Sed ex adverso (proh pudor!) *Nullam* ferè volunt Hodierni *Cathari*, † *qui seipsos isto Nomine quasi propter munditiem superbissimè insignivit*. Hi ex Ecclesia *Confessionem*, privatim factam Sacerdoti, pro viribus suis eliminantes, solamen ingens Conscientiis propter flagitia perturbatis, unà cum illa animorum Exoneratione requisita, crudeliter denegant atque eripiunt. Præterquam quod Ea & *Confessio* & *Absolutio* quæ in Ecclesia Anglicana ex Instituto locum habent, ad multa prosunt atque conducunt; *E. G.* ad institutionem Ignorantium; ad privatas omnium admonitiones;

* Concil. Trident. 4. Sess. 14. c. 5. & Catech. Trident. p. 294. Lovaniens. Art. 5.

V. H. Grot. Annot. ad Consult. Cassandri. p. 300.

† August. de Hær. 38. Epiph. Hæres. 59.

tiones; (quæ in publicis Concionibus minus utiliter fieri solent, minúsque convenienter;) ad Consolationem Contritis debitam, toties quoties administrandam, Qui Sacram Cœnam percepturi, *dignos* se hospites futuros Disciplinæ hujus subsidio sciunt, cùm *Indignos* divinum judicium maneat; Ad Cautionem denique Sacerdotibus qui Mysteria Dei dispensant; nequando ad Synaxin aut Indignos eà admittant, (& *Sanctum Canibus projiciant*,) aut verè Respiscentibus occludant aditum.

Cavendum est ab iis insuper, qui dicunt, *Duo* nos posse homines, etiam in hac vitâ, consequi. Nempe * *ut immortalis gloriâ præmia mereamur, & pro peccatis nostris satisfaciamus.* Utcunque enim confiteantur, quòd *Tota hominum satisfactio à Christi Domini Passione merito dependet*; Incautiùs tamen eos locutos esse, multi *ex suis* existimârunt. Ut *Bonaventura*, *Hostiensis*, *Dominicus à Soto*, & *Caprevolus*, qui hac in re *merendi* vocem repudiant; & *Satisfactiones* Ecclesiæ, factas per Pœnitentium Exomologesin, *Canonicas* tantùm vocant, & *Semiplenas*. De quibus etiam * *Cassander* perquàm ingenuè confitetur, *quòd ut paulatim imperitiâ Episcoporum & Pastorum in Abusum*, ità quoque *Negligentiâ, & Segnitie, tàm Pastorum quàm Populi, in Desuetudinem prorsus venerunt.* † Docet etiam quantum interfit, *Inter Actionem Pœnitentiæ, seu Exomologesin Veteribus Usitatam, & Eam quæ nunc Usu recepta est.* Et agnoscendo concludit, *quod ab imperitis & superstitiosis multa inepta & superstitiosa efficta, & simplici Populo persuasa sint, quæ*

* *Catechis. Trident.* p. 313.

* Cass. *Consult. in Art.* 11 & 12. *Confess. August.* p. 98.

† *Ibid.* p. 99.

P. 102.

quæ Paulatim in desuetudinem & oblivionem addici debent.

Morborum Medicina, Dissidentium Conciliatio.

§ 9. Cogitent jam Ecclesiæ Præsides, annon Hæc Res aliquid recipiat temperamenti, liceat mihi, æquè ac *Grotio* & *Cassandro* Pacificis, in votis habeam. Criminum non manifestorum utilem esse Confessionem, & quandoque Necessariam, agnoscunt libere Protestantes in *Confessione Augustana*, (Art. 12.) & *Melanchthon* sæpenumerò. Agnoscunt doctissimi * *Lutherani*, in quorum Ecclesiis vel fiunt *Publicæ* Peccatorum Confessiones, præeunte Verbis Ecclesiæ Ministro, vel accessuri ad mensam Dominicam, generali præmissa peccatorum Confessione, & Vitæ Correctione promissa, per fidem privatam petunt Absolutionem. Agnoscit *Ecclesia Anglicana*, Et primævæ Disciplinæ Vestigia quædam hodiè retinet; speciatim dum Scortatores ad publicam *Exhomologesin*, & Depreçationem adiguntur. Cogitent autem Ecclesiæ Præsides, annon Nervi & Ligamenta Disciplinæ hujus Ecclesiasticæ, in hac effœta Mundi Senecta, aliquantò arctius astringi debeant, & salutaris hæc severitas in aliis quoque Notoriis Vitiis ex usu publico adhiberi. Cogitent denique, annon ex Re sit Ecclesiæ, Absolutionem non accelerari, sed diu differri in benevalentibus, usque dum Tempus Pœnitentiæ completum sit, nè per fiduciam Absolutionis Peccatores in peccandi Consuetudine perseverent, & Medicina malè adhibita Morbum nutriat. Nam ex tribus Pœnitentiæ Actionibus apud B. *Augustinum*, *Prima* per Baptismum Novum Hominem pro-

* *In iis* Hafenreff. *l.* 3. *Stat.* 3. *Restaur. loc.* 5.

Aug *de Pœnit. Medic. c.* 31.

producit; *Secunda* per totam vitam est humillimè exercenda; *Tertia* pro Illis flagrantioribus subeunda est Peccatis, de quibus disertè dicit Apostolus, quòd *qui* * *talia perpetrant regnum Dei non possidebunt*. Ideóque majorem in se Quisque severitatem Pœnitentiæ post Hæc debet exercere, † *ut à seipso judicatus, nunquam à Domino judicetur*. Neque ità metuendum est à Voce *Satisfactionis* à flagitiosis hujusmodi præstandæ, ut non ingenuè fateamur, (cum *Augustanæ* Confessionis Professoribus,) *Bonis operibus mitigari præsentes Calamitates. Ità enim Esaias docet, Frange panem esurienti, & requiem tibi dabit Dominus semper*, &c.

* Gal. 5. 21. 1 Cor. 6. 9, 10.

† 1 Cor. 11. 31.

Art. 11.

Esa. 58. 6, 7, 8, &c.

Concludat hoc caput *de Resipiscentia*, cujus pars magna *Confessio* est, de *Articulo Confessionis Cassandri* Professio moderatissimi. "Equidem credo de hac re Controversiam nullam fuisse futuram, si non salutaris hæc confitendi *medicina* ab imperitis & importunis *Medicis*, multis importunis Traditionculis *infecta*, & *contaminata* fuisset; quibus Conscientiis, quas extricare & levare debebant, *laqueos injecerunt*, & tanquam tormentis quibusdam *excarnificârunt*. Quapropter huic rei occurretur, si pii tantùm & prudentes viri huic utilissimo & sanctissimo audiendæ Confessionis, & Absolutionis impertiendæ ministerio præficiantur, qui hominum Conscientias peritè tractare possint; quorum dexteritate facilè fiet, ut Confessio, quæ hactenus multis onerosa & molesta visa est, tanquam plena spiritualis consolationis, ab omnibus ultrò expetatur.

CAP.

CAP. XX.

De Remissione Peccatorum, iisque quæ Ei sunt annexa.

Connexio Capitis præcedentis cum præsente.

§. 1. IMmediatè & Necessariò post Resipiscentiam præeuntem, Remissio sequitur Peccatorum, *divinâ Methodo*, non mea. Nam ea usi sunt Methodo Ipse Christus & Apostoli, Qui [a] *Resipiscentiam* & *Remissionem* indissolubili nexu copulantes, utramque *eo ordine* apud omnes Gentes evangelizârunt. Et profectò Primam, ut rectâ tendentem ad secundam. *Resipiscite* (inquiebat Beatus *Petrus*) [b] *ut deleantur peccata vestra*. De cujus Ordinis Ratione liquidò constat scisciranti. Namque *præmittitur* Resipiscentia, (ut ad justificationem necessaria,) nè Doctrinâ *Remissionis Peccatorum gratuitæ* ad Carnalem securitatem Carnales homines abutantur. Sed vestigiò & sine mora Peccatorum Remissio *sequitur*, nè *fyrtibus* Desperationis Peccator obrutus, [c] *Naufragium* fidei faciat, & Conscientiæ; nec plenis velis ad Portum salutis æternæ provehatur.

[a] Luc. 24. 47. Act. 5. 31.

[b] Act. 3. 19.

[c] 1 Tim. 1. 19.

Quo sit sensu Justificatio Condonatio Peccatorum.

§. 2. Hæc *Remissio Peccatorum* est Favor Dei planè gratuitus, cujus Causa Efficiens [illegible] est *Ipse in Christo Deus, Mundum sibi*

sibi Reconciliavit. (2 Cor. 5. 19.) Causa προκαταρκτικὴ & Meritoria, est *ipsa Christi Satisfactio* per Integram suam *Obedientiam* tam activam quàm passivam à Nativitate usque ad mortem. Propter quam *Christi Satisfactionem* per *veram fidem* apprehensam, *Gratis* sive ex gratia *peccata* nobis *remittuntur*. Et hæc Gratuita seu Gratiosa *Peccatorum* nobis *Remissio*, plerumque dicitur apud Authores uno Verbo, *Justificatio*; eáque *non Logalis*, sed pura puta *Evangelica*. Vix Vocabulum est forense, quod non occurrit in S. S. *Judex. Judicium. Tribunal. Reus. Accusator. Testis. Chirographum. Debitum. Advocatus. Absolutio. Condemnatio.* Lex accusat Peccatorem, ut fiat ὑπόδικος, (*Rom.* 3. 19.) *obnoxius Deo.* Conscientia συμμαρτυρεῖ. Rom. 2. 15. *Absolvit Christus.* Rom. 4. 5. Quanquam autem justificare sit *Vox Forensis* atque *Judiciaria*; Et Reum Absolvere, sive Justum pronunciare, Actio sit Judicis jus dicentis è Tribunali, non tamen hîc denotat *Justitiam aliquam* in subjecto justificato, aut *Justum facere*, (secundum Vocabuli Etymologiam,) neque *Justum* aut *Insontem* in ipso Judicio *Invenire*; Sed ità pro Justo *reputare*, sive *habere* justum aliquem, quomodocunque *Injustus* sit, ut Ei omnes *Injustitiæ* gratis in Christo remittantur. Hanc Gratuitam Remissionem, Scriptura faciunt Testatissimam. *Ego* [d] *deleo delictum tuos propter me.* * *Gratiâ servati per fidem.* † *Justificati Gratis per Redemptionem, &c.* ‖ *Ex fide est hereditas, ut sit per gratiam.* Quam Rem confirmat simul & explicat *Sancta Ecclesia Anglicana.* * "Tantum propter meritum Domini ac Servatoris

[d] Esa. 43. 12.
* Eph. 2. 8.
† Rom. 3. 24.
‖ Rom. 4. 16.

* *In Art.* 11. *de hom. Justif.*

" vatoris nostri Jesu Christi per fidem, non " propter opera & merita nostra, Justi co- " ram Deo reputamur.

Per Fidem solam, sed non Solitariam Justificamur.

§ 3. Externa hujus Instrumenta sunt *Evangelium*, & *Sacramenta*, & *utrorumque Administri*. Internum verò *Fides*, quæ Gratiæ Dei, & Merito Mediatoris, & Verbo Evangelii, non *opponitur* à Scholasticis, sed humillimè *subordinatur*, dum impropriè nimis aiunt, quòd *Fides Sola justificat*; quod est perinde ac si dixissent, quòd *Sola Fides nobis debita nostra remittit*. Quod usque adeò est Absurdum, ut nusquam dicant Sacræ Literæ nos *propter* Fidem justificari, sed *ex* fide, *per* fidem, aut *fide* tantùm. [h] *Deus Solus justificat*, in quantum nudus homo *solvimur* pro peccatis λύτρον persolvendo non est; etiamsi verum sit, quòd *solâ Fide justificamur*, ut Instrumento *sine quo non*. Sed, ne sinistra manus accipiat quod offert dextra, advertendum est omnibus quid sibi velit *Sola Fides* in opere Justificationis. Nam Qui *solâ justificamur*, Nunquam *Fides est Sola*. Nunquam est prorsus *Solitaria*; nunquam *sine comitatu* bonorum operum, absque quibus est [i] *mortua*, [k] *inefficax*, & planè [l] *ficta*. Fides est *solum Instrumentum* [m] *accipiendæ Justitiæ* à Deo datæ: Ut oculus *solus* videt; *Sola* auris est organon audiendi. Separatum tamen à Capite Instrumenta illa præstantissima, nullos Actus aut *videndi*, aut *audiendi* unquam exercent. Id quod subinnuit Sanctus *Paulus*, dum negat hominem justificari [n] ex operibus, *nisi* per fidem Jesu Christi. Ubi phrasis ἐὰν μὴ (quam *Beza* perperàm vertit

[h] Rom. 8. 33.
[i] Jac. 2. 17.
[k] 1 Thes. 1. 3.
[l] 1 Tim. 1. 5.
[m] Rom. 5. 17.
[n] Gal. 2. 16.

vertit per *Sed*) digna videtur quam referamus ad Sancti *Jacobi* effatum illud, ° *Ex operibus hominem justificari, & non ex fide tantùm*, modò *Paulus* eò loci de lege *Morali* locutus sit. ° Jac. 2. 24.

§ 4. Operæ pretium erit dignoscere, Quid *præsupponat* aut *complectatur* Fides Illa primaria, *quâ solâ* dicimur *justificari*. Constat enim *non* esse *sterilem*, aut *effœtam*, sed Bonæ Sobolis alicujus *fœcundam Matrem*. Constat eam ℗ *operari* per Dei & Proximi *Dilectionem*; & per ejusmodi Dilectionem, * *Perfici* eam, aut *consummari*. Quæ *Dilectio* bis dicitur ⁹ *Impletio legis*. Unde non possum non inferre, quòd Quâ Fide *justificamur*, quadantenus etiam sanctificamur. Est nimirum Pars una, eáque præcipua Resipiscentiæ, cujus Pars altera est Contritio. Atque ut *Fides* sit *Salutaris*, necessum est ut sit *Radix* quæ Filialis obedientiæ *Fructum* profert parturístque. Unde conficitur *Fidem illam*, quâ *Solâ* dicimur justificari, *Sanctificare* nos *partim*, & Remissionem Peccatorum æquè *præcedere*, ac *sequi*. Illud gradu remisso, Hoc verò gradu intensiore. Justificati enim perfectè, *inchoativè* sanctificamur, per ipsam Fidem vivificam, *quâ solâ justificamur*. Ità quidem, & eousque, uti peccata non modò *Partim*, sed & * *Perfectè* (propter Christum) nostra nobis remittantur. Quòd autem ità se Res habet quemadmodùm asseveravi, Illud est insuper Argumento, quòd *Fides* quâ dicimur *justificari*, & quæ est *unicum* Instrumentum quo *Christi Justitiam* apprehendimus, ‡ *Corda nostra purificare*, sive *purgare* dicitur. *Justificatio Evangelica quot in ambitu suo continet.* ℗ Gal. 5. 6. * Ἡ ἀγάπης ἐνέργεια. ⁹ Rom. 13 8, 9, 10. * Rom. 8. 1. Rom. 5. 9, 10. 1 Joh. 1. 7. ‡ Act. 15. 9.

Quod qui fieri potest, si neque tantillum quidem *Sanctificat?* Aveo scire Quid sit tandem corda hominum *Sanctificare*, (gradu saltem aliquali,) si *Illa* * *purificare* non sit omninò. Num *solâ fide mortuâ* justificari nos posse existimamus? num Solo Fidei *Cadavere*? Certè nudum τὸ πιστεύειν *ad Cadaveris* modum se habet. *Nova* verò *Obedientia*, quæ in *opera* se exerit, est Fidei nostræ quasi *Spiritus*. Ità rem reputat Sanctus Apostolus *Jacobus*. † *Sicut Corpus sine Spiritu mortuum est, ità Fides sine operibus* [*in* * *seipsa*] *est mortua*. Ut in pauca rem conferam; Vera illa & viva *Fides*, per quam *Solam* à Christo & propter Christum *justificamur*, absque *nova Creatura* constare nequit. Quandoquidem Fides, & Resipiscentia, Justificatio & Sanctificatio, Regeneratio & Renovatio, indissolubili quodam fœdere cohæreant invicem & conspirent. *Distingui* benè possint, *Separari* non possunt. Unam à cœteris removere, ad unam *omnes* est tollere; ipsámque Fidei *Animam* (quid, quòd ipsum *Christianismum?*) ex Ecclesiæ Finibus eliminare.

* τῇ πίστει καθαρίσας τὰς καρδίας αὐτῶν. *Ib.*

† Jac. 2. 26.

* νεκρά ἐστι καθ' ἑαυτήν. v. 17.

2 Cor. 5. 17.

Difficultatis Primariæ.

§ 5. Videtur mihi Hic Articulus (quem habemus in *Anglicana* & *Augustana* Confessionibus) de *Remissione Peccatorum*, *per Solam fidem*, sive (quod eodem redit) quòd *Solâ fide justificamur*, vix posse meliùs elucidari, quàm si obscuritas ejus appareat, & Nodus monstretur enodandus. Imprimis enim est in confesso apud omnes, nusquam legi in Sacris Literis, *Solâ nos fide justificari*. Deinde convenit inter omnes, Plura esse *præter Fidem* Salutis æternæ Instrumenta. Quale est

ex

ex parte Dei Ipsum *Evangelium*, ejúsque dibita *Prædicatio*. Nam ut [t] *Fides ex Auditu est, ità est Auditus per Verbum Dei*. Tale est etiam *Sacramentum quà tale*. Nam [v] *Circumcisio erat Sigillum justitiæ fide receptæ* ab *Abrahamo, ut esset Pater omnium Credentium in præputio, imputatâ ipsis justitiâ*, &c. Tale est Ipse *Mysteriorum* ex parte Dei *Dispensator*, Cujus est (inquit Salvator) *Peccata* [x] *remittere, & retinere*; & cujus est (inquit Apostolus) *& seipsum servare, & [y] eos qui illum audiunt*. Talia sunt denique [z] *Gratiarum Actiones*, & *Supplicationes* quotidianæ, imò & omnia *bona opera*, per quæ tanquam per semitas ab ipso Deo præparatas Cœlum versus ambulamus. Nimirum [a] *Conditi sumus in Christo ad bona opera, quæ præparavit Deus, ut in iis incederemus*. Porrò convenit inter omnes, de eo quod Beatus *Paulus* conceptis verbis asseverat, *&* [b] *Spe & Fide Charitatem majorem esse*. Potior est Charitas absque Fide, quàm Fides absque Charitate. Prout patet ex [c] *Ironia* quam *B. Jacobus* adhibet, ad retundendam hominis arrogantiam, Fidem suam ab operibus vacuam jactitantis. *Tu fidem habes* venditásque. Agè ergo; *ostende fidem* (si quam habes) *absque operibus*, propriis videlicet effectis Fidei. Quod ni feceris, fidem falsò profiteris. Ego, fidem non venditans, *ostendam eam ex operibus*. Et vel tacens convincam, in me esse veram fidem. Enimverò utcunque *Charitas* multis *Fidem* parasangis transcendere queat & superare; utcunque * *Regia Lex* sit, (*via regia* adinstar, publica, plana, absque ullis diverticulis,) † *ante omnia* nobis curanda, utpote quæ † *o-*

[t] Rom. 10. 17.
[v] Rom. 4. 11, 12. 1 Pet. 3. 21.
[x] Joh. 20. 23.
[y] 1 Tim. 4. 16. Dan. 12. 3.
[z] 1 Tim. 2. 1.
[a] Eph. 2. 10.
[b] 1 Cor 13. 2, 13.
[c] Jac. 2. 18.
* Jac. 2. 8.
†† 1 Pet. 4. 8.

periat & quasi sepeliat peccata plurima, Ipsius
* Gal. 5. 6. Fidei * perfectiva; Nihilominùs tamen nemo dixerit, quòd *Charitate justificamur*, nedum Charitate *Solâ*. Neque summâ animorum justificamur *Gratitudine adversus Deum*, Quæ ex ipsa Charitate videtur esse *Emanatio* maximè Deo acceptabilis.

Enucleatio Qualiscunque.

§ 6. Nodus hic videri queat primâ facie difficillimus, dignus qui Vindicem nanciscatur oppidò Me segaciorem. Sed quoad ejus possum, sic rem expedio, atque à simili eam illustro. Quemadmodùm enim *Solus* Oculus Instrumentum est Videndi, & *Sola* Auris audiendi, etiamsi *Cor*, aut *Caput*, utroque sit longè *Excellentius*; Pari modo *Sola Fides* est Instrumentum *Apprehendens*, nostræque Animæ quasi *Manus*, quâ Gratiam Dei, Christique Meritum *Prensamus*; Sola *expectat*, sola *applicat* promissiones Evangelicas in Christo factas; non obstante Prærogativâ, secundum quam *Charitas* Christiana, (Dilectio Dei ex *toto Corde*, & Proximi nostri ut diligimus *Nosmetipsos*,) Fidem Superat, & Excellit. *Finis* legis est Charitas, nec non *Complexio*; quinimmò *Fides* ipsa per hanc perficitur, atque ab ea divelli nequit justificativa. Sed ubicunque est vera *Fides*, ibi non potest non esse *Charitas*. Quò minus mirum videri debet, quòd *Solâ Fide* sic factâ coram Deo *justificamur* in Christo Jesu. *Sola Fides* est Instrumentum, non quo meremur, sed *accipimus*, sed *apprehendimus*, reliqua Gratiæ Instrumenta (ut Verbum Dei, & Sacramenta,) quæ Deus offert. Ad *solam fidem* Spectat (peculiari quodam privilegio) Verbis Christi

Christi *consentire*, Promissiones *amplecti*, & *Christum*, & *Christo*, & *in Christum credere*. Atque ideò peculiariter per *Eam* dicimur justificari. Esto, per me licet, quòd *Charitas* magis *promeretur* (abst verbo Invidia,) magis *invitat* forsan, & *allicit*, majúsque olim *percipiet* in Cœlo Præmium; Sed *Sola* Fides *Apprehendit* Remissionem Peccatorum: aut (quod in idem semper recidit) *Solâ Fide justificamur*. Porrò Theologi ità explicant quid sibi velint per *solam Fidem*, in negotio Remissionis Peccatorum, ut agnoscant esse *Tropicum* (Metonymicum putà) loquendi modum, atque de *sola Misericordia*, de sola *Gratia*, de *solo Christi Merito* (quod sola Fides Apprehendit) *propriè* esse intelligendum. Cum S. *Paulus* inquit, quòd *Fides reputatur ad justitiam*, loquitur (inquiunt * *Auspurgenses*) de fiducia *Misericordiæ propter Christum promissæ quam Misericordiam promissam propter Christum, oportet fide accipi*. Quæ Fides idcirco *Sola* dicitur, ad excludendum humanæ Virtutis meritum, & nostram ipsorum Dignitatem, & opera legis Mosaicæ, & quicquid aut jactantiam nutrit, aut Gratuito Dei Favori in Christo derogat; non omninò ad excludendum aut Respiscentiam, aut Charitatem, aut quicquid illud est quod fidem vel *perficit*, vel *ingreditur*, vel necessariò *comitatur*, vel ut *viva* sit facit, & reapse *Justificativa*. Breviter dicam, & super tota materia, quòd si Hæc non sufficiat *Nodi istius Resolutio*, restat ut ei resolvendo Imparem me esse, ingenuè fatear.

August. *Conf. Art.* 20. *de Fide.*

* *Ibid.*

Quanquam nullibi in Sacris [*Solâ* fide justificari Peccatores] totidem syllabis literisque conscriptum legimus, legimus tamen aliquam-

quam multa quæ sunt ἐνδιάφορα, vocémque *Sola* complectuntur. *Ut Rom.* 3. 23, 24, 28. *Eph.* 2. 8. *Gal.* 2. 16. *Rom.* 4. 6, 7, 8.

De vexatissima illa Quæstione, quo pacto [a] S. *Jacobus* cum S. [b] *Paulo* sit conciliandus, dum alter alteri specie tenus contradicit, consulat cui vacat *Bibliothecam Criticorum* in *Jac.* 2. 28. & *Scharpii Symphoniam Proph. & Apost. part.* 2. *l.* 62. Sed præcipuè & præ aliis, *Harmoniam Apostolicam à Georgio Bullo, Canonico Glocestriensi*, elaboratam, opus profectò dignum, quod omnium oculis usurpetur, teratur manibus.

[a] Jac. 2. 24. [b] Rom. 3. 28.

Via sternitur ad Conciliationem.

§ 7. *Hæc Controversia* (inquit *Grotius* in suis Animadversionibus in Animadversiones *Andreæ Rivetti*) videtur *omnium esse gravissima.* At scisciranti apud me mihi, quomodo Tanta Controversia componi possit inter Theologos, & simultatibus consopitis perveniatur aliquando ad pacem aliquam Ecclesiasticam, cujus feliciter assequendæ omnes utique rationes iniri debent, videtur imprimis discidendum, Quot sint *Fidei* significata quæ occurrunt hic illic in Sacra Pagina; & quodnam Illud sit tandem (judicio saltem Plurium atque Sapientiorum) quod pro *Fide* quam vocant *Justificante* jure quidem potiore haberi debet. Perpetuò enim hîc serra ἀντιστροφὴ reciprocatur. Sunt qui volunt esse *Duodecim* hujus vocis acceptiones. *Alexander Alensis* vult *Undecim*. *Gregorius* de *Valentia*, & ante eum *Bonaventura Decem* statuunt. *Vega Novem*. *Alphonsus à Castro* non nisi *Septem*. *Albertus Magnus Quinque* tantùm. *Daniel Tilenus* assignat *Quatuor*. *Lombardus* tribus

tribus modis fidem accipi affirmat, pro eo sc. *Quo creditur*, *& Virtus* est; pro eo *Quod creditur*, *& non est Virtus*; pro eo *in quod creditur*, quod *aliud est ab eo quo creditur*. Esto quod *Novem* occurrunt *Fidei* in Sacris Literis Acceptiones, nec Plures revera, nec Pauciores. Esto quod *Fides* inibi sumitur [a] pro toto ambitu & complexu *Credendorum* in Ecclesia, quod Symbolum dicitur Apostolicum. [b] Pro summa tam *Doctrinæ*, quàm etiam *Legis* Evangelicæ. [c] Pro *Cognitione* Dei in Christo, & mysteriorum agnitione. [d] Pro Evangelii *Professione* per omnes Ecclesias annuncia. * Pro Fide quæ donum est edendorum miraculorum. [f] Pro *gaudio* illo interno, sive *pace Conscientiæ*, quæ ex Evangelio oritur, & per Idem confirmatur. [g] Pro *nuda* de Christo & rebus divinis *notitia*, quam habent Diaboli & cohorrescunt. [h] Pro *Assensu inchoato* Historiæ Evangelii recèns exhibito. [i] Pro ista denique πληροφορία, seu *Apprehensione Fiduciali*, quâ Totum Christum Mediatorem, quâ Regem, quâ Prophetam, quâ Sacerdotem, una cum omnibus suis meritis, ex integro corde amplexamur. Atque Hæc Fides esse videtur, *per quam solam* Peccatoribus *peccata* sua *remittuntur*, aut *non imputantur propter Christum*, *pro nobis gratuitò immolatum*. De cujus rei Veritate ut inter optimos quosque conveniat, & plenius deinceps constare possit, Pauca sunt priùs præmittenda.

[a] Heb. 6. 1, 2.
[b] Rom. 1. 5. Rom. 3. 17.
[c] Rom. 12. 3.
[d] Rom. 1. 8.
* 1 Cor. 13. 2.
[f] 2 Cor. 1. 24.
[g] Jac. 2. 19.
[h] Act. 13. 8.
[i] Heb. 10. 22. Heb. 6. 11. Col. 2. 2.

§ 8. Dixit *Grotius* generatim, & absque ulla exceptione, (ad Articulum Quartum *Confessionis Augustanæ*) quòd *justificare* Protestantibus est *remittere Peccata*: Pontificiis verò

Per Concessiones utrinque factas.

verò *Sanctum sive justum effiacere.* Sed pace tanti Viri dixerim, (qui usquequaque tam est *Magnus*, ut *Nominis* sui mensuram impleat.) Divisio ista Bimembris videtur plus justo universalis; nec cum rei veritate constare potest, nisi σωυεκδοχικῶς, aut adhibitâ exceptione, & distinctione utrobique. Nam neque omnibus *Pontificiis*, neque omnibus *Protestantibus*, in hoc negotio quod habemus præ manibus, omninò inter se convenit; sed in varias *utrasque* Sententias abeunt. Quibus dissidiis non obstantibus, & partim eorum adminiculo, Via patet tam facilis ad Concordiam inter Ecclesias bono cum Deo ineundam, quam est facilis Sancti *Pauli* cum Sancto *Jacobo* Conciliatio. Multi sunt enim ex *Romanensibus*, nec Pauciores ex *Reformatis*, egregiâ sanè Literaturâ æquè ac Moderatione insignes Viri, qui usque adeo sibi metuunt à *Pelagianis* ex una parte, atque ex altera ab *Antinomis*, in medio tramite incedentes, *uno animo & ore* præditi esse videantur. A plurimis prolixè recensendis, Instituti ratio postulat, ut mihi temperem; in medium proferre sufficiat Paucos.

Georgius Cassander celeberrimus, in honore apud omnes qui Paci Ecclesiæ consultum cupiunt, Doctrinam illam Protestantium, *Solos Fide justificari*, Ipse Pontificius approbat. Approbat insuper eorundem ejusdem Articuli *Interpretationem.* Volunt sc. Protestantes Cordatiores ad unum omnes, (præsertim ii qui Confessionibus Nobilioribus constantissimè adhærent, *Anglicanæ*, *Augustanæ*, *Wittembergicæ*, *Helveticæ*, *Bohemicæ*, *Gallicæ*, *Saxonicæ*, *Suevicæ*, &c.) ut *Fidei* nomine, non nisi

In Consult. de Art. 4. Confess. Aug. p. 18, &c.

Gratia,

Gratia quæ Fidei ex adverso respondet intelligatur. Ut *Solâ Fide* justificari, idem valeat quod *Solâ Gratiâ, non ex operibus* justificari. Ab hac Fide (inquit *Cassander* in Protestantium defensionem) *non excludunt Pœnitentiam, Timorem Dei, Dilectionem; sed Fidem intelligunt quæ operatur per Charitatem.* In eorundem Defensionem (præter optimum *Melanchthonem*) *Origenem* citat, & *Hilarium*, quemadmodum Patres *Auspurgenses* S. *Ambrosium* citavissent, ad probandum *nos gratis & solâ fide justificari*, id est, *recipere Remissionem Peccatorum. Fides sine Pœnitentia* (inquit * *Melanchthon*, qui instar Multorum Unus est) *non est nisi inane somnium.* † *Beza* etiam disertè dicit, quòd *Fides justificans Charitatis expers esse non potest.* Doctissimus noster *Davenantius* Caput integrum conscripsit & ex professo, * *de necessitate operum ad Justificationem.* Ex altera parte *Romanenses* fatentur interdum *Justificare* idem valere quod *tractare velut Justum*, (non justum facere;) Ex iis est ipse *Bellarminus* de Justif. c. 19. *Pineda* in *Jobum*, c. 4. *Vega* de Justif. c. 3. *Salmero* in Epist. *Pauli* Disp. 9.

* *In Argumentis in Epist. ad* Rom. *& ad* Colos. † *In Annot. ad* 1 Cor. 13. 2. * *Disp. c.* 31. *p.* 399, 400, *&c.*

§ 9. His positis, & expensis, & maturè collatis invicem, ex eo quòd * *Quidam è nostris aiunt, quod quidam negant*, & nonnulli è *Pontificiis* agnoscunt liberè, quod nonnulli inficiantur, Non possumus *Davenantio* non assentiri, dum asseverat, *Verborum formulis Discrepantes, ad rei summam quod attinet, Concordes esse.* Cautè quidem monet Episcopus longè Meritissimus, non *consultum* esse, aut *tutum*, (in quibusdam saltem casibus) ejus-

Per Abstinentiam ab Ambiguæ loquendi formulis. * Dav. *ubi suprà.*

ejusmodi Thesin adhibere, *Bona opera sunt Necessaria ad Justificationem & Salutem*, non quòd Vera non sit, aut à Præcipuis Protestantibus non intrepidè usitata, (Quales erant *Bucerus*, & Ipse Præsul *Sarisburiensis*, qui Cautionem interponit dum Thesin approbat probátque,) Sed nè ansam Calumniandi quærentibus ansam subministret; nè Pontificii verba rapiant ad propriam suam dignitatem humanæ salutis Meritoriam, & *nè ambiguis locutionibus in Papisticos Errores Plebeculam nostram inducamus*. Dum S. *Paulus Timotheum* jubet, ut *Sanorum Sermonum Formam teneat expressam*, ostendit qua in re potissimum, Constantem eum & Cautum oporteat esse: non in *ipsa Doctrina* tantùm, sed in *ipso* etiam Doctrinæ tradendæ *modo*; in ipso delectu Vocabulorum usúque; in ipsa loquendi forma, ratione, atque ὑποτυπώσει. In eundem sensum *Grotius* (Magnum Belgii Fœderati Decus) legendus est. Quia *Justificatio est Vox ambigua, & propterea ab his & illis aliter & aliter intellecta, pugnas serit, utile erit in disputando eâ voce abstinere, & pro ea usurpare Voces Remissionis Peccatorum, & Emundatione à vitiis quam sequitur Sanctificatio*. Idem dicendum & sentiendum est de Vocabulo illo *Sola*, quoties agitur de Fide per quam homo justificatur. Nam utcunque possit facilè, adhibitis Explicationibus, ad sanum sensum reduci; Dum *nudè* tamen proponitur, & absque ulla adjecta Interpretatione, *Antinomi* statim, & *Familistæ*, & omne genus *Libertini*, ad hæreses suas alendas detorquent avidè. Unde existimant prudentes & pii Viri, & inter Cæteros *Cassander*, aut à Voca-

Bucerus in *Col. Rat.* p. 98.

Ibid. p. 401.

2 Tim. 1. 13.

In Consult. Cass. ad Art. 4. p. 279.

à Vocabulo *Sola* abstinendum apud Populum esse, aut illud simul inculcandum, quod tametsi per fidem *Solam* dicatur homo justificari, nunquam tamen *Sola* constare potest, sed necessariò *Pœnitentiam, & melioris vitæ propositum adjunctam habet.* Hoc (inquit Ille) est diligenter inculcandum, *ne inanem quandam & adumbratam imaginem fidei pro fide solida & expressa amplectamur.* Id quod providit Ipse *Lutherus in Visitatione sua Saxonica*: " Multi (inquit) dum audiunt, ut solummodò Credatur omnia illis remitti peccata, fingunt sibi fidem, & putant se mundos esse, per quod fiunt temerarii & securi. Hujusmodi autem Carnalis Securitas pejor est omni Errore, qui ante hoc tempus unquam fuit. Hactenus Ille. Quare multis eruditis & piis viris videtur satiùs (inquit *Cassander*) ut in Concionibus Popularibus vox illa *Sola* prætermittatur, sed *Scripturæ* tantùm verba usurpentur; ut *Gratiâ salvi facti estis per fidem absque operibus. Justificati gratis, per gratiam ipsius. Arbitramur hominem justificari fide, non ex operibus legis.* Similem adhibet Cautionem in casu simili Antistes noster antedictus, cujus Secunda Conclusio est, *In concionibus popularibus apud indoctum vulgus prædictæ propositiones* (verissimæ licèt) *aut omninò vitandæ sunt, aut simul cum claris explicationibus adhibendæ.* Cautionum ejusmodi Necessitatem exemplo Patrum Antiquorum Antistes firmat; qui abstinuerunt à quibusdam loquendi formulis, solummodò propter perversam hæreticorum intelligentiam. Vox est S. [a] *Hieronymi, Quod bonè dici potest, tamen propter ambiguitatem dicendum*

Davenantius ubi supra.

[a] In Comment. ad Hos. 2. 16.

* Damascen. l. 3. c. 12.

† Aqu. cont. Gentes, l. 3. c. 93.

Durand. l. 1. Dist. 11. Q. 2.

endum non est. Sic * noluerunt Sancti Patres (quamvis possent verissimè) *Christi Matrem vocare* beatam Virginem, nè *Nestorio* cessisse viderentur *qui Deiparam negavit*. Idem senserunt & † *Scholastici* celebriores, qui noluerunt cum hæreticis nos vel verba habere communia, *ubi ex consortio nominum sumi posset occasio falsorum dogmatum*. " Notandum " est (inquit *Durandus*) quòd quædam sunt " nomina quæ non recipiuntur in divinis, " propter hoc, quòd quandoque fuerunt " Causa Erroris, magis quam propter re- " pugnantiam suæ Significationis. Verbo dicam, accuratè providendum est nobis omnibus, cuicunque aut Parti aut Ecclesiæ accensemur, nè quando ullâ Phraseologiâ aut Errandi occasionem Vulgo hominum præbeamus, aut faciamus rem gratam Doctis aliquibus Adversariis, à quibus Verba in se innocua (modò candidus & æquus Interpres adsit) ad Sensum suum Heterodoxum inflecti solent.

Per decem Theses de quibus convenit inter omnes.

§ 10. Ut adhuc lucidiùs constare queat, pleraſque hac de Re Lites in fumum λογομαχίας abire posse; & multa quæ differunt quoad *sonum*, eódem redire quoad *sensum*; Atque ex Re Religionis futurum esse, ut vice vocum *Ambiguarum*, (quæ vix alii rei inserviunt, quàm Simultatibus progignendis,) Ea Voces adhibeantur, quæ *unum semper aliquid, Certúmque* denotant; Est operæ pretium recognoscere, Quot & Quænam sint Illa de quibus convenit inter omnes, & Quænam sint illa tandem Ambiguorum Interpretamenta, in quibus Hostes insensissimi qui quoad multa

diffi-

difficillimè deponunt inimicitias, nescio quo pacto amicissimè *vel ingratiis suis* conspirant. Apud omnes plerosque est in confesso, tam Pontificios Saniores, quàm Protestantes, tam *Lutheranos*, quàm *Zuinglianos*, & *Calvinistas*, tam fratres Remonstrantes, quàm *Dordrectanos*, nec non Ecclesiæ Anglicanæ eximios Patres Filiósque, (qui aliter quàm Cœteri in multis sentiunt,) Apud hos inquam est in Confesso. 1. Quòd *Justificatio* non aliud sonat quàm *Remissionem Peccatorum*. 2. Quòd Remittere peccata *Solius Dei in Christo* officium est, aut Privilegium. 3. Quòd Ejusmodi Remissionem Nemo hominum nisi per Christum nanciscì potest. 4. Quòd per veram *vivámque Fidem* (quæ & gratis est data, & gratos faciens,) *Justi* quodammodò fiunt homines. 5. Quòd à Deo *ut Justi* tractantur omnes, quibus *Fidei justitia* ineſt. 6. Quòd Justitia Fidei vivæ (quæ est etiam vivifica) per *fructus* idoneos conservatur. 7. Quòd *Fructus* Fidei naturales sunt *Bona opera*. 8. Quòd Bona opera, sic emanantia à vera Fide in Christum, ad vitam æternam sunt necessaria. 9. Quòd ità *præcedit* Resipiscentia momento primo, ut momento secundo *sequatur* Remissio Peccatorum. (*Nescit tarda molimina Spiritus Sancti Gratia.*) 10. Quòd Nemo Impius absolvitur *dum* Impius est. Hæc sunt omnia simplicissima, & extra aleam Controversiæ.

§ 11. Sed sunt Alia, nimis ambiguè, & vel Scholasticè dicta, vel Metaphysicè, quæ Pacis negotium quod agitatur difficile reddunt, *Per Dissidentium Ratiocinia ab omni parte Concordia.*

dunt, & impeditum. Ad ista eatenus enucleanda, ut aut non omninò, aut minus noceant, videntur mihi notatu *digna* Doctorum Explicationes, si non simpliciter *necessaria*.

[a] *Confess. Aug. art. 4.*
[b] *Cassand. Consult. in Conf. Aug. art. 4.*
[x] *Bernard. Epist. 119.*
[c] *Grot. Annot. in Cassand. ad art. 4.*

[a] Quanquam Evangelium requirit *Poenitentiam*, tamen ut *Remissio* peccatorum certa sit, docet eam *donari gratis*, hoc est, non *pendere ex Conditione dignitatis nostræ*. [b] *Per Solam fidem à Christo Remissio est* (inquit *Hilarius*) per hanc autem *Solam fidem*, intelligit haud dubiè, *solum meritum & Confidentiam operum excludi, ut Gratia stabiliatur*. * Assignata est homini justitia aliena, qui caruit suâ. [c] Est Remissio in hoc, ut Deus alicui gravibus criminibus involuto ea quæ ad conversionem sunt necessaria non adimat, de qua agitur *Luc.* 23. 34. *Remitte hoc ipsis Pater, nesciunt enim quid faciant.* Est Alia major, qui Deus omnes pœnas remittit, & jus dat ad vitam æternam. Est & tertia, qui id jus conservatur. Denique Quarta, qui ipsi redditur.——Remissio illa *prima* nullum respectum habet operum. Secunda etiam sine operibus potest contingere. (Ut contigit Latroni in Cruce Christum confitenti.) Tertia Respicit *mundities* in animo per Gratiam *ante opera*. Sed Quarta *durare* sine piis operibus *non potest*. Hæc est summa brevissima Processûs Dei in Evangelio circa hominem, quem est videre apud *Grotium*, p. 278, 279. Doctrina Apostolorum veterúmque omnium, quæ illustrem huic Articulo, & Doctorum in eundem Commentariis, facem præfert. De *prima* illa Peccatoris *Reconciliatione*, sive *Remissione*, quæ *justificatio*

ficatio plerumque dicitur, in qua *Nulla requiritur Conditio*, videtur agi ab Apostolo *Rom.* 5. 10. Est nimirum *Inimicorum Conciliatio*: & 2 *Cor.* 5. 19. *Deus in Christo Mundum sibi conciliavit, non imputando ei Lapsus.* Nisi fortè dicendum sit, Conditionem *non deesse*, quæ necessariò *subintelligitur*. " Nam " [a] *Resipiscentia & Remissio Peccatorum in* " *Christo*, duo sunt Evangelii ac proinde " nostræ Salutis capita; quæ obtinentur ex *Promissionibus per fidem apprehensis*. S. *Petrus* non dixit, *Credite*, sed *Resipiscite in Remissionem Peccatorum*. Act. 2. 38. Ubi *Fides* includitur, quanquam Illius sit nulla mentio. Et quemadmodùm *Fidei* nihil detrahit, quòd *Abrahamus* per bona *opera* dicitur esse consecutus, *ut Amicus Dei vocaretur*, (Jac. 2. 23.) *Deúsque* dicitur *non injustus, ut obliviscatur operis vestri, & laboriosæ Charitatis*, (Heb. 6. 10.) *& Tolerantiâ opus est, ut reportetis Promissionem*, (Heb. 10. 36.) *& Merces mea est mecum, ut reddam unicuique prout opus ipsius erit*; (Apoc. 22. 12.) Ità nec *operibus* quicquam derogat, quòd Homo extra Scripturam dicitur, *Solâ fide justificari*. Considerandum est identidem, quòd duplex est Dei Misericordia, (distinguente *Damasceno*, qui ex Patrum Græcorum Scriptis exscribit Sua,) Alia præcedens, Alia subsequens. Aliter Deus amat Mundum, *ut convertat*; *conversum* aliter. Alia etiam est Distinctio notatu digna, & ad concordiam conducibilis. Nam cùm Veteres nonnulli, & ex iis *Cassander*, aiunt, *nos solâ fide justificari*, intelligunt nos ex impiis pios fieri per fidem, quæ *Sola* dicitur, *non in quantum distinguitur à Pœnitentia*,

[a] Beza in Act. 2. 38.

tentia, aut *Charitate*, sed *in quantum distinguitur à longa ac jugi operatione*. Quid, quòd Doctissimus *Davenantius*, qui Synodi *Dordrechtanæ* Pars magna fuit, De Necessitate bonorum Operum ad Justificationem adipiscendam, fidémque ipsam quasi justificandam, adversus *Antinomos*, *Fiduciarios*, *Solifidianisque* hujus Seculi, Pontificiis plerisque, & nominatim *Bellarmino* liberiùs scribit? Videat, cui vacat, (præter Volumen illud paulò superiùs allegatum,) Integram ipsius *Determinationem*, cui Titulus est, " * *Fides justificans non potest à Charitate disjungi*. Nobis " (inquit) ea dicitur & habetur fides justificans, quam certò & infallibiliter consequitur aut concomitatur Justificatio. Et " *adversus Dominicum à Soto* addit, Nos fidem illam, quæ non titulo tenus, sed de facto " *Justificans* appellatur, à Charitate disjunctam negamus. Et post multiplicem Probationem, in hæc verba definit. " Si naturæ ordinem spectemus, Fides præcedit " Spem, Spes Charitatem; sed si temporis " rationem habeamus, Fides justificans habet " utrasque comites indivulsas. Et in altero ejus Volumine, quod vocat *Prælectionum*, sic infit. " Bona † quædam opera sunt " *necessaria* ad Justificationem, ut *Conditiones* " *concurrentes*, vel *præcursoriæ*; licèt *non* sint " necessaria, *ut Causæ efficientes aut meritoriæ*; & rursum — Bona opera ad justificationis statum retinendum sunt necessaria, " *non ut Causæ*, &c. *sed ut Media seu conditiones*, sine quibus Deus non vult Justificationis gratiam in hominibus conservare. " Necessaria (inquit postmodùm) ad salu-

" tem,

* Davenant. *Quæst.* 38. *p.* 169, &c.

P. 174.

† *Idem in Prælect. c.* 31. *p.* 401.

P. 404.

P. 405.

" tem, *necessitate ordinis, non Causalitatis.*
[g] Concessit etiam eruditissimus *Prideauxius*, etiam tum cùm *Calvinianis* è Cathedra Regia benè cupiit, " Quòd ut fides hominem, " sic opera fidem justificant; & in *Colloquio Altenburgensi*, requirunt Theologi " *Electorales*, *præsentiam operum*, licèt non " Efficientiam. Quòd inanis est ista fides, " quæ in operum fructu non se exerit.
[h] Totius Ecclesiæ Anglicanæ Vox est illa Quotidiana, " Quòd Deus dedit Potestatem ministris suis, imò præcipit, ut Populo *Pœnitenti* (*non Credenti tantùm*) *Absolutionem*, *Remissionèmque* Peccatorum *planè annunciarent*. — Ipse singulis *Pœnitentibus*, & Sacrosancto Evangelio haud fictè " *credentibus*, *condonat*, eósque *absolvit*. Rursùm Deus est pollicitus omnibus seriò " pœnitentibus, & verâ fide ad illum conversis, Peccatorum Remissionem. Utrobique Respiscentia non modò concomitatur Remissionem Peccatorum, sed & eidem præmittitur. Nè quisquam hominum non capiat, Quid sibi velit *Sola Fides* in vera *Fidelium* Justificatione, (ubi Fides Fideles facit,) [k] Ecclesia *Helvetica* Rem complexam esse ostendit, ex Verbis Christi apud *Johannem*, (c. 6.) Ubi *pro credere ponit manducare*, *& pro manducare*, *credere*. Nec aliam Fidem intelligi volunt in hoc negotio, quam *efficacem*, *& sese exerentem per Dilectionem*; " Fidem *quæ nos in officio retinet*, *Conscientiam quoque pacificat*, " *liberum ad Deum aditum aperit*, *patientiam firmat*, *format veram Confessionem*, " *omnis generis bonos fructus*, *& pia opera*

[g] Prideauxii post *Episc. Wigornicos*, *Lect.* 5. p. 70, 71.

[h] *Eccl. Angl. in Absolutione pronuncianda*, *&c.* *Item in Administr. Cœnæ Dominicæ*

[k] *In Confessione Posteriore*, c. 15.

c. 16.

[1] *In Confessione Priore, Art. 13. mihi p. 173.*

" *progignit.* [1] Addunt quod fides eadem " (qua solâ justificamur) *est rerum sperandarum substantia, & Apprehensio, qua ex* " *se Charitatem, & mox præclaros Virtu-* " *tum omnium fructus pullulat. Nec quid-* " *quam tamen his officiis licet Piorum, sed* " *simpliciter gratia Dei salutem partam at-* " *tribuimus. Atque Hic quidem Solus est* " *Verus Dei Cultus, Fides operum fecun-* " *dissima*, sed *nullâ operum fiduciâ*, quæ Sola excluditur per *Fidem Solam.*

Reverendissimi *Davenantii* Conclusio Sexta *de Justitia Actuali*, videtur mihi perquam dignissima, quæ Tota huic Capiti imponat finem. [m] Nam uti nemo *Recipit*

[m] Daven. *Prælect. c. 31. p. 404.*

" Justificationem generalem (de quâ jam " agitur) nisi concurrente Pœnitentiâ, Fi- " de, novæ vitæ Proposito, aliisque ejus- " dem generis actionibus; Ità Nemo eandem " dem *Retinet*, nisi iisdem mediantibus. " *Ratio* cur ex parte nostra necessariò re- " quirantur hæc omnia, illa est, quòd hæc " abesse non possunt perpetuò, ut non a- " desse incipiant illorum opposita, quæ " pugnant cum natura Justificati. (Exem- " pli gratiâ) si dempseris studium Morti- " ficationis, & Exercitium Pœnitentiæ, ir- " rumpunt Concupiscentiæ Dominantes, & " Peccata vastantia Conscientiam.

Non opus est, Lector Candide, ut de *Vocatione, Regeneratione, Adoptione, Renovatione, Sanctificatione, & Salvatione*, distincta capita instituam, aut operosius aliquid dicam, & ex professo; Quandoquidem hæc omnia comparata sunt ità, ut *Justificationi* ritè expositâ, in promptu sit omnibus intelligere,

telligere, Quid de Reliquis Beneficiis jam numeratis ſit ſentiendum, & quo pacto nobis illa quoque obtingant. Nam ad hunc Articulum [*Credo Remiſſionem Peccatorum*] Tota Chriſti Hiſtoria referri debet. Ut ſaluberrimè nos monet Veneranda *Synodus Auguſtana.* Quorſum ſcilicet Ipſe Chriſtus aut Incarnatus, aut Natus, aut Paſſus eſt, aut Reſurrexit, niſi ut Nobis per ipſum, & propter ipſum gratuitò, in primis *Remiſſio Peccatorum* deinde & *Gratia pro gratia,* Tandémque aliquando *Æterna Gloria* impertirentur? Ratum ſit ergo quòd Beneficia paulò ſuperiùs recenſita, quæ *Jeſus Chriſtus* tanquam Sacerdos, Idémque Sacrificium noſtrum, pro nobis emit, offertque, uno quaſi Complexu, *Juſtificatione* comprehenduntur. Joh. 1. 16.

CAP. XXI.

De Sacramentis in genere.

Connexio præſentis cum Articulo præcedente.

§ 1. QUum *Juſtificatio Evangelica* requirat *Fidem,* ceu Inſtrumentum *Internum* quo juſti habemur coram Deo; & Quum Ea ipſa Fides opus habeat adminiculis, nè quando (propter multiplicem quæ eſt in homine infirmitatem) aut vacillet, aut intercidat, aut funditùs tandem excutiatur; placuit Patri Miſerationum Inſtrumento huic Interno *Externa* addere Inſtrumenta,

quorum ope extrinsecus Internum illud adjuvatur, confirmatur Promissio Domini, omnisque deinceps Dubitatio ex animis nostris eximitur. Tria sunt autem *Externa* illa, quæ uni *Interno* auxiliantur. *Evangelium*, *Sacramentum*, & *utriusque Dispensator*. De quorum Primo actum est fusiùs. De ultimo agetur suo tempore & loco. De Medio verò jamjam agendum arbitror. *Sacramentum* enim Mysterium est, quod *Verbum Visibile* vocavit appositè satis *Augustinus*; atque ut plurimùm definitur, *Signum Visibile Invisibilis Gratiæ*. Et Hoc ad *Fidem Justificativam* corroborandam & conservandam videtur ex eo conducibilius, quòd ex duabus Partibus constamus, quarum altera sub sensum *videndi* cadit, prout altera oculorum *conspectum fugit*. Et Oculis nostris per *Sacramentum* Christus quodammodò subjicitur, sicut per suum ipse *Verbum* Auribus nostris annunciatur.

Sed & alia est connexio *Justificationis* cum *Sacramento*, quam ex *Antonio de Dominis*, longè Doctissimo Pacificóque Archiepiscopo *Spalatensi*, in promptu cuilibet est inferre.

M. Ant. *de Dom. in Rep. Eccl. l. 5. c. 4. n. 27.*

" Nam ut homo non concurrit ad Remissionem Peccatorum, nisi tantùm *Dispositivè*, tum *amovendo* voluntatem actualem peccandi, per necessariam *Pœnitentiam*, tum *credendo* in Christum *vivâ Fide*, ut ità Christum *apprehendat*, & *sibi uniat*, sed mediante *Sacramento*, & *per Sacramentum*; (ubicunque Sacramentum haberi queat;) Sic *Remissio* seu *Justificatio* à Deo solo erit *effectivè principaliter*, ut à *Sacramento instrumentaliter*. Quapropter ordine satis accom-

scommodo post *Remissionem Peccatorum* ad Doctrinam *Sacramentorum* contemplandam accedítur.

§ 2. *Sacramentum* à *Sacrando*, (Vocabulum nullibi in Sacris Literis usurpatum,) Varia apud Varios Scriptores Ethnicos significat. Nunc *Pecuniam*, loco *Sacro* à litigantibus depositam. Nunc *Militem*, Militiæ, Juramento suscepto, *consecratum*. Nunc præcipuè *Juramentum*, quo Duci suo obstricti sunt. Unde ad usum Sacrorum Ritum *in Domo Dei* indigitandum, *Antistites Latini* hoc vocabulum traduxerunt; prorsus ut *Græce Ecclesiæ Patribus* Vox Generica *Mysterium* in usu erat. Neutra Vox secundum *Literam*, sed *figuratè* usurpata censenda est; *Sacramentum* Metaphoricè, Synecdochicè *Mysterium*. In Sacris Literis designatur, Id quod vocamus *Sacramentum*, per vocem [a] *Signi*, atque *Sigilli*; Quod trifariam ibi accipitur; vel pro *ritu externo*, vel pro ipsa Re signata quæ est *Interna*, vel pro ambitu utriusque, tam *Signi* quàm *Signati*, quod utrumque simul ingreditur Brevem illam & vulgarem Sacramenti Definitionem, quæ in Ecclesia Dei obtinet. Rectène autem, an secus, satis propediem explorabitur. *Quid sit Nomen.* [a] Rom 4. 11.

§ 3. Si satis esset ad *Sacramentum* hoc in loco intelligendum, quòd sit semper *Res sensibilis, cui ex divina promissione annexus sit effectus aliquis supernaturalis*, aut *Externum Signum Internæ Gratiæ*, Illud Absurdi sequeretur, quòd *Sacramenta essent innumera*. Uti Doctissimus *Spalatensis* contra doctissimos *Ron-* *Quid Rei.*

* *In Rep. Eccl. T. 2. l. 5. c. 4. n. 4, 5, &c.*

ficios prolixè * probat. Cujus *Descriptio* Sacramenti elaborata, in *proprio* suo significatu, ſinque Eccleſia neceſſario, digniſſimum ſanè exiſtimo, quæ hunc in locum transferatur. *Eſt* nimirum *Actio aliqua ſenſibilis, ex natura ſua indifferens, nullam ex natura rei connexionem habens aut convenientiam cum effectu ullo Gratiæ, & tamen à Deo inſtituta, atque ordinata tota ſecundum omnes ſui partes, ut in Eccleſia perpetuò ſervetur, cui effectum Gratiæ infallibilem promiſerit & adjunxerit, ſed cum quadam ſimilitudine & analogia, qua ſit inter ipſam actionem naturalem, & ſuum effectum naturalem, atque inter actionem ſpiritualem, ipſiuſque effectum ſpiritualem.* Hujuſmodi autem *Deſcriptio* eò potiùs eſt admittenda, quoniam Scriptura non exprimit *quænam* ſint *propriè* Sacramenta, imò nec ullum adhibet Nomen appropriatum ad Hoc, ut Rem eam diſertè denotet quam Eccleſia *Sacramentum* latinè vocat; & *Auguſtinus* agnoſcit *omnia, quæ Sacrum* aliquid ſignificant, generica Vocis acceptione vocari poſſe *Sacramenta*.

Auguſt. Epiſt. 3.

Deſcribitur potius quàm definitur, idque per 10 Conditiones.

§ 4. " Neceſſe fuit mihi pluribus *Verum* deſcribere *Sacramentum*; (Pergit Doctiſſimus Archipræſul;) nam nulla aliorum " Deſcriptio, quæ plurimæ ſunt, mihi poteſt ſatisfacere; quia nulla excludit multas actiones externas quibus gratioſa eſt " adjuncta Promiſſio, & quæ à Chriſto aut " præceptæ ſunt, aut commendatæ, ut *Oratio*, " *Reconciliatio cum fratre, Eleemoſyna, Concordia*, &c. Quæcunque enim ſunt ſigna ad Res divinas pertinentia, nomine *Sacramenti* latè ſumpto, (Judice Sancto *Auguſti-*

no)

no) *Sacramenta* vocari possunt. *Octo* illa quæ *Bellarminus* in *Vero* requirit *Sacramento* (excepto solo septimo quæ propriam habet controversiam) libenter admittit *Spalatensis*, & ab omnibus meritò admittenda esse putat. Sed illa *octo* non sufficiunt, quippe quæ sunt omnia in *Oratione*, *Eleemosyna*, *Reconciliatione*, &c. idque multò clarius, quàm in aliquibus ex *Septem* quæ *Romanenses* numerant *Sacramentis*. Exempli gratiâ, *Reconciliari cum fratre dimittendo ei injuriam*, 1. Est *signum*; significat enim cum Deo Reconciliationem. 2. Est quid *sensibile*; vel amplexibus, & ulnis obviis, vel verbis saltem conceptis, ipsam facit reconciliationem. 3. *Voluntarium*; non potest enim divina aut Reconciliatio aut Remissio *naturaliter* significari. 4. Habet *Analogiam* quandam & *similitudinem*. Namque ut Læsus homo dimittit ledenti injuriam, Ità peccata Dimissori dimittit Deus. 5. *Res est Sacra* omnis Dimissio peccatorum. 6. *Tunc evenit*, cum frater fratri verè reconciliatur; & Concedemus nunc 7^mò. quod in *ipso actu* hujusce Reconciliationis, Peccata Remittentis (quod in se Frater suus peccaverat) *à Deo* ipsi ex altera parte *remittuntur*. 8. Hæc est *pia & religiosa Ceremonia*, quæ in Ecclesia semper erat, semperque erit *necessaria*. Nam *Potestas excindendi à Corpore Christi aliquem*, ab ipso Christo Ecclesiæ * data, Huic ipsi fundamento videtur potissimùm inniti. Sed non obstantibus *his octo* ad *Sacramentum* requisitis, non est tamen *Sacramentum* de quo nunc agimus ipsa *Reconciliatio*, in quantum est *Actus Charitatis*, & sub Præcepto divino

Bellar. *de Sacram. in gen. l.* 1. c. 9.

* Mat. 18. 17.

antecedenter, & non aliquid antecedenter ex se *Indifferens*, quod ut *Nonum* requisitum vult *Spalatensis* perspicacissimus. Quid ad Naturam Sacramenti requirit *Decimò*, ut sit *expressè à Deo institutus* & *ordinata talis Actio*, Ecclesiæque *tradita ac mandata, cum expressa item Promissione effectûs gratiæ, Actioni eidem annectente.*

Quarum usus est momentosus.

§ 5. Per has *Decem* Conditiones, omnia facilè excludentur à *ratione Sacramenti* verè & propriè sic dicti, quæ *videntur*, & *prætenduntur*, sed *non sunt Vera Sacramenta*, tametsi ex istis conditionibus plures habeant. Exemplum unicum adinstar erit multorum. *Manus Impositio super ægrotos*, ab ipso *Christo* * *institutus*, est antecedenter *Res Indifferens, sensibilis, certa*, & in multis Ecclesiis in usu adhuc, &c. Et veruntamen, præ defectu non nullarum Conditionum, non est *Verum* Sacramentum. Non habet debitam Analogiam, non est *Fœderis* Pactique inter Deum & hominem *Renovatio*; non est *perpetuò* observanda, & ad Salutem *necessaria*, ubicunque haberi potest. Quum igitur constet, Sacramentum *vulgò* dictum *Aggregatum* quoddam esse & *Artificiosum*, nec per se, sed *per accidens*, si modò *physicè* consideretur; frustra quæritur *exacta* ejus *Definitio*, (ut contendit *Spalatensis*, & † *Bellarminus* ipse credit,) sed *Descriptionibus* longiusculis contenti tunc necesse est. Ejus autem *Definitio* qualis qualis hæc esto; *Sacramentum est merum Instrumentum sensibile, ordinarium, significativum*, atque *divinitùs institutum, quo Deus per Ecclesiam, in Credentibus, vel Gratiam produit, vel*

* Mar. 16. 18.

† *Ubi suprà*, c. 10.

vel productam stabilit. Quæ Definitio nequaquam competit *Orationi*, *Eleemosynæ*, *Fraternæ Redintigrationi*, & Similibus, quæ non sunt *Mera Instrumenta*, sed *Dispositiones*, vel *Conditiones*, vel aliquid Tale.

§ 6. In Definitione jam exhibita, quatenus *Sacramentum* non est *Physicum* omninò, sed *Morale* Instrumentum, & *Materiam* suam & *Formam* habemus Ei assignatas. In Instrumento enim quocunque, τὸ *Materiale* Res est ipsa quâ utimur ad Aliud; τὸ *Formale* verò est Vis, aut Virtus, aut Aptitudo, quam habet aliquod Instrumentum ad opus suum efficiendum. *Spalatensis* rem illustrat per Instrumentum materiale quod *Serra* dicitur. Cujus *Materia* est *Ferrum*, *Forma* verò *Vis* seu *Aptitudo ad secandum*; quam vim habet à *Figura* qualicunque, putà à dentibus, ab acie, à cuspide, &c. Sic Materia Sacramenti est Res aut Actio sensibilis; *Forma* Vis seu Aptitudo Gratiam quadantenus *convehendi*, vel efficaciter *testandi*. Et quia nulla res sensibilis *de seipsa* Vim talem habere potest, oportet ut eandem à Deo habeat. Ideóque *Sacramentum* à Deo Solo oportet esse Institutum. *E. G. Lotio* simul cum *Verbis*, *Ego te Baptizo in nomine Patris*, *Filii*, *& Spiritûs Sancti*, sunt Ipsum Baptismi *Materiale*, & *Sensibile*; Ipsum verò *Formale* est *Vis animam mundandi*. Neque enim Verba illa [*Ego te Baptizo*] Lotioni illi conferunt Vim aliquam Spiritualem, (per magicam quandam Incantationem,) Sed & *Lotioni & Verbis* simul indidit *Deus* Vim Mundandi Animam, (virtute *Pacti* cum homine facti, & *Promissi*

Materia & Forma Sacramenti, &c.

Ubi suprà, n. 9.

Ecclesiæ

Ecclesiæ dati,) Ex qua vi, & Lotione, cum Verbis illis factâ, Divinum & Integrum statim exoritur Instrumentum, quod in Ecclesia Christi Catholica *Sacramenti* nomine censetur. Frustra sunt ergò *Pontificii*, (utcunque summæ & Literaturæ, & Industriæ, & Acuminis laude dignissimi,) quorum communis * Opinio est, *Sacramenta Novæ Legis & in verbis & in rebus constare omnia*; nempe in *rebus* quoad *Materiam*; in *verbis* verò quoad *Formam*. Cujus Erroris Documento & illud erit, quòd (*Baptismo solo excepto*) *nusquam* in tota Scriptura Sacra, nec novæ legis nec veteris, ulla Vis propria Sacramentalis à Deo datur *certis Verbis*, vel seorsim à rebus, vel cum rebus conjunctim. Quum ergo Salvator nunquam *dixerit*, nec unquam Apostoli *explicaverint*, ullum verum Sacramentum (præterquam quod præscribitur *Invocatio Trinitatis* in *Baptismo*,) continere *verba* certa, & jure divino determinata; *Planum est* (inquit *Spalatensis*) *Verba* prolata *in Sacramentis non modo neutiquam esse Formam, sed nè Materiam quidem certam atque determinatam.*

* Bellarminus *ità refert, ubi suprà, c. 18.*

Quotuplex Sacramentum.

§ 7. Dum Numerum Sacramentorum *septenarium* obtrudunt suis *Pontificii*, quem numerum *Lombardus* à centum annis & quinquaginta ad minimum Primus omnium excogitavit, (aut saltem invexit in Ecclesiam,) Concilium *Florentinum Armenios* docuit, in Fidei Articulum deinde vertit *Tridentinum*, Alii autem satagerunt pro posse suo effectum dare, ex Vitæ spiritualis ad Corporalem Similitudine, ex numero Vulnerum & Virtutum, ex numeri ipsius Septenarii celebritate,

Bellarm. *de Sacram. in gen. l 2. c. 21. & 26.*

tate, quas Rationis Congruentias vocare placuit, *Proh Deus Immortalis!* (inquit doctissimus *Spalatensis*) *quàm facilè Articulos Fidei cudimus!* Deinde evincit *Archipræsul*, rationum momentis solidissimis, in Solis *Baptismo* & *Cœna Domini*, Veram & integram Sacramenti (verè dicti Evangelici,) rationem & naturam liquidò posse inveniri. Confirmat hoc Autoritate Antiquitatis, nominatim S. *Ambrosii*, atque B. *Augustini*. *Magistrum Sententiarum*, qui primus omnium in se recepit Ecclesiæ Oculos aperire, ut Septem inspiceret Sacramenta, perstringit acriter. In Concilium *Florentinum* cum * Schismate celebratum, (*n.* 21.) & in Concilium *Tridentinum* propter Canones pernicioſos, Fideique Articulos ex hominum Placitis fabricatos, (*n.* 23.) gravissimè Vir Magnus censuram agit. Tandemque Argumenta ex *Congruentiis* quas vocant accersita, tanquam Theologo prorsus indigna, contemptim præterit.

* *Confer. Rep. Eccl. l.* 4. *c.* 10. *n.* 11.

§ 8. Quum vix quicquam magis ansam Controversiæ ferram reciprocandi in Ecclesia Dei præbuerit, quàm Doctrina de Sacramentis, Non majori quidem compendio ad Pacem ibitur universalem, quàm si *omnes* æquè ac *aliquos* Sacramenti *Fines* omnium Partium Theologi maturè secum consideraverint. Tam eos qui sunt Fines ex *parte Dei*, quàm qui sunt ex *parte Hominis*. Neque tantùm *Principales*, verùm etiam *subordinatos*. *Principalis* est duplex, *Prior* est ut *Sacramentum* sit *Instrumentum*, *Medium*, & *Vehiculum*, per quæ Deus *offert*, imò *exhibet*, imò *applicat* Credentibus, de Remissione Peccatorum, de Dono Gratiæ

Quinam Fines, & Effectus, & Via aperta ad Conciliationem.

Gratiæ Gloriæque prætiosissimas. *Promissiones* in Verbo suo promulgatas. *Posterior* est Finis Principalis, ut Sacramentum ex parte Dei *Signum* sit & *Testimonium* divini erga nos Amoris; *Pignus* etiam divinæ Gratiæ; Nec non *sigillum* sive *signaculum*, Promissiones Evangelii nobis datas quasi *obsignans*, *confirmans*, & *in vim Pacti* quasi *consummans*. *Finis* verò *subordinatus* videtur in genere esse quadruplex. Primus est *Discriminativus*, in quantum est Ecclesiæ *Tessera*, atque *Symbolum* Religionis. Secundus *Disciplinæ Conservativus*, in quantum est publicorum Congressuum *Nervus*. Tertius *Obligatorius*, in quantum ad Fidem Obsequiúmque Deo præstandum nos stringit. Quartus *Didacticus* & *Informans*, in quantum Typus est Virtutum. Nam * *Mortificatio Adami veteris* per Baptismum repræsentatur; † *Dilectio mutua* per Eucharistiam. Præterquam quod ex parte Nostri, Fides in nobis excitatur, & nè labascat stabilitur. Qui omnes hos Fines simul sumptos non uno cogitant complexu, Naturam *Veri* Sacramenti non capiunt *Integram*, sed inter se dividunt atque discerpunt. Indéque est quòd Sacramentum nihil aliud esse volunt [a] Sectatores *Caroloſtadii*, quàm *signum* quoddam institutum ad homines *Christianos* à *Non-Christianis* discriminandos. [b] Alii autumant Sacramentum nudam esse *Allegoriam*, & quasi *signum* Bonorum operum, Vitæque nostræ spiritualis. [c] Alii aiunt Sacramentum duntaxat esse *Ceremoniam*, quâ se Christianus Ecclesiæ probat, ceu Militem Christi, aut Candidatum. *Zuinglius* Hunc Errorem retractavit aliquantisper, sed & postmodum re-

* Rom. 6. 3, 4.
† 1 Cor. 10. 17.

[a] *Hos refellit* Calvinus *Inst. l.* 4. c. 14. § 13. 2.
[b] *Hos* Chemnitius *revincit in Exam. Part.* 2. *de Sacram Efficacia, & Usu.*
[c] Zuinglius *in lib. de vera & falsa Relig & alibi passim.*

reſumpſit. Alii [d] aſſerunt certatim, Sacramentum eſſe *ſigillum* tantùm, collatam Gratiam, vel conferendam, & ſignificans, & obſignans; ſed Inſtrumentum eſſe Gratiæ, Remiſſionis, & Salutis, omninò negant. Hic autem Error eſt ità affinis *Zuingliano* jam dicto, ut potiùs eódem redire cenſeam. Quanquam alibi *Calvinus* dixiſſe *aliter* perhibetur, nempe *Lavacrum eſſe Symbolum efficax; quia Deus, dum hoc oſtendit ſignum, ſimul etiam operatur quod per ſignum illud ſignificat.* Ità inquam *Calvinus*, ſi fides * *Bellarmino* habenda ſit. Et Hoc videtur [f] *Spalatenſi*, ac Catholico cuique *Pacifico*, ſufficere debere ad Pacem Publicam ineundam, Si omnes Pacem ſincerè cuperent. Ipſum aſſignare *modum*, quo Sacramentum operatur, non omninò neceſſe eſt; & tantas patitur difficultates, ut *Veterès* omnes, etiam *Scholaſtici*, ſatis ſibi eſſe putaverint, ſi Hoc ſclummodò concedatur, quòd Præſente Sacramento, & Recipiente dignè diſpoſito, *Deus ex ſe ſolus, & immediatè, quaſi viſo ſuo ſigno, Gratiam donat. Poſſumus igitur* (inquit Ille ad Pacem factus *Spalatenſis*,) *facilè nos invicem tolerare.* Immota ſit tandem Hæc Concluſio; quòd Sacramentum eſt *Medium efficax*, per quod Gratia Dei, Remiſſio Peccatorum, Salúſque ſempiterna, Credentibus omnibus offertur, oblata exhibetur, exhibita applicatur. Per Hoc homines Inſtrumentum (quia Deus ſic voluit, ſic decrevit, Inſtituítque,) & fœderi Gratiæ inſeruntur, & in eodem conſervantur. Eccleſiæ puræ, primævæ, incorruptæ, & Apoſtolicæ, Perpetuus Senſus Hic erat, ex ipſo Verbo

[d] Calvin. *Inſtitut. l. 4. c. 14. Sect. 17.*

* Bellar. *de Sacram in gen. l. 2. c. 3.*

[f] *In Rep. Eccl. T. 2. l. 5. c. 4. n. 29.*

[g] Act. 2. 38. Verbo Dei palam habitus & eductus. [g] *Baptizetur vestrûm unusquisque in remissionem Peccatorum.* [h] Act. 22. 16. [h] *Baptizare, & ablue peccata tua.*— [i] Eph. 5. 26. *Ut Ecclesiam sanctificaret, postquam Eam* [i] *purgâsset Lavacro Aqua. Salvos nos fecit per Lavacrum Regenerationis.* [k] 1 Cor. 6. 11. (Tit. 3. 5.) *Sed* [k] *ablati estis sed sanctificati, sed justificati estis,* &c.

Et in hunc omninò Sensum docet *Ecclesia Anglicana*, Reformatarum Optimarum Exemplar ingens. *Conf. Art.* 25. " Sacramenta à Christo instituta, non tantùm sunt *Notæ* Professionis Christianorum, sed *certa* quædam potiùs *testimonia*, & *efficacia signa Gratiæ atque bonæ in nos Voluntatis Dei*, per quæ invisibiliter *Ipse in nos operatur*, nostramque *Fidem* in se non solùm *excitat*, verùm etiam *confirmat*. Ad hæc, in iis duntaxat qui dignè percipiunt *salutarem habent effectum*. Quem ad finem sunt * Conf. Augustan. *Art.* 8. * *efficacia*, propter ordinationem & Mandatum Christi, *etiamsi per malos* exhibeantur. † *In Art.* 8. Atque hæc (inquit † *Cassander*) sunt Totius Ecclesiæ Confessioni Consentanea. Neque aliter processit Concilium *Ratisbonense*.

CAP.

CAP. XXII.

De Sacramentis in Specie.

§ 1. QUemadmodùm hominem adhuc in ſtatu Integritatis conſiſtentem, [a] *Externo ſigno* æquè ac *Verbo*, ad obſequium ſibi præſtandum aſtrinxit Deus; Ità Homini poſt Lapſum æquè *Signo externo* fidem ejus corroboravit, ac *Verbo Promiſſionis* eundem in integrum quaſi reſtituit. Nam [b] Promiſſo *Mulieris Semini*, ſive *Meſſiæ*, *Caput Serpentis* (ſive opera Diaboli) *contriturо*, *Ritum* addidit *Sacrificandi*; Quod viſibile *Signum* invisibilis Gratiæ *ſignificativum*, non *humano* arbitrio excogitatum, ſed *Divino* ſanctum eſſe, immotis probat argumentis *Gerhardus Jenenſis* celeberrimus, *in Tract. de LL. Cerem. & Forenſ.* § 14. ſatiſque patet ex [c] *Reſpectu ad Abelem habito ſacrificantem*. Poſt Diluvium, *in ſignum Fœderis*, quod cum *Noe* percuſſit *Deus*, Promiſſionis divinæ *Verbo* & [d] *Arcus Cœleſtis* addebatur. Deinceps * *Circumciſionis*, & [e] *Agni Paſchalis* Sacramenta. Per primum Deus Dona cœleſtia ſua diſpenſavit; recepit ſuos in fœdus Gratiæ, & Remiſſionis Peccatorum, per fidem in *Meſſiam* ſuo Tempore venturum. Per ſecundum non ſolummodò *Memoriam Liberationis Ægyptiacæ*

Sacramenta Veteris.

[a] Gen. 2. 17.

[b] Gen. 3. 19. *confer* v. 21. *de occiſorum pellibus Animalium dubio procul immolandorum.*

[c] Gen. 4. 4.

[d] Gen. 9. 12, 13, 14.

* Gen. 17. 10, *&c.*

[e] Exod. 12. 13, 14, *&c.*

aca renovavit, ſed etiam *Fidem* in *Meſſiam*
* Joh. 1. 29. (cujus *Agnus* Anniculus * *Typus* erat) de
1 Cor. 5. 7. *Gratia* & *Remiſſione*, in comedentium animis *Obſignavit*.

Et Novi Teſtamenti.

§ 2. Iſtis in V. T. ſuccedunt in N. *Baptiſmus*, & *Cœna Dominica*. Quæ ita conveniunt cum Prioribus in hoc reſpectu generali, quòd omne Sacramentum proprio modo ſic dictum eſt *Actio ſacra*, & *ſolennis*, & *divinitùs inſtituta*, & *verſatur circa certum objectum*, *Verbo Inſtitutionis & Promiſſionis peculiari determinatum*, *ſemper in uſum ſalutarem*, *per fidem apprehendendum in Adultis*; ut etiam differant in hoc, quòd fuerunt illa *Chriſti Venturi prænunciativa*, Hæc *Ejuſdem jam Exhibiti* in omne ævum *Annunciativa*. Illa *Umbra*, & *Figura*, quarum *Corpus* & *Veritatem* immediatè Hæc exhibent. Illa tantummodo ad Populum pertinebant *Iſraliticum*; Hæc ad Eccleſiam univerſalem ex *Judæis & Gentibus* conflatam. Illa erant duntaxat ad *Chriſti Adventum* duratura; Hæc
† 1 Cor. 11. 26. ad *Mundi* † *finem* uſque.

Ut erant multa *temporaria* in V. T. Sacramenta, & *analogicè* ſic dicta, (inter quæ enumerantur Arbor Vitæ ante Lapſum, Conſervatio in Arca *Noachana*, Tranſitus per mare rubrum, Eſus *Mannæ* in Deſerto, Eruptio Aquæ *de Petra*, Ros in Vellere *Gideonis*, Umbra Solis retrograda, &c.) At ordinaria, & perpetuè, & propriè dicta *duntaxat Duo*; Unum *Initiationis*, videlicet *Circumciſio*, *Confirmationis* alterum, nimirum *Paſcha*; Ità ex multis etiam in N. T. Sacramentis, *ſenſu lato* ſic dictis, Duo tantùm

ſunt

sunt Vera, propriè dicta, & (ubicunque in Adultis haberi possunt,) ad Salutem Necessaria; *Baptismus*, scilicet, & *Eucharistia*. De quibus jam deinde agendum est.

Baptismus Multiplex quoad Nomen.

§ 3. Baptismus quoad Nomen Triplex habetur apud Veteres. 1. *Martyrium* quorumcunque, qui nondum Lavacro Baptizati, pro Christi fide decertantes *ad sanguinem usque* [a] *restiterunt*, Baptismus *Sanguinis* est dictum. 2. Catechuminis quibuscunque, vel Effusione Donorum Spiritûs Sancti miraculosâ, vel ejusdem effectibus internis præter solitum insignitis, necdum tamen Baptizatis baptismo fluminis, præpropera morte præventis, iis *Fluminis* Baptismus ascriptus est. 3. Quicunque autem Salutari novæ Vitæ *Lavacro* sunt quoad Literam Baptizati, Eorum Baptismum Veteres Baptismum *Fluminis* nuncuparunt. Addit *Athanasius* 4.^tum Baptismum sc. *Lachrymarum*, & *Chrysostomus* 5.^tum qui fit per *Ignem Tentationum*. Quæ tamen omnes Distinctiones, non sunt omninò Definiti in suas Species, sed nominis tantùm æquivoci in sua diversa Significata. Porrò Baptismus Typicè [b] *Circumcisio* appellatur ἀχειροποίητος. Eitque *Diluvium spirituale*, quod nos etiam [c] *Salvare* dicitur, quo respectu potiùs *Arcam* præcipuè refert *Noachanam*.

[a] Heb. 12. 4.

Lombard. Sent. 4. Dist. 4.

τὸ διὰ δακρύων Ἀπτισμα Ath. T. 2. p. 296.

[b] Col. 2. 11.

[c] 1 Pet. 3. 20.

Unicus quoad Naturam, ut Christi Baptismus Baptismo Johannis perfectior esset.

§ 4. Quicquid contrà deblaterant, qui *Baptismum Johannis* negant fuisse *divinitùs* institutum, constat Triplicem illum Baptismum, *Johannis*, *Christi* & *Apostolorum*, quoad *Divinum Authorem suum* in eundem prorsus recidere, ideóque uni Deo Originem

suam acceptam ferre. *Johannes* enim dicitur *ad hoc ante eundum a Deo missus*. Et Jesus Baptismus *non ex hominibus, sed è Cielo fuisse* innuitur. Pharisæi etiam & Scribæ *Baptismum Johannis* renuentes, *Consilium Dei adversus seipsos frustratos* asserunt. Quid, quòd *ad Johannem factum est Verbum Domini*? Quid, quòd Idem baptizavit in *Remissionem Peccatorum*? quod Soli Deo est proprium. Præterquam quòd *unus est Deus, una Fides, unum Baptisma*. Neque *Christus* neque *Apostoli* fuerunt alio, quam *Johannis* Baptismo Baptizati. Imò priusquam ipse *Christus* per *suos Apostolos* baptizabat, de Baptismo *Johannis* ad *salutem necessario* locutus est. Quoque *Christus, Baptismum* nostrum voluit consecrare. Objicientibus ergo *Novatianis*, quòd S. *Petrus non perfectè baptizatus sit, quia Baptismate Johannis*. Respondit strenuè * *Eustathius in suo Origine, Antiochenorum Alexandrinus*, quòd Apostolus Petrus, dum *Ipse Christus* Præceptum Discipulis tradidisset, *Euntes docete omnes Gentes, Baptizantes*, &c. *Johannis* Baptisma non ab omni parte perfectum, quem variis adduxerit Argumentis, quæ apud *Photium* videre licet. Id est, Perfectum in suo genere, dumque Baptismus ipsius Christi nondum erat institutus. Nam strenuus *Eustathius* evicit strenuè, *Johannem* non humanitus, sed *divinitus* Autoratum, Discipulos suos Baptizasse. Plurimos tamen Ecclesiæ Patres ibi habuit renitentes, ut *Photius* notat. Qui *Johannis* Baptisma (cum Christi Baptismate collatum) *Offendiculum fuisse simpliciorum*

a Joh. 1. 33.
b Mat. 21. 25.
c Luc. 7. 30.
d Luc. 3. 3.
e Luc. 3. 3, 4.
f Eph. 4. 5.
g Mat. 3. 13.
Joh. 1. 35.
h Joh. 4. 2.
i Joh. 3. 5.
* Apud Photium in suo Origine.
k Mat. 28. 19.

Ubi supra, p. 1602.

ὅλου τοῦ Ἰωάννου βάπτισμα δεικνύντων. Idque constat ex Discipulis quos S. *Paulus* [a] Baptizavit *in nomen Domini Jesu*, postquam fuissent *Baptizati in Johannis Baptisma*, Doctrinam scilicet professi quam *Johannes* annunciaverat, suoque Baptismate obsignaverat. Unde arguit *Augustinus*, (contra quod arguunt *Donatistæ*,) Quamvis sunt *iterum baptizati*, non *iterato* tamen *baptismo* sunt baptizati. *Johannis* enim Baptisma Baptisma *Christi* non fuit. Sed ut *Domini Præcursor Johannes* erat, Sic *Baptisma* etiam *Johannis Dominici Baptismatis* erat *Prævium*. Ut alicubi *Hieronymus* succinctè docet. *Johannes* baptizabat in Pœnitentiam & Remissionem, sed sine ulla *Spiritûs Sancti* mentione, qui exprimitur & promittitur in omni Baptismate Apostolico.

[a] Act. 19. 3, 4, 5, 6

§ 5. Infantes, utut Fidem nequaquam habeant actualem, à Christo tamen non sunt arcendi, sed eo potius Baptizandi, ut Fidem habeant: Utque Virtute Sacramenti quam ex *Christi Pacto* & *Instituto* infitam habet, (non *ex opere operantis*, id est ex merito, sive suscipientis, sive administrantis,) renasci queant, & Vitam æternam adipisci, tamersi usu rationis, motúque Fidei proprio careant. Id quod S. *Augustinus* de *Circumcisione* locutus est, Ipsum per se Sacramentum in Infantibus valuisse. Ea igitur Propositio, *Non Sacramentum fidei, sed fides Sacramenti justificat*, quæ in Adultis aliquatenus locum habeat, nullum habet in Infantibus fide propriâ destitutis, & per Communem Ecclesiæ Fidem (quam per ora ge-

Infantibus Concedendus, nec Iterandus.

stantium profitentur,) in Corpus Christi receptis. Nec sunt omninò audiendi, qui fidem Infantibus personalem ascribunt ideo, ut ritè Baptismi capaces sint. Primus enim Hic Error (*Cassandro* Judice) Errori *Anabaptistarum* ansam dedit infaustissimam. *Luthero* scilicet asserente, *satiùs esse Infantes non baptizare, si Eos non credere verum sit, Et Ideo Illos verè credere, quia legitimè baptizantur*; *Anabaptistæ* perquam subtiliter hoc Argumentum invertentes, hunc in modum arguerunt; *Manifesta res est Infantes non credere, non sunt igitur Baptizandi.* Adeò tutum non est, pro ipsa Articuli Veritate falsis Mediis Contendere. Restat ut mordicus adhæreamus Doctrinæ *Patrum primævorum, Confessionis Augustanæ*, Ecclesiæ cum primis Anglicanæ, ὁμοθυμαδὸν asserentium, quòd *Baptismus Parvulorum omninò in Ecclesia retinendus est, ut qui cum Christi Institutione optimè congruat.* Addunt *Augustani, Infantes Deo per baptismum commendatos in Gratiam recipi; & filios Dei fieri, sicut ipse testatur Christus, Non est voluntas Patris vestri qui est in Cœlis, ut unus ex Parvulis istis pereat.* Et Charitatis est hinc colligere, quòd ubicunque *facultas deest* Baptismi ritè consequendi, etiam *sine Baptismo* salvari possunt, (utcunque aliter ad salutem necessario;) Prorsus ut *Fides & Votum* & pium Baptismi *Desiderium* (in ejusmodi inquam exigentia) *Adultis* ipsis sufficere, Ecclesia Prisca existimavit. Patrem putà clementissimum (ubi Ecclesiæ Ministerium sine Credentis culpa deest) Voluntatem pro facto acceptare; neminem obligare ad impossibilia;

Conf. Eccl. Angl. art 27.

Augustan. Art. 9.

Mat. 18. 14. *Confer vv. 2, 3, 4, 5, 6 & 10.*

possibilia; Nec *absolutè* Gratiam suam externæ actioni Sacramentorum alligare; sed de summa sua potentia, & Bonitate inexhausta, suppleri velle gratuitò quicquid *inculpatè* deficit, non *cervicosè*, aut *per contemptum*. Eóque pronior quidem eo in hanc sententiam, quòd optimos quosque sibi habet ὁμοψήφους, tam Modernos, quàm Veteres. Imò ipsum * *Augustinum*, priusquam cum *Pelagio* in certamen incalesceret. Et si *Valentiniano* non baptizato ipsum *Votum Baptismi* (ex sententia S. *Ambrosii*) pro Baptismo profuit; Quid obstat quo minùs Votum, aut Ecclesiæ, aut Parentum, puerulis prosit non baptizatis, nullius omninò Criminis admissi Reis? & quidni *Deo* Soli relinquimus, ad Nos nullatenus pertinentia?

* De lib. Arb. l. 3. c. 23.

§ 6. Utcunque S. *Cypriano* visum est, Plebem Deo obsequentem à *Præposito Peccatore separare se debere, nè ad Sacrilegi Sacerdotis sacrificia se* † *misceat*; & Quanquam *Cassander*, æquè ac *Grotius*, Magnam partem Dissidiorum, quibus Ecclesia Dei laborat mirúmque in modum dilaceratur, Corruptissimis Prælatorum moribus imputandam esse existimârunt; Quanquam denique Alma Mater, *Ecclesia nostra Anglicana*, in malos mores Ministrantium *inquiri* velit, *ut accusentur ab his qui eorum flagitia noverint, tandémque justo convicti judicio* * *deponantur*; In eo tamen consentiunt Omnes, (nisi qui sunt emotæ mentis, atque sincipitis malè sani,) *quod malorum ministerio uti licet, quandoquidem non suo, sed*

Utut per Malos administretur.

† Cyprian. Epist. 68.

* Confess. Eccl. Angl. art. 26.

Christi nomine agant, ejúsque Mandato & Autoritate administrent, cùm in Verbo Dei audiendo, tum in Sacramentis percipiendis. Neque per illorum malitiam effectus Institutorum Christi tollitur, aut gratia donorum Dei minuitur, quoad Eos qui fide vera, & ritè percipiunt sibi Oblata, quæ propter Institutionem Christi, & ejusdem Promissionem, sunt efficacia. Erravit ergo *Cyprianus*, (quantumvis cætera Dignissimus, & Ecclesiæ primævæ Sanctissimis Patribus annumerandus,) & *Concilii Carthaginensis* reliqui Patres unà cum Eo, dum ad *Baptismi* integritatem, *Baptizantis* integritatem & orthodoxiam requisiverunt; Baptizatúmque ab Hæretico aut Schismatico Sacerdote tanquam nulliter baptizatum de novo baptizandum existimavêre. Et licèt Ipse *Cyprianus* aliíque Antistites *Africani*, nec hæreticè nec schismaticè in hunc lapidem impingerent, sed Charitatem Pacémque cum dissentientibus semper foverent; Eo usque tamen Vesaniæ *Donati* Sequaces abrepti sunt, ut Error in *Hæresin* statim abierit, atque ex Dissidio *Schisma* creverit. Probat autem *Augustinus* copiosissimè in libris Contra *Donatistas*, & contra *Cresconium* acutissimè, *Deum esse qui Baptizat, Ministros Vocem modò ac manum Domino Deo accommodare.*

Dissidia de Baptismo componi possunt, aut sepeliri.

§ 7. Baptismus (proh Pudor!) crebris vexatur controversiis, quas Archipræsul *Spalatensis* ad Septem reduxit capita; de quibus omnibus utut Theologi acriter inter se dimicant, & unusquisque ingenium

suum

suum pro libitu exerit, atque exercet; Tanti tamen non sunt, ut propter eas Concordia publica in omne Seculum impediatur. Sed facillimè possunt reduci vel ad Pacificam Libertatem, vel ad simplicem & plenariam Conciliationem. Multæ sunt etiam apud Multos Baptismi Definitiones, quibus supersedendum censeo. Sed illa videtur mihi optima, & omnibus numeris absoluta, (Descriptio potius, quam Definitio,) Quam ex decem Conditionibus ad Sacramentum propriè dictum de quo agitur requisitis, ad exemplum * *Spalatensis*, in proclivi est cuilibet coagmentare. Ea nimirum videtur optima, quæ est maximè comprehensiva, maximè sufficit atque inservit Concordiæ inter Theologos sub Christi auspiciis procurandæ.

* *De Rep. Eccl. T. 2. l. 3. c. 5. n. 2.*

CAP. XXIII.

De Cœna Dominica.

§ 1. ANte omnia videndum est, annon Sacramenti hujus Natura ex ejusdem Nominibus peti possit; quum ὀνόματα sint *Græcis* ὡς τῶν ὄντων νοήματα. Nominum duplex est classis, *Divina* altera, altera tantùm *Ecclesiastica*. Hoc Sacramentum in Sacris Literis 1. *Cœna* * *Dominica* appellatur: in quan-

Sacramenti hujus Natura per ejus Nomina innotescit.

* 1 Cor. 11. 20.

quantum Christus ea nocte, qua ab *Ischariota* est proditus, sanctum instituit hoc Convivium in omnes ætates duraturum. 2. *Poculum* [b] *Domini*, & *Mensa Domini*; quippe in Epulo hoc divino *Ipsius Christi Conviva sumus*. Mysticè cibamur ipsius *Corpore*, ipsius *Sanguine* potamur. Ipseque *Dominus* est utriusque *Dispensator*. 3. *Communicatio* [c] sive *Communio* & *Corporis* & *Sanguinis Christi* quatenus Crucifixi; siquidem nobis Conjunctionem cum *ipso Christo* conciliat, & *inter* [illegible]. Ità ut *Christus* * *sit in nobis, & nos in Christo*: Ejusque porrò *Regni* Consortes nos reddat & Participes. Unde has dapes qui percipiunt, dicuntur vulgò *Communicantes*. 4. *Novum* [d] *illud Testamentum* sive *Fœdus*; vel quia Dona sua cœlestia *Hæredibus* suis *Christus* in hoc *legavit* Sacramento, ut *Testator*, cujus *Sigilla* sunt *Panis* & *Vinum* desuper Benedicta, *Testes* Apostoli, *Notarius Publicus* S. *Matthæus*; vel quia Sancti *Jeremiæ* Prophetiam istis verbis indigitavit, quâ † *novum Fœdus promittitur*. Vocatur etiam Synecdochicè, 5. *Fractio* * *Panis*; in quantum ex ritu *frangendi Panem*, (per quem Ritum præparatur Panis Ille Eucharisticus, ut hospitibus percepturis viritim distribuatur,) integra Actio Sacramentalis subintelligitur.

b 1 Cor. 10. 21.

c 1 Cor. 10. 16.

* Joh. 6. 56.

d ἡ καινὴ διαθήκη, Luc. 22. 20.

† Jer. 31. 31.

* Act. 2. 42. Act. 20. 7.

Apud Scriptores Ecclesiasticos, 6. *Synaxis* dicitur sive *Conventus*: Quandoquidem sit Nervus Conventuum in Ecclesia seu Domo Dei publicorum, ubi tremendum hoc mysterium ἐπὶ τὸ πλεῖστον concelebratur; Unitatisque Christianæ sit Vinculum quoddam, atque Coagulum. Videntur Veteres Id Nomen ex Verbis Apostoli deduxisse, 1 *Cor.* 10. 20.

7. *Agape*

7. *Agape* olim nominabatur, id est *Dilectio*; propter *Munera* quæ Convivæ ad Mensam Domini accessuri unà secum afferebant; quorum Pars Populo, jam tum Præsenti, erogabatur; & quod reliquum erat cedebat in usum Pauperum. Nec absurdè Vox *Agapes* Toti Mysterio accommodabatur, quoniam mutuæ Charitatis, seu Dilectionis invicem reciprocatæ, *nexus* erat & *copula*, æquè ac *tessera* & *indicium*, Cœna hæc Domini verè Cœlestis, ad Hoc inter cætera Instituta. 8. Λειτουργία etiam quandoque Excellentiæ Ergô appellabatur; utpote publici Ministerii Pars præcipua Ecclesiastici. Quandoque 9. *Sacrificium* (sed Evangelicè) *Incruentum*: tum quòd singuli qui intererant in testimonium gratitudinis *Donaria* Deo *offerebant*, tum quòd *unici Sacrificii* pro Peccatis semel oblati, Tota Actio hæc erat *Commemorativa*. Quandoque 10. προσφορὰ, sive *Oblatio*, per eundem loquendi Tropum, & rationem propter Eandem; ut & propter Confessiones, Preces, gratiarum Actiones, aliáque Sacrificia spiritualia, Eidem perpetim annexa. Quandoque 11. *Mysterium* κατ' ἐξοχὴν, & (cum Adjuncto illo) *Tremendum*, sive φρικτὸν, (φρικωδέστατον μυστήριον *Justino* dicitur;) *Mystica* scilicet *Perceptio* Corporis Christi Crucifixi in Sacra Cœna, (quoad *modum* præsertim, quo Realis est Præsentia) suprà captum atque fastigium humani ingenii collocatur. Quandoque 12. *Sacramentum Altaris* dicitur: non quòd ibi *Jesus Christus* immolatur in *Sacrificium*, (literale, viz. & crassè dictum;) sed in quantum *ad Altare* verè Credentibus exhibetur. 13. Denique

nique Sanctæ *Eucharistiæ*. Nomen est omnium usitatissimum, (si Cœna Dominica excipiatur) ob sanctissimam rationem, quod maximi Quantum Beneficii in hoc Mysterio contineatur, in maxima omnium religiosi Cœtus quæ animi *Fruitio*, per hoc Mysterium frequenter perceptum, magis magisque exhibetur.

Partim per Typos, atque Elogia.

§. 2. Nonnihilus hujus Sacramenti præstantiæ erit *Typos*, atque *Præparatus* ejus illustrare; ut si quid inde luminis oriri queat ad hoc mysterium illustrandum, & illud nobis præcipue desiderabile humanis instituendo.

¶ Apoc. 22, 1, 2, 14. *Arbor Vitæ* Primus erat, & *Arboris Vitæ* Typus, quam in Ecclesiæ Paradiso plantavit Deus *fructum fructus & folia ad curationem medelam faciendo*. Panis & Vinum

¶ Gen. 14. 18, 19. *Melchisedech*, qui ut *Sacerdos* atque *Princeps*, benedixit Patri *Abrahamo*, cumque Exercitu refecit libere, quidni Typus erat *Christi*, & *Principis* nostri, & *Sacerdotis* in æternum, ad cujus Mensam accedentes

¶ Exod. 12. 4, 7, 10, &c. cœlestibus Epulis Recreamur? 3. *Agni Paschalis* Sacramentum ita Hujus de quo agitur

1 Cor. 5. 7, 8. Figura erat, ut *Christus Pascha nostrum* esset

1 Cor. 11. 24, 25, 26. *pro nobis immolatum*. Utrumque est vere *Eucharistiæ*, utrumque *Memoriale* Redemptionis utriusque; Illius ex *Ægypto*, Hujus autem ex *Inferno*. Ad illud *Solis Circumcisis* patebat aditus; ad Hoc *Baptizatis*, illique *Soli*. Nec Circumcisis ipsis licebat Agnum

Exod. 12. 8. 1 Cor. 5. 7, 8. Paschalem nisi cum *azymis*, *herbisque amaris* manducare; Nec Baptizatis Agnum Dei

¶ Exod. 16. 14, 15. nisi cum sorte *Respiscentiæ*. 4. Quod *Manna* ad cibum supernè deplùit, & *Aqua* ad Potum in Deserto; Id ad se, & ad cœnam suam vi-

detur

dantur * *Christus* accommodare, & Sanctus † *Paulus*; Qui *Escam* vocat *spiritualem* quam comedebant *Israelitæ*, Potúmque etiam *spiritualem* quem bibebant, idque ex *Petra spirituali, quæ Christus erat*, inquit Apostolus; Christus nimirum *Sacramentaliter*; Christus *fide vera* pro vero cibo *apprehensus*; Christus denique *spiritualiter*, & vel ideo *realiter*, (*Spiritus* enim est *Res*, imò *Res substantialis*, imò substantia *Incorporea*, omni *Corporeâ* multò *nobilior*, Rerúmque omnium nobilissimus,) ab ipsis *Hebræis* percipiendus. Alios Typos obscuriores, nempe 5. *Sanguinem* [a] *Fœderis*. 6. *Panes* [b] *Propositionis*. 7. *Panis* [c] & *Vinum Davidis Regis*. 8. *Panis* [d] *Eliæ cineritius*. 9. *Pallium* * *Elisæi* quod reliquit ei *Elias* in Cœlum raptus, & ejusmodi complures missos facio. Ad ea pergens festinatò, quæ de *Cœna Eucharistica* magnificè Veteres sunt locuti. B. *Bernardo* hinc inde dicitur *Ægrotis esse Medicina, Via peregrinantibus, confortat debiles, valentes juvat, languorem sanat, sanitatem servat*, &c. est *Nicephoro* ἄρτος ζωοῦς, Panis vitalis, sive vivificus. *Damasceno* ἀγγαθὼν τῆς μελλούσης βασιλείας. S. *Basilio* est ἐπίθεον ζωῆς ἀνανίν. *Ignatio* φάρμακον ἀθανασίας. Aliis dicitur *Redemptionis Monumentum*, atque *Redempti Monimentum*.

* Joh. 6. 49, &c.
† 1 Cor. 10. 3, 4.
[a] Ex. 24. 6, 7.
[b] Ex. 25, 30, &c.
[c] 2 Sam. 6. 19.
[d] 1 Reg. 19. 5, 6.
* 2 Reg. 2. 12, 13.

§ 3. His hactenus præmissis, ceu lucem aliquam obscuritatibus non obscurè allaturis; Operæ pretium est advertere, annon Partes Dissentientes circa hunc Fidei nostræ Articulum, de usu potiùs & delectu *Verborum* litigent, quàm de ipsis rerum momentis quæ verbis ejusmodi substernuntur. Annon quæ diffe-

Præcipuè per Consensum Dissentientium universalem.

differunt quoad *Sensum*, quoad *Sensus* non conveniant. Imprimis convenit inter omnes, tam *Romanenses* quàm *Reformatos*, Verba Christi in Evangelio, & prolata ab Apostolis à Christo missis, edoctisque à Spiritu Sancto quantumvis ardua atque *Mysteriosa*, quantumvis aspera duráve, æternæ esse Veritatis, neque sine *Naufragio Fidei* in dubium esse revocanda. [1] Joh. 6. 55, &c. *Caro mea* (inquit Christus) *est verè cibus, & sanguis meus est potus.* Et in ipsa sui Commemorationis instituenda, [2] Luc. 22. 19, 20. *Hoc est Corpus meum*, (inquit) *quod pro vobis datur; Hoc facite in mei Commemorationem. Hoc Poculum est Novum illud Testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis effundetur.* Quæ Magistri verba respiciens ità explicat Discipulus, [3] 1 Cor. 10. 16. *Poculum Benedictionis cui benedicimus, nonne Communio est Sanguinis Christi? Panis quem frangimus, nonne est Communio corporis Christi?* (Nihil efficax est Tessera nostræ cum Christo Communionis, atque adeò Incorporationis, ut *Beza*, Nota se habet.) Deinde convenit inter omnes. Multa à Christo & Apostolis Metaphoricè, Metonymicè, Synecdochicè dicta esse, quæ extremæ esset Dementiæ secundum Literam intelligere. Tertiò convenit inter omnes, tam *Pontificios* quàm *Præstantes*, *Præsentiam Christi in Eucharistia aliquo modo* esse *Realem*; (non phantasticam tantummodò, aut imaginariam, aut duntaxat κατ' ἀξίαν;) *Christumque ipsum*, ex suo Ipsius Instituto, *verissimè* nobis *offerri, exhiberi, applicari per fidem veram*; & ità *Realiter* per fidem (quæ est * ἔλεγχος πραγμάτων οὐ βλεπομένων, atque ὑπόστασις ἐλπιζομένων,) à suis Fidelibus *manducari*, ità *invisibiliter* (sed Realiter) per Elementa

* Heb. 11. 1.

menta Sacramentalia in Fidelium Animas *operari*, ut fiat *Realis Communicatio* ipsius *Christi* tanquam Capitis, cum Membris suis *Christiani*, ita ut *Ille in nobis maneat, & Nos in Illo.* (Joh. 6. 56.) Quarto convenit inter omnes, tam *Pontificios* quàm *Protestantes*, *Spiritum* esse *Ens Entium*, rerumque omnium Realissimam Rem; cum qua Comparatione habita, *Materia* nihil Reale habet, ut quæ à *Spiritu Increato* creata sit ex plane *nihilo*, in *Nihilum* rursus (volente *Spiritu Creatore* Spirituum omnium) reducenda. Unde quo magis *Spiritualis*, eò magis *Realis* ratio Entis alicujus censenda est. Huc usque convenit inter omnes. (Nam *Fanatici*, utut plurimi, in nullo numero censúve sunt apud Me de iis agentem,) nulla habitâ Exceptione Cujuscunque Ecclesiæ Christianæ (quod saltem fiam) aut habenda. Quinto convenit *Nostrum ex Ecclesia Anglicana*, Ecclesiis omnibus & singulis, quæ *Reformatarum* nomine censentur, quòd *non omnino carnaliter, materialiter*, & *crasse* modo secundum *Literam*, *Christus* intereat & præsit *Cœnæ suæ Benedictæ*, aut eo modo comedimur à membris suis Anthropophagis, quo carnem comedunt vitulinam, vervecinam, aut quamlibet aliam Belluinam; Sed ratione nescio quâ *puræ, spirituali, cœlesti, mysticæ*, eóque magis *religiosæ*, neque minus *Reali*, quia in solidum *spirituali*. Nam & *Deus est Spiritus*, & *spiritualiter* tantum colendus. Hoc *effamur*, & *comprehendimus*, modo quodam *Ineffabili* atque *Incomprehensibile*, Præsentiam Domini in Cœna *Realem* esse, & per *Fidem* ceu per *Medium* à se ipso Institutum à nobis *realiter* manducari.

De

De Re ipsa inter Nos convenit; Quorsum de *Modis Vocalis*que litigia serimus sempiterna, vix aut nè vix quidem unquam nisi cum Rei pretiosissimæ, *Charitatis* dispendio desitura?

Inductione irrefragabili comprobanda.

§ 4. Confessiones Ecclesiarum (quotquot sunt) in lucem editas, summo omnium suffragio & Autoritate stabilitas, extra Litis aleam positas, & exceptione omni maiores, hoc in loco recensere, esset profectò actum agere, & bonas horas malè locare. Publicè prostat, *Harmonia Fidei, excusa A. D.* 1571. Publicè prostat, & venale, *Corpus Illud Confessionum*, cujus Nova erat Editio 1654. Publicè prostat *De Sacris Symbolis & Præsentia Christi in Sacramento Eucharistiæ, Catholica Harmonia Patrum Veterum, & Ecclesiarum Reformatarum*, à Reverendissimo *Cosino* Episcopo nuper *Dunelmensi*, succinctè tradita & in compendium; Omnium Oculis exposita; signa etiam, quæ omnium manibus versetur. Ut tam meo quàm Lectoris parcatur tempori, æquè ac tædio, Legatur modò istius Opusculi Caput saltem secundum Viginti paragraphis absolutum. Perlegant insuper, quibus vacat, (& quibus ingens id opus ad manum est,) *Reip. Eccl. l. 5. caput Sextum*; cujus Autor Insignissimus *Antonius de Dominis Archiprasul Spalatensis*, ob hoc unum inter cætera omnium Elogio audit dignissimus, quod Quam Fidem in *Anglia* dederat *Jacobo Regi* Eruditissimo [*sese coram ipso Papâ cum vitâ Discrimine professurum, Ecclesiam Anglicanam Veram esse & Orthodoxam Ecclesiam Christi*,] Eandem postmodùm in *Italia*, imò & *Roma*, imò in *Ædibus* Pontificalibus *Gregorii Decimi*

mini quinti, constantissimè liberavit; suoque Martyrio obsignavit, perinde *ante* mortem suam quàm *post* mortem passo.

§ 5. Mysteriis cœlestibus & Divinis Hoc plerumque solenne est, ut *Non ipsam* Scriptura exprimat, reticeat *modum*. *Veritatem* Rei agnoscere ex toto corde, nostræ est Fidei, obsequii & pietatis; *Modum* rei investigare, nostrarum virium non est omninò; neque est nostræ verecundiæ, aut humilitatis, Eundem anxiè *indagare*, aut *assequi velle*, quem Deus *voluit* abscondi, nulléque indagine explorari. Maleferiatorum argutiis omnibus satisfacere, aut Curiositati, Ipsi Deo qui solus potest, nunquam aut placuit, aut placebit. Itaque verè Christiano Id satis fuerit, quòd *Quomodo* Realiter Christus adsit, atque *Inclusi* (licèt *Mysticè*) à verè Credentibus accipiatur, idque in Animæ alimentum, Ignorantibus Nobis, *Novit Ipse*. Quæ tenebris obduxit, quidni libenter ad ea omnia excutimus?

Nescire velle, quæ Magister Maximus
Docere non vult, erudita Inscitia est.

Dixit Christus Discipulis, quod & Discipuli Non credimus, *Hoc est Corpus meum*. Quo autem *Modo*, quàve *sensu peculiari*, Discipulis *sine ma dixit*. Corpus & Sanguinem Crucifixum Cœnæ Dominicæ Sacramento me *spiritualiter* & *reapse* veréque percipere & participare, *Ecclesia* me Docet *Anglicana*, Ecclesiæ Veri nominis Primævæ, Catholicæ, atque Apostolicæ, ab omni parte Conformis; de

Via unica & Aperta ad Pacem ubique incundam.

cujus

cujus idcirco Orthodoxia nullus dubito aut dissiteor, nedum inficias iturus sum. Et quocunque demum sensu *Verbum* Illud ἐνωμένον verbum hoc protulit προθορικὸ, [*Hoc est Corpus meum,*] Eodem capio, utut Captum meum excedat. Et quidni Cunctis satisfaciat de hoc Mysterio percunctantibus, prout Principis olim *Elizabethæ* Responsio dicitur Satisfecisse?

Christ was The Word, and spake it.
He took the Bread, and brake it.
And as He meant, I take it.

Responsio supernè quidem infusa, mentique Virginis impressa, (ut multi meritò conjecerunt, ad Vitam Ipsius innocentissimæ inhiantium faucibus eripiendam. Huc spectat Illud *Jacobi* Regis *Britanniarum*, (Regum facilè Doctissimi) in Colloquio *Hamptoniensi*, *Quod legit Ecclesia Anglicana, piè Credit; Quod verò non legit, pari Pietate non inquirit.* Et Illud Beati *Augustini*, *Quid opus est* (inquit) *ut vel affirmentur, vel negentur, vel cum discrimine definiantur, quæ sine Discrimine nesciuntur?* Consimili prorsus ratione, quâ responsum est *Phædoni* in *Concilio Nicæno*, ubi Philosopho Interroganti *Quomodo* Filius Dei acceperit Carnem ex Muliere, Patres illicò regerebant (per B. *Macarium* Episcopum *Hierosolymitanum*) "Jam monuimus Te, Vir Optime, Nequam esse in Divinis Mysteriis, dicere *Quomodo*; *Ineffabilia enim sunt, & Incomprehensibilia.* Ut autem ex Sacris Literis edocti sumus, dicemus quantum Oratio consequi poterit. Effatum saqè dignissi-

Aug. Enchir. ad Laur. c. 59.

Bin. T. 1. Alphons. Pisan. l. 2. p. 394.

dignissimum Concilio illo *Oecumenico*, dignissimúmque cui sequentia & sequiora Concilia *non-Oecumenica*, omniáque deinceps Concillabula, ab illo famoso *Lateranensi* * sub *Innocentio Tertio*, ad usque *Synodum Tridentinam* non minus famosam, in Negotio Sacramenti, de quo agitur, acquievissent. Nunquam *Modum imperscrutabilem* Papa Iste temerarius ausus fuisset *perscrutari*, *incomprehensibilem* comprehendere, atque effari *ineffabilem*: Nedum in *Articulum & Dogma Fidei* pro posse suo decrevisset: Sed ubi *Humana Ignorantia* nulli hominum aut *vitio*, aut *prodidio* vertenda erat, libentissimè fassus esset, *Se cum Propatribus ignorare.*

* *Primus Hic omnium A. D.* 1215. *ipsum Modum desinivit sub pœna ultima confitendum; & hujus instituit vestigiis* Pius Quartus, *A. D.* 1564. *Confer* Scotum *in* 4 *sent. dist.* 11 *q.* 3. *cum Concil. Trid. Sess* 13. *Can.* 2 & 4.

§ 6. Multa videntur notatu digna, ad desiderandam Conciliationem quadantenus saltem facientia, & piæ indolis Adversarios apta nata persuadere. Inter Cætera, *Concessiones* utrinque factæ de Reali Salvatoris in Cœna sua Præsentia.

Facilior facta per Concessiones Dissidentium.

1. Ex parte *Pontificiorum* concedit *Ipse Bellarminus*, " Christum adesse in Eucha- " ristia, non ad modum, quo suâpte Na- " turâ existunt Corpora, vel quo Corpus " residet in Cœlo; sed ad modum existen- " di Spirituum. —— Fatetur etiam *Bel-* " *larminus*, verè Sanctum * *Bernardum* di- " cere, quòd *Christus* nobis, *non Carnaliter*, " sed *Spiritualiter*, in Sacramento exhibe- " tur. Verum est quòd *Bellarminus* quasi *coactus* hoc fatetur, & nimis *meticulosè*, *Timens ne quid inde Periculi* immineat Causæ Pontificali. *Fatetur* tamen. Fatetur *Perronius* † *Cardinalis*, *non damnandos esse eos, qui Signum dari Corpo-*

Bellar. *de Eucha. l.* 1. *c.* 2. *§ Tertia Reg.*

* *In Serm. de S. Mart.*

† *Apud* Grot. *in Art.* 10. *Confess. Augustanæ.*

Corporis dicunt, cùm ità loquatur Augustinus, Patrèsque alii, & Sacramentum definiatur, signum visibile invisibilis Gratiæ. Alludit forsan Cardinalis ad Illud *Augustini* πολυθρύλλητον, *Quid paras Dentem, & Ventrem? Crede & Manducasti.* Et etiamsi *Berengarius* (Id confitente *Bellarmino*) *Compulsus* fuerit confiteri, Christi Corpus *Sensualiter* Sacerdotum manibus tangi, & frangi, & dentibus atteri; *Perronius* tamen ait (citante * *Grotio*) quòd *usum* hujus Vocis *Transubstantiationis* à Nemine exigit Ecclesia Romana. Concedit etiam *Durandus*, quòd *Verbum audimus, Motum sentimus, Modum nescimus, Præsentiam credimus. Lyranus* etiam ait (ut Author nobis est *Grotius*) *Non esse Sacrificii iterationem in S. S. sed unius Sacrificii in Cruce oblati quotidianam Commemorationem.* Et ipsa Synodus *Tridentina*, dum *Nicænam* explicat, ità loquitur de Sacrificio Evangelico & Spirituali, ac si cum Synodis Reformatorum conspirasset; * *Cum ait, per Hoc, illud cruentum, quod in Cruce peractum est Repræsentari, ut memoria in finem usque permaneat, & Virtus nobis applicetur.* Tantundem dicunt Protestantes ad unum omnes, excipio neminem, nedum *Melancthonem, Calvinum*, aut *Oecolampadium*, Qui *nihil* † *ait mali esse, si cum majoribus nostris tam Orientalibus, quàm Occidentalibus, Recordationem tanti Sacrificii Immolationem vocemus.* "Concedendum est (inquit *Cassander*) quod si virtutem & efficaciam spectes, quâ *Christo* unimur & incorporamur, Hoc Sacramentum, ut Reliqua Sacramenta, *in ipso usu, & actione*, quæ est sump-

Aug. in Joh. Tract. 25.

Bellar. ubi suprà § quint. Reg.

* Ubi suprà.

Durand. apud Lancelotum And. in Resp. ad Apol. Bellar. c. 11. p. 11.

* Apud Grot. in Confess. Aug. art. 10.

† Oecolamp. in Epist. ad Hedionem.

Cassand. Consult. in art 10. Conf. August. p. 76, 77.

" sumptio seu Manducatio & Potio, *perfici.*
" Quæ externa Sumptio *Sacramentum est in-*
" *ternæ & spiritualis* Manducationis & Po-
" tionis Corporis & Sanguinis Christi, quâ
" fit ut Christo uniamur, & incorpore-
" mur..

2. Ex parte Protestantium concedit unà cum *Melancthone*, aliisque Reformatis, *Calvinus Ipse*; " Concludo (inquit) *Realiter*, " hoc est *verè*, nobis in Cœna dari Corpus " Christi, ut sit animis nostris in cibum " Salutarem.———Nisi quis fallacem vo- " care Deum volet, *inane* ab ipso *Symbolum* " proponi, nunquam dicere audeat.——— " Accepto Corporis Symbolo, non minus " *Corpus etiam ipsum* nobis dari certo confi- " damus. Absurditatibus omissis, Quicquid " ad exprimendam *veram substantialem*que " Corporis ac Sanguinis Domini *Communi-* " *cationem* facere potest, libenter recipio.—— " Christus in * Sacra Cœna jubet Me sub " Symbolis Panis ac Vini *Corpus ac Sangui-* " *nem suum sumere, manducare*, ac *bibere*: " Nihil dubito quin, & Ipse *verè* porrigat, " & *ego recipiam*. *Melancthon* ait (citante *Grotio* in *Cassand.* p. 295.) *Corporaliter quoque, communicatione Carnis Christi, Christum in nobis habitare.* Alludit autem ad Corpus *Mysticum*, non Carnale, sed νοητὸν. Dicit Idem, *Nos amplecti & tueri omnem Consensum Catholicæ Ecclesiæ, quòd in Cœna Domini, consecrato Pane & Vino, verè & realiter adsint & sumantur Corpus & Sanguis Christi.* Quid concesserit *Oecolampadius*, superiùs paulò est dictum.

Calvin. *Instit. l.* 4. *c.* 17.

* *Id. ibid.* § 32.

Melancthon *in Epist. ad* Palatinum & Granvellam *in Comitiis Ratubonæ.*

3. Ex parte Utrorumque concessum est ita *Possiaci*, ut & *Sorbonicis* & *Protestantibus* Concordiæ Formula hæc placeret. *Credimus in usu Cœnæ Dominicæ, verè & reipsa, substantialiter, seu in ipsa Substantia, verum Corpus & Sanguinem Christi spirituali & ineffabili modo esse, exhiberi, sumi à fidelibus Communicantibus.* Et extra usum deferendi Eucharistiam ad Infirmos, qui vetus erat, (& ἐφόδιον ἀναγκαῖον à *Nicæna Synodo* Vocabatur,) *Circumgestandi Eucharistiam mos est Novus* (inquit *Grotius* ibidem) *& à more Veterum discrepans: Qui ab ipso conspectu Eucharistiæ Communicantes non arcebant.* Alia erat *Concordiæ Formula*, in *Apologia* quæ fiebat *pro Confessione Augustana, à Cæsarea Majestate* ex una parte comprobata, & ex altera à *Calvinianis*. Formula autem hæc erat. "[Quòd in Cœna Domini, verè, & substantialiter adsint Corpus & Sanguis Christi, & verè exhibeantur cum illis rebus quæ videntur, Pane & Vino, his qui Sacramentum accipiunt.] De Tertia Concordiæ Formula convenit *omnibus Reformatis* cum celeberrimo *Durando*, cujus Verba Pacificatoria, Unitati Christianæ promovendæ (in hoc Negotio) sufficientia, ab Incomparabili Illo Theologo, *Lanceloto Andreæ* τῷ Μαραρίτῃ, Episcopo olim *Wintoniensi*, in *Responsione* sua Doctissima ad *Apologiam Bellarmini*, hunc in modum introducuntur. [Dixit Christus, *Hoc est Corpus meum.* "Nobis autem vobiscum de *Objecto* convenit, de *Modo* Lis omnis est. Fide firmâ tenemus quòd *Corpus Christi sit*; De *Modo* quo fiat ut sit, nullibi in Evangelio "verbum

Grot. *ad* 10. *Art. Confess. August. p.* 298.

Cassand. *ad eundem p* 73.

V. Hist. Transubstant. Papalis, &c. c. 2. *p.* 11. *&* 12.

" verbum est. Et quia verbum nullum, à
" Fide merito ablegamus.————Quòd
" dixisse olim *Durandus* fertur, neutiquam
" displicet. [*Verbum audimus, Motum sen-*
" *timus, Modum nescimus, Præsentiam cre-*
" *dimus.*] Præsentiam credimus, nec mi-
" nus quam vos, Veram. De *Modo* Præ-
" sentiæ nihil temerè definimus. Addo,
" nec anxiè inquirimus; non magis quàm
" in Baptismo nostro, *Quomodo* nos abluat
" Sanguis Christi; non magis quàm in
" Christi Incarnatione, *Quomodo* naturæ
" Divinæ humana uniatur. Inter Myste-
" ria ducimus, cujus quod reliquum est de-
" bet igne absumi; id est, ut eleganter in-
" primis Patres, *Fide adorari, non ratione*
" *discuti.*

§ 7. Judicent jam omnes Æqui rerum Æstimatores, quàm Prona sit Ratio & quàm Parabilis, Conciliationem universalem de Sacramento Eucharistiæ, apud quoscunque, qui bonâ fide inter sinceros *Christi* Discipulos nomina sua profitentur, procurandi pariter, & stabiliendi. Nihil requiritur difficilius, quàm Dei Secreta *non invadere*; *non* curiosiùs *penetrare* in Rem omninò *inaccessam* atque *impervestigabilem*; de Re Indubitabili pro certo statuere, & persuaderi; de *Modo* maximè *disputabili*, & usquequaque *Ineffabili*, silentium agere diuturnum. Nihil requiritur Difficilius, quàm ad *sobrietatem sapere*; de rebus Dei Arcanis extra Verbum Dei *non dicere*, nedum Dogmaticè *definire*; à Vocabulis nudiùs tertiùs ad Lites serendas adinventis, omnes

Conclusio Capitis ad Lectorem.

nes ubique perquàm Modestè, & Religiosè se abstinere; & * cum Antiquis Ecclesiæ Patribus, tales voces explicativas quales sunt *signa*, *figuræ*, *ἀναμνήσεις*, *σύμβολα*, *τύποι*, de hoc mysterio adhibentibus, *non pugnare*. Si quid restat Difficilius quod ad dictam Concordiam requiri debet, videtur esse Hoc Unum; ut Illi quorum interest Concordiam publicam impedire, & in quorum potestate (magna ex parte) situm est Concordiam Publicam promovere, non sint adeò *ἀπλάγχνοι*, & implacabili odio in Dissentientes agitati, ut cum iis in gratiam rediri nequeant; ut Maximè rei efficiendæ quoscunque Arbitros recusent; Et superbissimè dedignentur, Lites finiri ex Compromisso.

De aliis Difficultatibus, in hoc Sacramento enodandis, præsertim de Calice Consecrato de jure Laicis exhibendo, Adeatur *Spalatensis* ubi suprà, à § 278, ad finem Capitis sexti, quod in hunc desinit Aphorismum. *Velle nos plus sapere quàm Christus sapuit, est summoperè desipere.*

* *Pro sensu Patrum de hoc Artic. legatur Dominus Plessiacus de S. Eucharistia. & Anton. de Dom. Resp. Eccl. l. 5. c. 6. n. 20. & seqq.*

CAP.

CAP. XXIV.

De Ministerio & Ministris Ecclesiasticis.

§ 1. QUum Tria sint *Externa*, eáque *Ordinaria*, Vocationis Internæ & Justificationis Instrumenta, nempe *Verbum*, *Sacramentum*, & utriusque *Dispensator*, de quorum Prioribus jam actum est; Statim post ipsa *Sacramenta*, ordine satis convenienti, sequuntur nobis contemplandi *Sacrorum Administri*; absque quorum Ministerio, neque *Verbum* Evangelii ritè potest annunciari, nec administrari *Sacramenta*. Quæ Necessitas Ministerii Ecclesiastici, non est simplex, & absoluta, (Deus enim *immediatè*, & absque hominum Ministerio, convertere potest & coronare quoscunque vult, ubicunque, quandocunque, & quomodocunque, modis extraordinariis, Ipsi videbitur expedire;) Sed subordinata, & hypothetica, quæ ex Divina Voluntate, atque Institutione, in totum oritur & dependet. Hujus divini Beneplaciti multa extant & luculenta in Sacris Literis Documenta. [a] *Placuit Deo* (inquit Apostolus) *per stultum Prædicationis Salvare Credentes.* Et [b] *Christum longè supra omnes Cælos evectum & collocatum Deus dixit omne* *Ratio ordinis & Necessitas Ministerii ad Salutem.*

[a] 1 Cor. 1. 21.

[b] Eph. 4. 10, 11.

genus Ministros, Extra ordinem, & Ordinarios, Temporarios, & in secula Duraturos, Ecclesiæ Pastores, & Doctores Scholæ, ex Christi Instituto omnes. Talis autem est Connexio inter Ministros Evangelii, & [c] Salutem hominum æternam, (si modò ordinarium agendi modum respiciamus,) ut Climax [d] Illa Paulina à commate decimo tertio ad comma decimum septimum Decimi Capitis ad Romanos, (Digna Climax quam quisque memoriter teneat,) utriusque Conjunctionem videatur asserere individuam. Ità ut, sublatis Divini Verbi Administris, Ipsa Fides, Conversio, & Salus hominum simul tollantur. Imò Tanti volebat Ipse Christus Ministros suos æstimari, ut Cornelium Centurionem non erudiret immediatè, sed per Angelum suum de Cœlo ad [*] Petrum remitteret erudiendum: Ipsumque [f] Paulum quoque juberet, in horum Ministerii à seipso ordinati, ab Ananiâ edoctum iri. Denique quàm horrenda & calamitosa res sit, privari Populum aut destitui legitimis Verbi Dispensatoribus ex Prophetæ [g] Azariæ ad Regem Asam Oratione, cum Dicto [h] Davidis comparata; ex Proverbio [i] Salomonis comminatorio; ex ipsâ [*] Jehovæ interminatione maximè omnium formidandâ, Famis, nimirum spiritualis, non audiendi Verbum Dei; ex intima Jesu Christi [k] Commiseratione quâ super iis commotus est qui erant ut oves non habentes Pastorem; ex breviusculis sed momentosis [l] Apostoli verbis ad Ephesios, aliis porrò Scripturis constare potest. Absque Verbi Ministerio, Nulla est hominum [m] Conversio à tenebris ad Lucem ordinaria, nullâque à potestate Satanæ ad Deum.

[c] 1 Tim. 4. 16.
[d] Rom. 10. 13, 14, &c.
[*] Act. 10. 3, 4, 6. 32. 34, &c.
[f] Act. 9, 6. ad 17.
[g] 2 Chro. 15. 3, 4.
[h] 1 Chr. 15. 2.
[i] Prov 29. 18.
[*] Amos 8. 11, 12. conser Zech. 3. 26.
[k] Mat. 9. 36.
[l] Eph 2. 12. ubi Christus est Scopus Veteris etiam Testamenti.
[m] Act. 26. 18 Mar. 1. 16, 17.

Nulla

Nulla [n] *Reconciliatio*, *Nulla* [o] *Salvatio* sine Miraculo. Nulla nisi præter solitum, extra orbitam & ordinem futura est. Inde Præcones Evangelii dicuntur [p] συνεργοὶ, Dei ipsius *Adjutores*, sive *Cooperarii*. Atque etiam [q] συνεργοῦντες, *operam Deo commodantes*, hortando cavent curántque, *nè quis frustra aut in vacuum gratiam Dei recipiat*. Huc accedit, quòd *Prædicatio* Evangelii inter *Gratias Prævenientes* (quales sunt Vocatio, Excitatio, Illuminatio, & illiusmodi,) jure merito numeratur. Nam

[n] 2 Cor. 5. 20.
[o] 1 Tim. 4. 16.
[p] 1 Cor. 3. 9.
[q] 2 Cor. 6. 1.

§ 2. Si nobis vel scribentibus, vel prædicantibus, vel quoquo modo elaborantibus, fiat hominum ad Deum Conversio Vera, Novimus nostrum non esse opus, nósque Dei *Instrumenta* & *Organa* esse duntaxat, eáque non *potestativa*, sed pura puta *subservientia*; non [r] *enim qui plantat, aut qui rigat est aliquid, sed qui dat incrementum Deus*. Atque ut sæpiùs in supplicium Indignorum Audientium Optimus Doctor ineptè docet, & concionatur, (Deo ità disponente;) ità Ineptus * quandoque Doctor, dignorum gratiâ Auditorum, perquàm aptissimè & cum fructu Spartam suam exornat. Cujus rei Exemplum in *Concilio Niceno* extabat elegans & aptissimum; ubi quidam ex Confessoribus, Vir naturæ simplicissimæ, *nihilque aliud sciens, quàm Jesum Christum, & hunc crucifixum*, plus potuit unus in Philosopho Ethnico convertendo, quàm omnes Antistites simul sumpti, insignissimè licèt docti, Sanctique Viri. Ipsum Munus Apostolorum fuisse *nudum Ministerium*, præclarè ostendit *Augustinus*, *Noluit*

Ratione Efficientis, cujus Instrumenta sunt Administri Evangelici.

[r] 1 Cor. 3. 7.

* Greg. *Moral.* l. 20. c. 18.

Vi. Hist. Concil. Nicæn. Bin. T. 1. *mihi* p. 321.

Aug. in Joh. *Tract.* 5.

luit Dominus Jesus Christus alicui dare Baptismum suum, Non ut nemo baptizaretur Baptismo Domini, sed ut Semper Ipse Dominus baptizaret; id est, *ut quos Ministri Domini baptizaturi erant, Dominus baptizaret, non Illi. Baptisma enim Tale est, qualis est Ille in cujus Potestate datur, non qualis est ille, per cujus Ministerium datur. Potuit Dominus, si vellet, dare Potestatem alicui Servo, ut daret Baptismum tanquam vice sua. Sed noluit Servum spem ponere in Servo.* Unde reclamat S. *Paulus*, Omnémque Potestatem à se modestè amolitur. *Nunquid Paulus pro vobis Crucifixus est? aut in Nomine Pauli baptizati estis? Paulus* ergo tanquam *Minister* baptizavit, *Dominus Ipse* tanquam *Potestas*; quemadmodum latè *Augustinus* hoc persequitur argumentum. Qui & alibi ità distinguit, (in *Psal.* 121. 1, 2.) *De montibus venit auxilium, sed non à montibus. Et à Quo? à Domino qui fecit Cœlum & Terram. Magni Prædicatores sunt Montes Dei, quos Sol oriens illustrat Primos.* Sed à Sole illustrantur, non à se. Adeò ut semper distinguenda sit *Potestas* à *Ministerio*. Hoc ad *Famulos* quidem pertinet, quorum est *laborare* in Vinea Domini, idque *ministerialiter*; Illa ad † *Dominum & Magistrum*, cujus est imperitare *potestativè*. Et etiamsi Ipse Dominus *Pedes lavaret Discipulorum*, nec non alibi de se diceret, *Ego sum tanquam qui ministrat*; Illud tamen haud fecit, nisi ad *speciem*, & *humilitatem*, utque Aliis in æternum Evangelii Administris ‡ *exemplo* esset. Appositè ergo *Romanus Pontifex Servum Servorum* sese agnoscit, modò Res titulo conveniret. Nam dum Ipse *Turrecremata* (Papalis

† Joh. 13. 13, 14.

‡ Joh. 13. 15, 16.

Joh. Turrecr. de Ecclesia, l. 2. c. 23.

palis fastigii atque Monarchiæ Hyperaspites,) Apostoli *Petri Successorem* tanquam Caput Ecclesiæ tueri satagit, eò tandem devolvitur ingratiis suis, ut nihil aliud ei relinquat, quam *Nudum Verbi & Sacramentorum Ministerium*, quod ad quemlibet spectat Sacerdotem. Et non obstante quod attulisset *Johannes Turrecremata* quicquid ex *Alberto Magno* ad Pontificalem faceret ἀποχὴν, nihilo magis tamen inde lucratus est, quàm ut Doctissimo *Spalatensi* præberet ansam interrogandi, *Quid plus ab hoc Autore tribuitur hoc loco Petro & Papæ, quàm habent Quilibet Sacerdos? Nam quòd nescio quam Plenitudinem, & Thesauri Dispensationem addidit, Verba sunt, quibus in Re nihil respondet, ut ego inferius suis locis satis confirmo.*

Spalat. *de Rep. Eccl.* l. 1. c. 2. n. 20.

Summa omnium huc redit; quòd quicquid muneris aut officii, quicquid oneris aut honoris, quicquid Prærogativæ aut Privilegii, ipsis Ecclesiæ Gubernatoribus ab Ipsorum Gubernatore (qui est Dominus dominantium) concessum est, intra terminos *Ministerii* tenere debent.

§ 3. *Natura* hujus *Ministerii* vix felicius eruetur, quàm ex ipsa vi *Nominum*, quibus præcipuè insignitur. In ipso Sacro Codice identidem dicitur Διακονία, quæ *Servitium* seu *Ministerium*, cuicunque exhibendum, *quodcunque* denotat *generatim*. Cujus exemplum est in *Martha*, *Luc.* 10. 40. & in *Angelis* missis ceu totidem Dei *Apparitoribus* ad Διακονίαν, *Heb.* 1. 4. quæ Vox videtur derivata ἀπὸ τῆς διάκονος, quod *laborare* est *in pulvere*, vel *ad sudorem* quasi *pulverem* referri potest.

Multiplex Ministerii Appellatio in abstracto.

Διακονία.

Spe-

Speciatim verò significat Totum *Statum Ecclesiasticum*. Cujus exemplum est in *Juda*, Qui *communeratus cum Apostolis, sortitus* dicitur *sortem* [v] τῆς διακονίας, ejusdem cum illis *Ministerii*, sive *Apostolatûs*. Eundem usum vocabuli videre est, ut in [v] Margine, ita *Rom.* 11. 13. ubi δόξάζω διακονίαν, est *Ministerium extollere Ecclesiasticum, Munus Apostoli illustrare*, & (Animas Gentium convertendo) *glorioſum reddere Apostolatum*. Et sic in eo quod *Archippo* dicendum vult Paulus, [*] βλέπε τὴν διακονίαν, &c. Coloss. 4. 17. *vide ut* * *Ministerium quod accepisti, in Domino impleas*, perinde est ac si dixisset, Fac ut Muneri Ecclesiastico divinitùs tibi commisso ab omni parte respondeas, faciásque satis; fac ut operam Ecclesiæ fidelem præstes. Et Ipse Apostolus gratias agit, *quòd Deus illum εἰς διακονίαν constituisset*, sive quòd Curæ & Fidei ejus Ministerium commisisset Ecclesiasticum, 1 *Tim.* 1. 12. In Epistola Salvatoris, quæ [x] *Angelo* sive *Episcopo* Ecclesiæ *Thyatirensis* scripta dicitur, Complexum habemus eorum omnium, quæ ad legitimè obeundum Ecclesiasticum Munus exiguntur. In primis *Opera* requiruntur, non ἀρχὴ, vel πρᾶξις. Deinde *Charitas*, ut ex Dei & Auditorum Amore non ficto omnia fiant & peragantur. Tertiò διακονία, quæ Vox ibi loci videtur accipi *specialissimè*, pro subministratione Sanctis præstita, & ipsa βιωτικῶν communicatione, quæ maximè omnium *Prælatum* decet. Quartò *Fides*, ut Ministerium Evangelii, secundum omnes sui Partes, perquàm fideliter administretur. Quintò *Tolerantia*, ut firma Spiritûs fortitudine in rebus asperrimis perseveretur. Monet autem Hoc Nomen

[v] Act. 1. 17, 25. Act. 6. 4. Act. 20. 24. Act. 21. 19. Rom. 12. 7. 1 Cor. 12. 5. 1 Cor. 16. 15.

[x] Apoc. 2. 19.

men [Διακονία] ità ut diximus attributum, tum *Pastores*, tum *Populum* Officii sui exequendi. Pastores monet, ut agnoscant, nequaquam *Politicum* atque *Despoticum* Regendi munus ad se spectare, sed munus *Ministeriale*, & duntaxat *Ecclesiasticum*. Populum monet, ut Pastoribus, ceu *Dei in Christo*, non *Populi Ministris*, y *Legatisque*, debitam præstent venerationem, debitos etiam Proventus solvant; ut debitâ Eos *Obedientiâ*, & *Dilectione* prosequantur; idque z ex *Ipsius Mandato Dei*. Prorsus ut Filii Parentes suos tam Amore quàm Honore de jure colunt. Ejusmodi enim est Relatio inter Populum & Pastores, 1 *Cor.* 4. 14, 15. & 2 *Cor.* 6. 13. *Gal.* 4. 19. & 1 *Joh.* 2. 1.

y 2 Cor. 5. 20.

z 1 Tim. 5. 17. Tit. 2. 15. Heb. 13. 17.

Alterum Nomen *Ministerii* Collectivum & Generale est *Ordo Ecclesiasticus*, nusquam disertè & ἀυτολεξεὶ in Sacro Codice occurrens, sed inde emergens *illativè*; in quantum *Deus*, Ipsius *Autor*, non sit Autor *incompositi status*, non aut *Schismatis*, aut *Confusionis*, (quæ est ἀκαταστασία,) sed *Pacis*, sed Ordinis, *ut in Sanctorum Ecclesiis omnibus*. Ità *David*, & post eum *Salomon*, *Leviticum Clerum* suum in varios Ordines distribuerunt. Et post utrumque *Nehemia*, idem præstitit. Ministris denique Evangelii, Toti Ordini Ecclesiastico, Id Officii incumbit, ut Omnia fieri procurent in rebus Ecclesiæ administrandis, διὰ τάξεως, καὶ κατὰ τάξιν, summâ quâ potest habitâ & *Ordinis* ratione, & *Honestatis*.

Ordo Ecclesiasticus.

1 Cor. 14. 32, 33.

1 Chro. 23. 6.
2 Chro. 8. 14.
Neh. 13. 30.

1 Cor. 14. 40.

Tertium Nomen est λειτουργία, quæ in genere pro quovismodo accipitur Ministerio, ut *Philip.* 2. 30. ubi domesticum & privatum humanitatis Charitatisque officium denotat

Λειτουργία.

notat. Denotat autem in specie *Publicum* aliquod *Officium* aut *Ministerium*. Scilicet *Christi Sacerdotium*, Heb. 8. 6. & *Ministerium Ecclesiasticum* quicum nobis res est, ut Rom. 15. 16. ubi Apostolus se appellat λειτουργὸν χριστοῦ, *Ministrum Christi*; quo sensu etiam Usurpatur, Act. 13. 2. Et (ut missas faciam *Dispensationem Collectarum*, muneris{que} *Politici Administrationem*, quas λειτουργία etiam significat,) accipitur speciatim pro *Administratione Cœnæ Dominicæ*, & generaliter pro tota Publicarum Precum Pandecta; pro omnibus Officii Ecclesiastici Partibus simul sumptis. ἱερουργῶν sensu lato est *sacra peragere*; sensu verò strictiore est *offerre sacrificium*. Et
Rom. 15. 16. S. *Paulus* se dicit ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον, quod *Evangelii Annunciatio* inter Ethnicos *Sacrificium* est illud in locum *Levitici* successurum,
[a] Mal. 1. 10, 11. quod futurum esse prædixit [a] Propheta ille mus; ἱερατεύειν sensu proprio est *præsse Sacris*, aut *Sacrum obire Magistratum*; qualem scilicet Scriptura Ministris tribuit, quorum
* 1 Tim. 5. 17. præcipui appellantur * πρεσβύτεροι, *honore duplici* dignandi.

Multiplex etiam Titulus Ministrorum in abstracto.

§ 4. Ministrorum ipsorum Tituli sive Appellationes, Alii sunt in Vetere, in Novo Testamento Alii, Nonnulli Novo cum Vetere communes sunt. Occurrunt in Vetere *Patriarchæ*, *Prophetæ*, *Sacerdotes*, *Videntes*, *Viri Dei*, *Angeli*, *Uncti*, *Speculatores*, *Architecti*, *Pastores*, *Patres*, & rarò *Medici*. Occurrunt Tituli complures in Novo etiam Testamento; *Episcopi*, *Presbyteri*, *Diaconi*, *Doctores*, *Præsides*, *Præpositi*, & Hi quidem *propriè*. *Scribæ* dicuntur per *Synecdochen* Ministri

stri etiam Evangelici. *Mat.* 13. 52. & *Mat.* 23. 33. Metaphoricè *Sal Terræ. Lux Mundi. Operarii in Vineâ. Servi ad Nuptias atque ad Cœnam invitantes. Piscatores. In messe Dominicâ Operarii. Cooperarii Ipsius Dei. Dispensatores*, sive *Oeconomi. Legati pro Christo. Testes. Præcones Evangelii & Justitiæ.* Semel etiam *Tubicines*, Semel *Venti* nuncupantur; *Illi Apoc.* 8. 2, &c. *Hi Apoc.* 7. 1. Apud Scriptores Ecclesiasticos & *Præpositi*, & *Paræci*, & *Sacerdotes* passim occurrunt. Generatim plerumque vocantur *Clerici*. Quorum apud Pontificios *Septem Ordines* enumerantur: *Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, Acoluthi, Lectores, Exorcistæ*, & *Ostiarii*. Sacerdotes in Majores & Minores dividunt. Illos vocant *Patriarchas, Archiepiscopos, Primates, Metropolitanos*, atque *Episcopos*. Hos unicè *Presbyteros*. *Clerus* ut vox generica, quæ *sortem* significat, sive *hereditatem*, est *universa Christi Ecclesia*, sive *totus Grex Dominicus*, Quo sensu dicitur à Sancto *Petro, Pascite Dei Gregem*, —— non *ut Clerus Dominantes, sed ut Gregis Exemplaria*. Ubi videtur Beatus *Petrus* respicere *Populum Israeliticum*, † quem à cæteris separatum Deus sibi in *Portionem* atque *Peculium* cooptaverat. Sed Vox *specificè* usurpata *Ministros* denotat *Ecclesiasticos*; Qui ideo *Clerus Dei* dicuntur, * vel quia modo peculiari *de Dei sunt sorte, sive hereditate*, (in quantum Cultui divino sunt singulariter Mancipati,) vel quia *Deus peculiariter cedit illis in sortem, sive hereditatem*.

† Deut. 4. 20. & c. 9. v. 29. & 1 Reg. 8. 1, &c.

* Greg. de Valent. T. 4. Disp. 9. qu. 5. punct. 2.

§ 5. Eo

Eo Ministris Ecclesiasticis à Capite ad Calcem,

§ 5. Eo ipso quod Ecclesia sub variis coloribus repræsentatur, estque omnibus in conspicuo, quod *Acies ordinata* non possit esse sine Ducibus, Tribunis, Centurionibus, aliisque Castrorum Officiariis; neque *Ovile* sine Pastoribus; neque *Navis* sine Nauclero; neque *Corpus* sine Capite, & Membris ordine distinctis; Ideo statim videndum est, Quinam sint *Ordines* & *Gradus*, pro diversa officiorum in Domo Dei obeundorum ratione, Ecclesiasticis Personis quoquo modo accensendi. [a] *Necessitatem* Distinctionum, & Earundem *rationem*, demonstrat Apostolus ad *Corinthios*; ubi *Novem* Donorum species ab *uno Deo* profectas numerat, quas omnes explicans [*] *Ambrosius*, dicit Dona esse Officiis Ecclesiasticis conjuncta, & quæ hominibus non omninò ratione *Meritorum*, sed ratione tantùm *Officii* Ecclesiastici suscepti per Deum competunt. Porrò [b] repetit S. *Paulus* Distinctiones *operationum* ab eodem Spiritu emanantium, & quibusdam Personis in Ecclesia applicat. *Alios quidem* (inquit) *constituit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores*, &c. additque [c] alibi nominatim *Evangelistas, atque Pastores*; nec tamen *omnia* utrobique Ecclesiastica Ministeria commemorat *Paulus*, sed *majora* duntaxat omnia, quibus Ecclesia Dei crescit, atque proficit in melius, per Conversionem hominum ad Fidem, vitæque Emendationem. Neque sequitur ex ista Donorum varietate, ipsos *Ordines* multiplicari, sive ipsos *Ministrorum* diversos *gradus classésve*; Quia omnia illa Dona *in omnibus* erant simul sumptis, & *collectivè*,

[a] 1 Cor. 12. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, &c.

[*] Ambros. *in Epist. ad Ephes. c. 4.*

[b] 1 Cor. 12. 27, 28, 29, 30.

[c] Eph. 4. 7, 11, 12, &c.

collectivè, non omnia *in singulis*, sive *distributivè*; ita tamen ut in *singulis* plura dona aliquando coire queant. Nonnulli enim ex Episcopis aut Presbyteris in Ecclesia, & excellebant, & jam excellunt Sacrarum rerum intelligentiâ, qui Linguis carent, nec sunt habiles aut idonei ad Interpretandum, aut ad Animos Auditorum Eloquio suo flectendos. Nonnulli è regione & Linguis pollent, & S. Scripturas eximiè callent, & in iisdem Explicandis egregiè eminent. Nonnulli ad Docendum sunt quasi facti compositique. Nonnulli ad increpandum, & arguendum sunt efficaces, sed in Profundis Scripturarum eruendis exquirendisque non tam feliciter navant operam. Alii ad utrumque, & forsan ad Alia sunt aptissimi. Frustra igitur desudant, qui Tot *Ordines Ecclesiasticos* in Ecclesia quærunt atque venantur, quot *Donorum Distinctiones* à Sancto Apostolo recensentur. Præter autem Majores illos qui paulò superiùs enumerantur, *Minores Ordines* complures à Veteribus commemorantur, quales erant *Hypodiaconi*, *Lectores*, *Psalmistæ*, sive *Cantores*, *Acolythi*, *Exorcistæ*, *Ostiarii*. Occurrunt apud * *Ignatium Confessores*, & *Laborantes*. *Æditui* apud † *Hieronymum*. Et *Fossarii* apud eundem, *de Septem Gradibus*. Apud *Epiphanium* leguntur etiam *Diaconissæ*; & *Notarii* apud *Gelasium*, *atque etiam Defensores*. Hi autem Omnes non *Ordines*, sed *Officiarii*, & *Servientes* dicendi sunt. Nec *ordinantur*, sed *deputantur*, (quæ S. *Augustini* Distinctio est,) in usus Ecclesiæ Inferiores. Atque in *Corpore* Ecclesiastico, ut *Pedes* censet S. *Basilius*.

* *In Ep. ad* Antioch.
† *In Epistol. ad* Tit. *cap.* 2. Epiph. *sub finem Panarii.*
Gelas. *Epist.* 6.

Tres sunt duntaxat jure divino & Apostolico, in æternum duraturi.

§ 6. Constat *Christum* solos Apostolos, atque *Discipulos* Instituisse; Et utrorumque Successores, *Episcopos* scilicet, atque *Presbyteros*. *Diaconorum* Institutio pro certo erat *Apostolica*. Cujus Occasio clarè traditur, *Act.* 6. à *v.* 1. *ad v.* 7. Fideles vivebant in commune, *Oeconomi* deerant, qui Bona curarent temporalia, & quæcunque conferebantur in communes Fidelium usus, ea colligerent, distribuerent, atque *Mensis Ministrarent*. Inde *Diaconi* Instituti, hac solummodo occasione, & in Hunc præcipuè Finem, sed non in finem hunc *Solum*. Namque *Diaconos* Baptizâsse, & Prædicavisse Evangelium,

V. Cyprian. *l.* 3. *Epist.* 9.

* Act. 8. 5, 31, 38.

* *Philippus* est nobis Documento, qui *Diaconi* munus obiit, atque † *Evangelistæ*. Cujus vestigiis institisse sequentium Temporum *Diaconos*, Non *Gualterus* tantùm testatur, & *Stephanum* trahit in exemplum; Sed idem testantur Primævi Patres. Et vel ideo Diaconis concessum est, illis fungi Ministeriis, & baptizandi, & concionandi, ut munus *primum* magisque *proprium* religiosiùs administrarent, & his quasi symbolis admonerentur, non fuisse tunc *civilem* nudèque *politicam* Vilicationem quam gerebant, & in qua exercenda tunc Potissimùm versabantur, sed Deo solenniter dedicatam, idque * adhibitis non modò *precibus*, verùm etiam χειροθεσια. Immò tametsi cautum esset, † nè Elementa Eucharistica consecrandi vel minimum jus *Diaconis* aut facultas concederetur, Presbyteris tamen Sacramenta Populo suo dispensantibus supperias ferre, & inservire, *Diaconis* semper permissum est. De * *Discipulis septuaginta*

† Act. 21. Gualt. *in Act. Apost. c.* 8. *Hom.* 56. Tertul. *de Baptism.* Origen. *Hom.* 1. *in Psal.* 37.

* Act. 6. 6.

† *Nican. Concil.* 1. *Can.* 19.

* Luc. 10. 1.

tuaginta ab ipso Domino designatis, *in omnem urbem & locum ante faciem suam mittendis* perspicuè constat. Constat eos insuper, de facto missos ad Prædicandum, † *Personam Christi* † Luc. 1. 16.
tanquam *Legatos* sustinuisse ex Instituto; nec non * miracula edidisse, ut ipsorum Vocationi * V. 9. & 19.
fidem facerent, (modo prorsus consimili quo Apostoli duodecim fuissent missi, *Mat.* 10. 1, 5, 7, 8, 9, &c.) Sed nusquam constat de *Christi* in eos Discipulos *Insufflatu*, nedum de aliqua in eos collata χειροθεσία. Inde sunt qui existimant, omnia munera Ecclesiastica & Ministeria *ad Episcopos* primitùs pertinuisse; & summa quidem cum ratione. Ostendit enim *Hammondus* ὁ Πάνυ (*in Dissertationibus contra Blondellum*, &c.) Solos *Episcopos*, in *Apostolis*, à Christo fuisse institutos, & *ab Apostolis* ordinatos, deinde *Presbyteros ab Episcopis*. Quia verò in Ministeriis Essentialibus quibuscunque conveniunt inter se admodum *Episcopatus* & *Presbyteratus*, (*Ordinatione Solâ exceptâ*, inquit S. *Hieronymus*, quam nec *Episcopus sine Presbyteris conferre potest*;) Ideo quàm plurimi sunt Theologi, & Scholastici plerique omnes, saltem *Aquinas*, *Alensis*, *Albertus*, *Bonaventura*, *Richardus de Sancto Victore*, *Dominicus à Soto*, Aliique qui *Episcopatum* non agnoscunt *Ordinem* esse *ex parte rei* à *Presbyteratu* distinctum, sed *gradualiter* tantùm differre. De communibus verò Episcoporum & Presbyterorum nominibus consulantur *Jo. Rainoldi* Colloqu. cum *Harto*, cap. 8. § 3. sub finem. Item *Jac. Usserii* Armachani Dissert. *Ignatian*, cap. 18. p. 137. cum addendis; nec non *Hen. Hammondi* Annot. ad Act. *XI. B.* ejusdémque Dissertationes de juribus Episcopatûs contra *Blondellum*,

differt. 4. cap. 6, 7, 8, 19, &c. Denique *Davenantii* quæst. 42. Determinatio, præsertim object. 2. solutio, p. 192, 194. Ex quibus omnibus satis constat, quòd ex promiscuo usu Vocabulorum non rectè infertur Ministrorum omnium Paritas.

De quibus non est cur magnoperè litigetur.

§ 7. His præmissis, videndum est, ecqua inter Partes de hoc Articulo dissidentes fieri possit Conciliatura. Imprimis convenit inter omnes, quòd *Jesus Christus* est *Caput* unicum totius *Corporis* Ecclesiastici; *Architectus* Ædificii, æquè ac *Lapis Angularis*; *Princeps* æquè ac *Salvator* Totius Regni Spiritualis; *Pontifex Maximus*, & *Apostolus* Totius nostræ *Professionis*; *Pastor Summus & Episcopus nostrarum* omnium *Animarum*. Constat Illum fuisse *unctum Spiritu Sancto & Potentiâ*. Unctus *effudit* electos suos & separatos à Vulgo discipulorum *Discipulos duodenos*; dixitque, *Accipite Spiritum Sanctum. Sicut misit me Pater, ità & ego mitto Vos.* Constat ergo *Christum* à *Patre* missum; à *Christo* missos esse *Apostolos*; ab *Apostolis*, pariter *Successores*, (quos *Episcopos* & *Presbyteros* S. S. promiscuè vocant,) ut ipse *Christus* eo pacto *cum suis* esset Emissariis, *usque ad Consummationem Seculi*. In Libro cui Titulus [*Ecclesiæ Anglicanæ Disciplina & Politia*] *Episcopi* & *Presbyteri* dicuntur non semel *Apostolorum* † *Successores*. Atque in sacro illo munere *remittendi peccata & retinendi, solis Apostolis concesso, soli Episcopi & Presbyteri dicuntur à Deo Surrogari*. Episcopi scilicet *immediatè*, *mediatè* etiam Presbyteri. Constat *Christo datam esse Potestatem* * *omnem* (& omnimodam) *in Cœlo & in Terra*. Ex qua concessit *Potestatem* Apostolis suis *Vicariam*,

Act. 5. 31. Heb. 3. 1. 1 Pet. 2. 25. Act. 10. 38. Luc. 3. 22. Joh. 20. 21, 22, 23.

Mat. 28. 20.

† Polit. Ec. Ang. cap. 10. p. 340.

* Vers. 18.

am, non *omnem* utique, sed aliqualem, sed congruam, sed competentem, suisque muneribus obeundis ac dignitatibus adæquatam, *Mat.* 28. 19. *Joh.* 20. 23. Constat porrò Jesum Christum Apostolos suos deputásse, cum potestate *Alios* sibi in adjutorium adjungendi, & *Successores* instituendi, unà cum *tota* sed *ordinaria* Potestate *Apostolica* Regendæ Ecclesiæ necessaria, per legitimam Missionem. Nec *soli Petro*, sed *omnibus simul Apostolis*, & in solidum, & ex æquo, in Regimine Ecclesiæ universali, Successio datur. Ut Ipse *Papa* * *Cœlestinus* tam ingenuè fatetur, quàm strenuè probat. Idem asserit † *Rabanus Maurus*; Cui accedit *Hadrianus* (*in Quartum Sent.*) *de clave Ministerii dictum est Petro, Tibi dabo claves*, &c. *Et in Petro, omnibus Sacerdotibus, quibus in Ordinatione datur Spiritus Sanctus*, &c. *Christus* enim dixit omnibus ex æquo, *Ite, docete omnes Gentes*, &c. *Qui Vos audit*, &c. — *ità & Ego mitto Vos. Ecce Ego vobiscum*, &c. *Quorum peccata remiseritis*, &c. unde scripsit *Cœlestinus*, "[*Advertere debet universa Fraternitas*; quia accepimus *generale* Mandatum, *Omnes* etiam nos id agere voluit, qui illis sic *in Communi* mandavit officium; necesse est ut competenter nostros sequamur Autores (Apostolos sc.) subeamus *Omnes* eorum labores, quibus *Omnes* successimus in honore.] *Murus Urbis* Apocalypticæ * *Fundamenta duodecim* habere dicitur, in quibus sunt *Apostolorum* (non *Petri* unius sed) omnium *Nomina duodecim*. Neque nisi *Secundaria* sunt Ædificii Fundamenta, Cujus *Primarium* est Ipse *Christus*. In quantum † *Concives sumus Sanctorum, ac Domestici* Regis cœlestis, (in consortium Salutis asciti scilicet)

* *Ad Synodum* Ephes. *Epist.* 7.

† *In Catena* Aquinatis *ad* Mat. 16.

* *Apoc.* 21. 14.

† Eph. 2. 19, 20, 21, 22.

scilicet) dicimur *super fundamenta* (non modò) *Apostolorum*, (sed) *Prophetarum Superstructi*, Et *Christus est Lapis Angularis, in quo totum Ædificium congruenter coagmentatum crescit ut sit Templum Sanctum Domino, in quo & Nos ædificamur, ut per Spiritum simus Dei Domicilium.* Unde constat & Apostolos & Prophetas quidem *omnes* fuisse eatenus *Fundamenta subservientia*, quatenus *omnes* ut *Architecti*, in unico illo Fundamento Primario jaciendo, fidelem operam posuissent. Nec ad *Personas* Prophetarum atque Apostolorum, sed ad *Salvificam* eorundem de *Jesu Christo Doctrinam*, Glorioſus iste Titulus *Fundamenti* est referendus. Ecclesia etenim Catholica *solo Christo* superstruitur, qui *Doctrinæ Salutaris* (quam initio penes *Prophetas*, deinde penes *Apostolos* disposuit Deus) & *Materia* & *Caput* & *Scopus* est. *Fundamenta* sunto, per me licèt, tam *Prophetæ* quàm *Apostoli*, eorumque *Successores*; sed tantum *Ministerialia*, & suo sensu figurato cum grano Salis accipiendo; sed *Confratres*, *Concives*, atque etiam *Conservi* ad unum omnes. Et Apostolos quidem *omnes* fuisse *Petro* etiam *in omnibus*, exceptis quibusdam Personalibus, *pares* prorsus, & *æquales*, & Pastores *similiter* universales; luculenter probat & prolixè Archiepiscopus *Spalatensis*, l. 3. c. 3. atque alibi passim.

Sed non obstantibus hisce prædictis, loquuntur interdum primævæ Ecclesiæ *Magistri*, de *Primo* aliquo sive *Primate* Apostolici Chori; quanquam nec *Caput Fidei*, nec *Fundamentum*, nec *Columnam*, nec *Firmamentum*, vel ipsi *Petro*, vel *Successoribus* suis ascribunt. *Primatum ordinis*, non *Suprematum Potestatis*, largiebantur olim Patres; *largitur Ecclesia Anglicana.*

glicana. Concordiæ causa & εὐταξίας. *Principem locum* illis concedimus in quovis Concilio Oecumenico. Damus *Canonicum Principatum*, & jus sententiæ, vel rogandæ, vel ferendæ, agnoscimus; sed jus Legum pro suo arbitrio condendarum, jus αὐτοκράτορος, & Monarchæ, non *ante* cæteros tantùm euntis, sed *supra* omnes imperitantis, Id est quod penitus perpetímque & toto animo pernegamus. Constat Ordinem Ecclesiasticum *Anarchicum* esse non posse, ubi nec prius est nec posterius, nec *sub*, nec *suprà*; sed *Aristocraticum* esse omninò, ubi sunt qui *regunt*, & qui *subduntur*. Ut in Corpore unoquoque varii sunt Membrorum *gradus*, usque à *Capite* ad *Calcem*. Ideo post Tempora Apostolica, cùm Apostolici Successores Facultates suas Apostolicas (intelligo semper *Ordinarias*) ex parte *Plurimis*, in totum *Paucis* contulissent; ità deinceps distinguebantur in usu Appellationum, ut Hi *Episcopi* dicerentur, Illi verò *Presbyteri*, non vice versâ, & promiscuè, (prout in Novo Testamento,) sed strictè semper, & peculiariter; ídque partim docendi, partim discendi gratiâ. Et quemadmodùm apud *Hebræos*, Sacerdotes ad unum Omnes cujuscunque aut Ordinis, aut Meriti, aut Dignitatis, ab eodem *Aarone* oriundi, in viginti quatuor classes (Pontificibus solis exceptis,) à *Davide* distribuebantur, erántque * *Principes* Sacerdotum 24, *Primi* scilicet Familiarum, quæ Tempore *Davidis* in *Israel* erant; Sic & *Ministri Ecclesiastici* ab eodem *Christo* per *Apostolos* ad unum Omnes Instituti, & eousque *Confratres* habiti, differunt inter se tamen Prioritate Dignitatis, ut apud Hebræos *Natu Maximus* à suis ipsius Fratribus natu minoribus differebat. *Illi*, natu Maximo, πρωτοτόκια competebant, *Hisce* minoribus denegata. Ità legibus Ecclesiasticis Regúmque Nutu est comparatum, ut ex *Episcopis* excellant & præemineant *Archiepiscopi*, atque ex ipsis *Archiepiscopis*, Potiores sint *Primates*, quàm Meri *Metropolitani*. Quid, quòd *Patriarchæ*, in Synodo aliqua Oecumenica, hos omnes superant, quod ad πρωτοκλισίαν, & πρωτοκαθεδρίαν spectat? Ut nè ipsi quidem *Aërio* ægrè nimis & molestè

* 1 Chro.24. 4, 5, 6.

molestè ferendum sit, si Episcopi Presbyteris præstent pariter, & præsideant; neque ἴσα προσβεῖα utrisque competant. *Realiter* inter se distingui, & *jure* quidem *divino*, Episcopatum & Presbyteratum, Nemo sanus inficiabitur. De *modo* autem quo distinguuntur jure divino & Realiter, inde usque ab *Aërio* vexatissima est Quæstio, & perinutilis, sæpe etiam perniciosa. Ab *Ecclesia Anglicana* ità paci procurandæ litatum est, ut de ipsa *Re* statuens, de *Modo* prudens obmutescat. Et Pacis causâ dixisse liceat, (bona cum venia *Superiorum*, quorum *Publico* judicio *Privatum* Hîc & Ubique submittendum esse contendo,) quòd de ipsa Phraseologia, quâ dicta Distinctio est exprimenda, non necesse est omninò ut Litis Serra reciprocetur, dummodo constat Episcopatum *jure divino* & *Realiter* à Presbyteratu distinctum esse. Dummodo constat de *Obedientia* Ecclesiarum *Præfectis* ex instituto divino debitâ, qui inde usque ab Apostolis successivè, Ecclesiam Dei gubernandam, & verbo vitæ pascendam, susceperunt; *Ordine* differant, an *Gradu*, (si inter *Ordinem* & *Gradum* hoc in loco differentia realis sit,) non multum refert. Nec quisquam de eo sit solicitus, modò nulla sit ἰσοτιμία, in *Anarchiam* turpiter desitura; modò Episcopi sit *Præesse*, Presbyteri *Subesse*, utriusque *Prodesse*; idque *pascendo Ecclesiam Dei, quam suo sanguine acquisivit*, Act. 20. 28. Episcopis *liceat* & *incumbat Pauca* peragere *Specialia*, quæ Presbyteris vulgò dictis *non liceat*, & *quomodo* differant deinceps perinde erit. Epis. *Davenantius* in initio ejusdem Determinat. p. 187. *Neque hoc opus erit subtiliter disquirere, utrum Episcopatus sit diversus ordo à Presbyteratû, an alius & altior tantùm gradus in eodem ordine.——Nobis sufficit, (hac Verborum Velitatione Sepositâ) si ostendamus, Eos, qui appropriatè Vocantur Episcopi, habere dignitatem altiorem, potestatem majorem, & eminentiora officia sibi annexa, quàm habent alii Presbyteri; idque Verbo Dei minimè repugnante*, &c. Reformatæ aliquæ Ecclesiæ quæ Episcopis carent, *Voto tenus* perfruuntur. Ordinationes Episcopales,

Quot-

Quotquot habere *possunt*, habent. Atque *Nulla est* (bene novimus) *Impossibilium Obligatio*. Duo sunt ergo quæ *Transmarinos*, Episcopatu destitutos, ut pro *Fratribus* amplectamur Charitativè nos movent; Dura *Necessitas* quâ degravantur, & Ingens, quo flagrant, *Desiderium*. Discrimen fortassis inter *Ordinem*, & *Gradum*, magis in *involucro* nostræ mentis (ut in hoc negotio fumitur) quàm in re ipsâ consistit. Vocabula Artis non debent ingredi Articulum aliquem Religionis; nedum litigia & lites serere.

§ 8. Ut Seductionibus Fanaticorum, qui jactant se esse Vocatos à Deo *immediatè*, fingúntque *Spiritûs Impulsu* interiore & invisibili, provocatos se esse & quasi coactos ad concionandum, Aut Deum illis apparuisse, novásque Doctrinas revelásse, eatur obviàm; Non ipsius duntaxat *Ministerii*, sed *Juris divini* & *Necessitas* Ipsos *Ministros Ordinandi*, ad munus rite ac legitimè obeundum, in propatulo & aprico monstrari debent. Opus autem illud Gratiæ, quo Deus præficit Ecclesiæ Personas Certas, quas *Clerum* vocant, quandoque [a] *Missio*, quandoque [b] *Electio* vel [c] *Separatio*, sed plerumque [d] *Vocatio* dicitur; quæ distinguuntur apud Alios, apud Alios verò coincidunt. *Vocatio* accipitur vel respectu *Vocantis*, pro ipsa *actione* Vocandi aliquem ad officium, *ut* [e] *Dominus ab utero me vocavit*; vel respectu *Vocati*, pro ipsa *functione*, *officio*, aut vitæ statu, (quâ privato, quâ publico,) ad quem Deus vocavit aliquem; [f] *ut in qua vocatione unusquisque vocatus est, in ea maneat*. Sic Ministerium Ecclesiasticum Peculiaris est quædam *Vocatio* seu *Status Vitæ*, in quo Personæ Ecclesiasticæ vel à Deo *immediatè*, vel à Deo per *homines* constituuntur. Neque in dubium vocari debet, quin ex Consilio *Spiritûs Sancti* Ratio Vocabuli *Vocationis* petenda sit. Nam sicut Principes ad se *vocant*, quorum Servitio uti volunt in Rebus suis expediendis; Ità *Deus* Ministros *Vocat*, ad se *accersit*, sibíque *separat*, quibus tanquam [g] *Legatis* suis Onus aliquod sustinendum, Munus aliquod administrandum, & Honorem cum utroque habendum delegat. Sic S. *Paulum*

Necessitas Vocationis divinis institutis.

[a] Jer. 23. 21.
Rom. 10. 15.
[b] Luc. 6. 13.
[c] Act. 13. 2.
[d] Heb. 5. 4.
[e] Isa. 49. 1.
[f] 1 Cor. 7. 20.
[g] 2 Cor. 5. 20.

* Gal. 1. 15. *lum* * *segregavit ex utero Matris, & vocavit per gratiam.*

Vocationis hujus *divina Necessitatem* Moralem *Ecclesia* statuit *Anglicana*, Articulo vicesimo tertio, & *Confessio Augustana*, Articulo decimo quarto. Et innumeris Scripturis probari potest, præter complures jam allatas. Neque ob aliam rationem Ministerium Ecclesiasticum [b] *Spiritus* dicitur & *novi fœderis* Ministerium, quàm quòd per homines ità *Vocantes*, tanquam per *Causas instrumentales*, [i] *ad Fidem homines perducuntur*, atque etiam [k] *Salvantur*. In V. T. horrenda occurrunt Paradigmata Sacrosanctum hunc Ordinem temerariò invadentium, in [l] *Uzzah*, in ipso Rege [m] *Uzzia*, in [n] *Corah*, *Dathan* & *Abiram*, absque debita *Vocatione* Sacerdotium summum ambientibus, atque Telluris dehiscentis Hiatu illicò absorptis. In N. pariter Testamento, Quicunque audent non *Vocati*, non *Missi*, non à Deo *Segregati* Evangelizare in Ecclesia, Illis [o] *Furum & Latronum* inuritur stigma; Illósque ceu *Lupos* in Ovili, quotquot veri sunt *Christi Oves auscultare* detrectabunt. Huc spectat Illud Sancti *Baptistæ* apud *Johannem*, [p] *Homo non potest recipere quicquam, nisi fuerit ei datum è Cœlo.* Rursus in V. T. * *apparuit* Deus *Patriarchis*, atque eos immediatè ad Sacrum Munus evocavit. [q] *Melchizedec*, [r] *Abrahamus*, & † *Noachus Ille Justitiæ Præco*, in exempla nobis commemorantur. Porrò *Leviticos* Sacerdotes cœlitùs & à Deo Vocatos fuisse abundè [s] liquet. [t] *Prophetæ* etiam sæpenumerò ad *Missionem* provocant *Divinam*. De Christi Prodromo Baptistâ disertè scribitur, quòd [x] *extitit homo*

[b] 2 Cor. 3. 6.
[i] 1 Cor. 3. 5.
[k] 1 Tim. 4. 16
[l] 2 Sam. 6. 6, 7.
[m] 2 Chro 26. 16, 18, 19, &c.
[n] Num. 16. 32, 33.
[o] Joh 10. 8, 9, 10, 12, &c. *Confer* Mat. 7. 15. & Mat. 24. 24.
[p] Joh 3. 26, 27, 28, 29.
* Gen. 12. 7.
[q] Gen. 14 18. 19, &c.
[r] Gen. 20. 7. & Gen. 13. 18.
† 2 Pet. 2. 5.
[s] Exod. 28. 1. Num. 1. 49.
[t] Isa. 6. 8. 9 &c. Jer. 1. 4 5, &c. Hos. 1. 1, 2, &c.
[x] Joh. 1. 6. Luc. 3. 6.

à Deo

à Deo missus. Et *factum est Verbum Domini super Johannem.* Quid quòd Ipse *Dominus noster J. C.* (*Vocationis* Sacrosanctæ ornandæ causâ) ad suam ipsius sæpè provocat à *Patre* Cœlesti [a] *Missionem?* Neque Officium sum aggredi prius voluit, quàm in *Baptismo* & *Transfiguratione* Doctor fuisset renunciatus. Atque de ejusdem quasi *modestiâ* perhibetur, quòd *Ipse sibi hunc honorem* [b] *non tribuit, ut Pontifex fieret, sed Is qui ei dixerat, Filius meus es Tu, Ego hodie genui Te.* Apostolos ipse Christus vivâ voce *Vocavit.* Mat. 10. 1. eósque *misit.* Mar. 16. 15. Qui illam *Vocationem* suam in ipsis Epistolarum suarum restibulis diligentissimè *inculcabant*, nè cui *non missi*, *non vocati*, sed αυτοκλητοι viderentur. Summa quoque solennitate Ecclesiis suis edocendis gubernandísque præficiebantur, quotquot Apostolis [c] successerunt. Breviter Regulæ constituuntur, & interponuntur Cautiones, nè quis Mortalium præsumat unquam, absque legitima Autoritate, (non humanitùs duntaxat munitâ, sed & divinitùs institutâ,) ad Rem Sacram prosilire, Munúsve aliquod Ecclesiasticum (ut olim *Uzzah* atque *Uzziah*) in se recipiat administrandum.

[a] Mat. 10. 40. & Mat. 15. 24. Jo. 3. 17. Joh. 5. 36. Isa. 48. 16. Joh. 18. 20. Isa. 61. 1. Luc. 4. 18.

[b] Heb. 5. 4, 5, 6.

[c] Act 14. 23. 1 Tim. 4. 14. 2 Tim. 1. 6. 1 Thes. 3. 2.

[d] *Manus citò nemini imposueris*, &c. *Ideo* [e] *reliqui te in Creta, ut reliqua corrigas, & constituas Presbyteros oppidatim, sicut ego ordinavi.*

[f] *Quæ audisti à Me inter multos Testes, Hæc commitre Fidelibus hominibus, qui sint Idonei ad alios quoque docendos.* Atque ut pateat dilucidiùs, Vocationem *mediatam* & legitimè datam *hodiernam*, nihilo minùs quàm *immediatam* in ipsa Ecclesia adhuc nascente, pro divinitùs instituta censendam esse; non so-

[d] 1 Tim. 5. 22.

[e] Tit. 1. 5, 6, 7, &c.

[f] 2 Tim. 2. 2, 3, &c.

solummodò *Apostolos*, *Prophetas* atque *Evangelistas* Ecclesiæ suæ præfecit *Christus*, (ad
e Eph. 4. 11, 12, &c. 1 Cor. 12. 28, 29. Dextram Patris evectus,) sed & e *Pastores*, & *Doctores*, in omnia secula duraturos. Unde & *Sosthenes*, & *Apollo*, & *Epaphroditus*, & *Archippus*, & *Sylvanus*, &c. utcunque Omnes *mediatè* Vocati essent, dicuntur tamen Mi-
a Col. 4. 17. 1 Cor. 4. 1. 1 Cor. 3. 5, &c. Phil. 2. 25. 2 Thes. 2. 14. nisterium ab *ipso* h *Domino* accepisse, æquè ac Ipse Divus *Paulus*, qui fuisset *immediatè*, ac per *miraculum* segregatus à vulgo hominum, atque cœlitùs vivâ voce ad Id assumptus. Quapropter hoc fixum ratúmque stet, quòd nemo uspiam, nemo unquam, in alterutro Sacrorum Bibliorum Testamento, Munus publicum in Ecclesia sine Sacrilega quadam audacia in se recepit obeundum, nisi divinitùs *immediatè*, aut divinitùs *mediatè* ad id electus, vocatus, missus atque admissus.

Vocatio Externa & Mediata quibus Mediis à Deo data.

§ 9. Probato hactenus Articulo Ecclesiæ nostræ vicesimo tertio, *Illos legitimè Vocatos & Missos esse existimandos, qui per homines, quibus potestas vocandi Ministros atque mittendi in vineam Domini publicè concessa est in Ecclesia, cooptati fuerint, & asciti in hoc opus*; restat ut paucis pensiculetur, Quorum ope ad hanc externam & mediatam Vocationem Deus uti consueverit. Sunt qui hanc Vocationem conferendi potestatem inter *Magistratûs* Regalia numerant. Sunt qui *Populo* hanc asserunt, exclusis & Clero & Magistratu. Sunt qui Soli ascribunt *Papæ*, & *Episcopis* in quantum à Papa missis. *Ecclesia* verò *Anglicana* Episcopis omnibus ex æquo, *sub Pontifice Maximo Jesu Christo*, (cujus est supremum jus Vocandi Ministros Ecclesiæ suæ, suósque Legatos, quanquam per homines,

homines, in perpetuum constituendi,) hanc delegatam Potestatem de jure tribuit. *Ità tamen*, & *eatenus*, ut sine Presbyteris assistentibus Sacros Ordines non conferant, Manus nemini imponant. Ità etiam, & eatenus, ut Ipse *Populus Promiscuus* non in totum, absolutè, atque simpliciter excludatur, Nedum *Summus Magistratus Civilis*, quibus omnibus suæ Partes in Mediata Vocatione (à nostra *Ecclesia Anglicana*, Apostolicæ Imitatrice,) relictæ sunt. * *Autoritas Regia circa Personas Ecclesiasticas, aut in illis eligendis & nominandis ad Dignitates & Beneficia Ecclesiastica, aut Manuum Impositione*, (non per Se, sed per Clerum) *sacrandis, aut in Pœnis statuendis & infligendis versatur.* Forma autem *consecrandi* Archiepiscopos & Episcopos, atque etiam *Ordinandi* Presbyteros & Diaconos, in Ecclesia Anglicana, Autoritati omnimodæ, (tam Regis & Parliamenti, quàm Regis & Synodi Nationalis,) inconcussam Vim suam acceptam refert; præsertim *Regi*, ut *Nutricio Ecclesiæ*, & *utriusque Tabulæ Custodi.* Adhæc in ipsa *Ordinandi* Personam aliquam *Actione*, *Episcopus* hoc pacto affatur *Populum.*

* *Polit. Eccl. Angl. cap. 3. mihi p. 300.*

" Fratres, si quis vestrum sciat aliquod " Impedimentum, vel quodvis Crimen enormius in istis Personis quæ nunc ad officium " Diaconatûs præsentantur, quo minus ad " ipsum admitti debeant, jam prodeat in " Dei nomine, & impedimentum illud sive " Crimen, quodcunque tandem fuerit, ostendat. Et in *Presbyteris* pariter Ordinandis, Episcopus ad Populum aut Promiscuam Multitudinem conversus dicet. " *Dilecti Fratres*, Hi sunt Illi, quos annuente Deo, sta-

" tulmus hodie in Sacrum Presbyterii Mini-
" sterium cooptare.——Si quis autem
" vestrum in eorum quovis gravius ullum
" Crimen, vel Impedimentum cognoscat,
" cujus causâ ad sacrum illud Ministerium non
" debeat recipi, nè gravetur id extemplò in
" Dei nomine patefacere. Quod si Crimen
" aliquod aut Impedimentum eorum alicui
" objectum fuerit, *Abstinebit Episcopus ab ejus*
" *Ordinatione*, donec Reus à tali Crimina-
" tione se liberum esse probaverit.

Videtur mihi ex his constare liquidò, quòd ad * *Integram Ecclesiam*, sensu lato, Jus Vocandi Ecclesiasticos *quodammodo* spectat atque pertingit. Et quod *Ecclesia Anglicana* ipsius *Ecclesiæ Apostolicæ* (prorsus ut *Achates* pii *Æneæ* apud *Virgilium*)

It Comes, & Paribus præsit vestigia Curis.

Præterquam quòd Ecclesiæ ipsius *Titi* Electionem *suffragio suo* comprobârunt, (2 *Cor.* 8. 19.) & in *Timothei Personam* consensit Integrum *Presbyterium*, à quibus accepit χειροτονία, (1 *Tim.* 4. 14.) pro Regula tradit Beatus *Paulus* Invariabili, quòd † *oportet* [*quemcunque Ordinandum*] *bonum habere Testimonium* ὑπὸ τῶν ἔξωθεν *ab Extraneis*; & Nemini * *Cito* Imponendæ sunt manus, quia Nemini priusquam *Judicium* Ecclesiæ & *Testimonium* de Eo constant & perhibentur. Praxis Ecclesiæ *Primitivæ*, Cui etiam *Anglicana* (prout Illa *Apostolica*) conformis est, ex *Concilijs* laudatissimis, ex Patribus Antiquissimis, & Probatissimis Exemplis petenda est.

* Act. 14. 23. 1 Cor. 16. 3

χειροτονθεὶς ὑπὸ τῶν συνελθόντων.

2 Cor. 8. 19.

† 1 Tim. 3. 7.

* 1 Tim. 5. 22.

§ 10. Præter

§ 10. Præter *Externam* illam, de qua diximus, Vocationem; requiritur quoque *Interna*, quæ Illorum duntaxat videtur esse, quibus Deus dona dedit & *facultates* competenter sufficientes, & religiosum *desiderium* lucrandi Animas, regnum Cœleste promovendi, Sacrosanctum Ministerium per omnes partes obeundi, Deumque suum ex toto Corde totisque viribus glorificandi; Quod absque morum Integritate, Vitæque jugi Sanctimonia *Christum* quadantenus redolente, non fieri potest. Cavebunt homines sic imbuti, tam Sanctis moribus quàm Doctrinâ, nè pecuniis, aut fraudibus, aut suffragiis emendicatis, aut ullis aliis malis artibus, Sacrilegè se ingerant in Sacros ordines & obtrudant, ipsi [f] *Mosi* formidabiles, & [g] *Jeremiæ*, quid, quòd & *Angelis* ipsis tremendos. (*Nam ad Hæc quis Idoneus?*) *Episcopatus* est nomen *oneris*, multò magis quàm *honoris*. Ambient illud Indignissimi, quod Dignissimi detrectabunt. Est apud Authorem nescio quem, *Tantùm ab Ambitu debet esse sepositus Episcopus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.* Sed (proh dolor! pudórque!) Qui *Internâ* omninò carent, Vocationem *Externam* depereunt maximè, & venantur. *Neutram* habent *Anabaptistæ*, atque id genus Alii eâdem indole *Fanatici*, Quibus crepantibus Enthusiasmos solenne est, pristinos illos simulari *Latrones* & *Fures spirituales*, * *Caupones* Evangelii atque Circumcelliones, Circumforaneos, qui (Apostolo

Vocatio Interna quousque Requisita.

[f] Exod 4 10, 13, 16.
[g] Jer. 1. 5, 6.

* 2 Cor. 2. 17.

stolo referente) *irrepunt in Familias, & captivas ducunt* (id est, seducunt) [h] *Mulierculas, cumulatas peccatis, variisque actas cupiditatibus.*

[h] τὰ γυναικάρια. 2 Tim. 3. 6, 7, &c.

Qualem habeant Ministri qui Episcopis carent.

§ 11. Quod ad quàm Plurimos Transmarinos in Ecclesiis *Protestantium* nonnullis attinet, qui sunt insigniter *Eruditi Piique Viri*, summâ pollentes *Orthodoxiâ*, [i] διδακτικοὶ summè, summâ Populum erudiendi facultate conspicui, summâ præditi Eloquentiâ, summè habiles & Potentes [k] *ad Contradicentes revincendos*, (ut quibus [l] *Os* & *Sapientiam* Deus dederit supernè,) adhæc [m] ἀνέγκλητοι, [n] ἀνεπίληπτοι, *Internâ* donati Vocatione, talíque insuper *Externâ*, qualem & *Clerus*, & *Magistratus*, & *Populus* conjunctim conferre possunt, sed non omninò nisi *ex Voto* quam vulgò vocamus *Episcopalem*, (quali gaudemus Nosmetipsi, Fratrésque nostros Extraneos gaudere posse exoptamus,) ad Illos inquam quod attinet, Distinguunt Viri longè Doctissimi inter *Liberam*, & *Depressam* Ecclesiam Dei. Itémque censent distinguendum, inter *Vocationem* ab omni parte *legitimam*, & ex aliqua parte *mutilam*, sed non absolutè *vitiatam*, aut prorsus *nullam*. In Ecclesia plenè *libera*, (qualis est nostra Anglicana,) & extra Casum Necessitatis, Nullum habet locum *Vocatio mutila*, neque materiam Apologiæ; quæ in Ecclesia *subjugata*, & planè *depressa*, nec nulla est, nec ἀνατολόγητος, sed duris quibusdam variisque necessitatibus circumsepta & circumstantiis, & accepta est Deo, & piis hominibus suspicienda. Cavendum est igitur vigilantissimè, in Ecclesiis *Ex-*

[i] 1 Tim. 3. 2.
[k] Tit. 1. 9.
[l] Luc. 21. 15.
[m] 1 Tim. 3. 2.
[n] Tit. 1. 7.

oticis

eticis sed maximam partem *Reformatis*, nè sinceræ Religionis Exercitio (propter Defectum Episcopatûs omnibus numeris absoluti) fraudetur Populus *omninò*, quos Christus suo sanguine sibimetipsi acquisivit. Sed satiùs ducant è contrà, Pastores quos habent qualescunque, *Recta* docentes auscultare, & *Sacramenta* ab iis petere, Eósque honore semper prosequi, quàm aut ansam præbere aliquam, aut ullo pacto in causa esse, ut *Christi Religio abolcatur*. Non tantummodò *non negant*, sed animitùs * *contendunt*, Qui Ecclesiis (quos vocant veriverbio) Evangelicis præficiuntur, *Ritum Ordinationis nequaquam esse omittendum*, sed (extra Casum Necessitatis) *semper adhibendum esse* in Ministris Ecclesiæ constituendis. Si enim ipse Beatus *Paulus*, ad Gentiles docendos ablegandus, °*iteratâ* manuum impositione *Doctor Gentium* renunciaretur, licèt *immediatè* Vocatus antea fuisset ad munus Apostolb obeundum, quantò magis id fieri debet *in Vocationibus mediatis?* Distinguendum autem existimant Viri Pii Doctique inter *Personalem*, & *Doctrinalem Successionem*. Et Positionem putant sufficere ad *legitimam Vocationem* Necessitate Magistri constituendam. Cujusmodi Successione (frendeant licèt ringantque qui se componunt ex adverso) Personæ prædictæ Ecclesiasticæ non omninò destituuntur. Portò duplicem esse speciem legitimæ Vocationis fatentur omnes, *Immediatam* & *Mediatam*, (quæ in quibusdam utrasque coeunt;) Et à negatione unius Speciei ad Negationem totius Generis pessimè valet Consequentia.

* *Omninò Consulat Lector* Chemnitium *in Part.* 3. *loc. de Eccl. c.* 4. *p.* 332.

° *Confer* Act. 13. 3. *cum* Act. 9. 17.

Conclusio ad Pacem Exhortativa.

§ 12. Concludat hoc caput Sententia Celebris *Davenantii* in sua ad Fraternam Communionem & Pacem Adhortatione inter Ecclesias Evangelicas, c. 4. " Animadvertendum est (inquit) particulares particularium " Ecclesiarum Doctores in Synodo Congregatos *suæ* solummodo *Ecclesiæ* repræsentare, *non externas*; ac proinde nullam habere potestatem præscribendi aliis quid " Credendum, quid rejiciendum sit, multo " minus abscindendi eos à fraterna Communione quam retinent cum Catholica, qui " illorum Decretis per Conscientiam aut inscitiam non possunt assentiri. Par siquidem " in Patrem non habet Potestatem.

Ecclesia quidem Particularis in suos potest, Ecclesiam suam perturbantes Errores ibúsque inficientes, Mucronem stringere Spiritualem. Sed quandocunque inter Ecclesias minimè invicem subordinatas res agitur, possunt cum diversa sentientibus & docentibus Concordiam colere Christianam. Id quod fecerunt & *Cyprianus*, & Ecclesiæ cum Eo *Africanæ*, Neminem rigidè judicantes, sed iisdem potius Ecclesiis unanimiter communicantes, quas in errore longè gravissimo versatas fuisse existimabant. Hunc in modum, & finem, Ecclesia nostra Anglicana ità Articulos temperavit, tanti tamque pacifica Moderatione passim adhibita, Verborúmque delecta cum admirabili, ut in iisdem nihil subtile, nihil superstuum, nihil fraudibus opportunum, aut litigiosum aspiam admiserit. Exemplo sit *Articulus de Vocatione Ministrorum Vicesimus Tertius.*

CAP.

CAP. XXV.

De Ecclesia.

§ 1. AB Ecclesiæ Ministris ad Ecclesiam (& vice versâ) Naturalis & ultronea Transitio se offert. Vox *Ecclesia* ἀπὸ τοῦ καλεῖν derivatur; quod vetus est Vocabulum, idem sonans quod καλεῖν, *vocare*. Unde particulâ ἐκ adjectâ, dicitur ἐκκλησία, quod est propriè *evocare*, ex universâ hominum Colluvie, ex qua eliguntur, evocantur, atque adeò separantur Ecclesiæ Filii. Vox cognata συναγωγὴ de *Primorum* & *Magnatum* conventu dicitur. Ἐκκλησία sive *Multitudo* de hominum Vulgo, sive promiscuâ Multitudine ex Agris aut Triviis congregatâ. Πολιτεία verò ad *Civis* spectat, qui certis legibus sibi invicem devincti Rempublicam Regularem ex se constituunt. Apud *Græcos*, præsertim *Atticos*, & specialiùs *Athenienses*, Ea hominum Multitudo per ἐκκλησίαν designabatur, quæ *Vocata* convenichat, nutu jussûque *Magistratûs*. Postmodum verò *Christiani* Vocem ab Ethnicis ereptam fecerunt *Suam*; sibique quasi de jure in quoddam Peculium vindicarunt, ad significandum Cœtum Sacrum ex universâ quasi Gentium Humani Generis evocatum. Prorsus ut Vox συναγωγὴ, à Profanis Authoribus mutuata, ad conventus *Israeliticos* Religiosos est applicata significandos. *Ecclesiæ Significatus Naturalis.*

Et Tropici. § 2. Post primum illum & *Nativum* hujus vocabuli significatum, *Tropicus* venit considerandus, qui quotuplex sit, satis arduum est dignosci. Præcipuos verò colligam, & ad Rem maximè facientes. Imprimis Hominum Multitudo Christianismum profitentes, atque cohabitantes, Corpúsque unum efficientes, utut non actu congregati, sed statis Temporibus congregandi, [a] *Ecclesia* sæpè nominantur; idque sparsim in *Actis* Apostolicis & in Epistolis *Paulinis*. Ex quo Metonymico significatu energiit Alius, quo Vox [b] *Ecclesia* pro *Collegio* accipitur, sive *Senatu Ecclesiastico*, ceu ex parte alicujus Ecclesiæ particularis selectissima, dicitúrque per Synecdochen Ecclesia *Representativa*, quemadmodùm prior *Collectiva*. Tertiò sumitur per *Metaphoram* pro [c] universa Credentium Multitudine inde usque ab initio ad finem Mundi, in quantum *omnes* verè *Fideles* congregabuntur olim in Cœlo, uti Gaudio simul & Gloriâ perfruantur sempiternâ. Hæc est autem quæ in *Symbolo Apostolorum Ecclesia Catholica* appellatur. Quarto [d] *Ecclesia* accipi potest tum pro Tota & Catholica respectu verborum subsequentium, tum pro Parte particulari respectu antecedentium. Quintò, communiter sed impropriè, & extra usum Scripturæ, *Ecclesia* denotat ipsam *Basilicam*, Ædificium illud Lapideum, quod *Templum* dicitur, sive *Dominicum Domicilium*, ubi Cœtus aliquis Credentium ad Cultum Dei peragendum coadunari consuevit. *Curia Christi* Vocatur à *Tertulliano*, ab Hebræis *Beth Midrasch*; *Domus Tradicationis*; Græcè vocatur κυριακὴ,

[a] Act. 8. 1, 3. & 9. 31. & 11. 22. & 12. 1, 5. & 13. 1. & Rom. 16. 4, 5, 23. & 1 Cor. 1. 2.

[b] Mat. 18. 17.

[c] Mat. 16. 18. Eph. 1. 22. Col 1. 18. 1 Tim. 3. 15.

[d] Act. 20. 28. *confer* Mat. 16. 18. *cum* 1 Tim. 3. 5.

μεταξὺ, (nimirum ὀικία, quæ subintelligitur,) unde *Kirch* apud *Germanos*, *Scotos* & *Anglos* ferè Appellatur. Excepto textu Scripturæ * *unico*, ubi *Ecclesia* nuncupatur ἐπισυναγωγὴ, Vox *Synagoga* à [f] *Christianis* repudiatur, partim ut à Conventu *Judæorum* discrimineur; partim etiam ut distinguatur à *Schismaticorum Conventiculo*, quod Vocabulum (ut & *Coitio*) in malam partem semper accipitur, prout *Ecclesia* semper in Bonam. Et quemadmodùm jure Canonico *Collegium Trez* efficiunt, ità constituunt & *Tres Ecclesiam*. Porrò ità distinguitur *Ecclesia Catholica* seu *Universalis*, respectu & *Temporis*, & *Loci*, ut *Militans* appelletur, & *Triumphans*. * *Una Ecclesia Vinculo Fidei & Charitatis* Multitudo Fidelium *in hac vita* dicitur; *post hanc vitam Consortio erit æternitatis*. Ecclesia quoque *particularis*, tam temporis quàm loci ratione, ità distinguitur, ut Alia sit *Veteris*, Alia *Novi* Testamenti, etiamsi in unicum Ecclesiæ Corpus, acceptum genericè, coalescant; & quæ vocatur [g] *Ecclesia Israel*, & quæ vocatur [h] *Ecclesia Gentium*. Ratione verò solius *Loci*, Ecclesia vel major, vel minor, vel minima dici queat, prout in aliqua vel Natione, vel Provincia, vel Civitate Deo colligitur, vel Domatim. Sicut enim in S. S. de Ecclesiis *Asiæ*, *Macedoniæ*, *Galatiæ* legimus, & similium; ità legimus de Ecclesiis quæ κατ' οἶκον collectæ sunt. Quales erant Ecclesiolæ illæ Domesticæ, & [k] *Archippi*, & [l] *Nymphæ*, [m] *Aquilæ & Priscillæ*, quæ secundum vim Nominis μετωνυμικῶς denominentur. Atque ex omnibus & singulis Ecclesiis hisce simul sumptis, una conflatur universalis.

* Heb. 10. 25.
[f] Apoc. 2. 9. & c. 3. v. 9.
* Aug. in Enchir. ad Laur. c. 56.
[g] 1 Reg. 8. 14, 22, &c.
[h] Rom. 16. 4.
[k] Philem. 2.
[l] Col. 4. 15.
[m] Rom. 16. 3, 5.

§ 3. Hæc

Titulis Variis insignitur.

§ 3. Hæc Ecclesia Universalis accepta indiscriminatim pro *Visibili*, & *Invisibili*, variis Titulis insignitur, quorum quæ sequuntur sunt præcipua. 1 *Corpus Christi.* 2 *Christi Sponsa.* 3 *Regnum Cœlorum.* 4 *Civitas Dei.* 5 *Domus Dei.* 6 *Vinea Domini.* 7 *Columba.* 8 *Mater nostra.* 9 *Columna Veritatis.* 10 *Sion* sive *Hierusalem.* 11 Et cum corpore suo Conjunctus, uti Caput cum membris, *Christus Ipse.* 1 *Cor.* 12. 12. *Eph.* 1. 23. Hi autem Tituli primariò *Ecclesiæ* soli *Invisibili*, sive *Mysticæ* competunt. Secundariò etiam *Visibili*, quatenus vera Ecclesiæ τυπμήρια retinet, vera symbola, notas, & characteres, utut Impios nimiò multos admixtos habeat. Quatenus est Ecclesia *Militans*, *Navis* est Illa jactatissima, sed semper salva. *Civitas* indies obsessa, sed nequaquam expugnata. *Luna laborans* sub Eclipsi, decrescens ad tempus, sed à Sole iterum illustrata. *Arca Noachi* quæ ex omni parte coangustata, Deum habuit Nauclerum. *Mulier Parturiens, ante quam stet Draco ut filium partum devoraret*, sed incassum; *Raptus enim est Filius ad Thronum Dei*, Apoc. 12. 4, 5. *Lilium inter Spinas*, sæpe lacerata, in Tuto semper. *Rubus ardens, non combustus.* Eodem modo Ecclesia Militans (ut *Hieronymus* interpretatur *Exod.* 3. 2.) *Premitur quidem, sed non opprimitur. Turbatur utique, sed non perturbatur. Tabernaculum in deserto*, quod quoties cecidit, suscitabatur; quotiesque cadet, suscitabitur. (*Amos.* 9. 11.)

§ 4. *Una*

§ 4. *Una* dicitur Hæc *Ecclesia*, in quantum *Christus* qui *Sponsus* Ecclesiæ dicitur, *sponsam* non habet nisi *unicam*; idque respectu *Unitatis spiritualis*, ad quam alluditur, *Cant.* 6. 9. Et quam emphaticè exponit Beatus [a] *Paulus*, Dum ab *uno Domino*, per *unum Baptisma*, in *unum Corpus*, sub *uno Capite*, *uno Spiritu* derivatam, profectam, redactam dicit & gubernatam Ecclesiam Christi, quæ *unam Fidem* profitetur, *Charitatis* constringitur & compingitur *unitate*, in *unam* denique *Hæreditatem* evocatur in Cœlis perpetim perfruendam. *Sancta* dicitur Ecclesia, quia [b] *Sanctum* ipsius *Caput* participem *Sanctitatis* Ecclesiam facit; Vocatione etiam *Sancta* à Mundi Colluvie separatur; *Sanguis Christi nos emundat ab omnibus peccatis. Ipse factus est nobis sanctificatio. Tradidit semetipsum pro Ecclesia, ut Illam sanctificaret.* Et qui reapse *Fideles* sunt, Sanctitati continuò student; sedulò Cordis Puritati navant operam promovendæ; Fructúsque Fidei omnimodos certatim exerunt uberiores. *Catholica* dicitur Ecclesia, partim respectu *Israeliticæ*, quæ ad unum aliquem locum, *Tabernaculum* aut *Templum*, atque ad *unam* illam *Gentem* (saltem ordinariè) videtur fuisse alligata. Partim respectu habito ad Ecclesias *particulares*, ex quibus ceu Membris totidem Ecclesia Catholica constituitur. Partim respectu universalis de Fide Christi Consensûs, quæ per totum terrarum Orbem aliquo pacto diffunditur, secundum regulam *Vincentii Lirinensis* celeberrimam. Partim respectu *Hæreticorum*, à verè Catholicâ se separantium, & procudentium

Præsertim in Symbolo Apostolico & Nicæno.

[a] Eph. 4. 3. 4, 5, &c. 1 Cor. 1. 10. Joh. 17. 21.

[b] Heb. 7. 26. Joh. 17. 19. 2 Tim. 1. 9. 1 Joh. 1. 7. 1 Cor. 1. 29. Eph. 5. 26.

Advers. Hæres. c. 3.

dentium sibi *Synagogas*, quæ *Ecclesias* totidem mentiuntur. *Faciunt favos* * *& Vespæ, & Ecclesias Marcionitæ*; sed non Ecclesiæ Doctrinam quæ est Catholica amplectuntur. Denique dicitur *Apostolica* Ecclesia Christi, partim quòd *ab Apostolis* per præconium Evangelii plantata est, & *sub Christo* fundata; partim quòd *eâdem* prorsus, quàm tradiderunt *Illi*, *Doctrinâ*, Ecclesia subsistit, & conservatur, & in secula seculorum est conservanda.

* Tertull. *adverſ.* Marc. *l.* 4.

Duplex aut Triplex dari protest Ecclesia Catholica Definitio.

§ 5. His præmissis tanquam præviis & sternentibus viam debitè ad Ecclesiam Dei definiendam, Duplex occurrit Definitio ex Differentia quæ intercedit inter *Vocatos*, & *Electos*, quos Quidam temerè confundunt, tametsi summa cum Cautela distinguit Christus; omniúmque interest maximoperè, ut *semper* & *sedulò* distinguantur. Quod quo fiat religiosiùs, *eundem* planè *Aphorismum* bis Auditoribus inculcavit *Ipsa Patris Sapientia* Salvator Mundi. *Multi sunt vocati, Pauci verò Electi.* Respectu habito ad *Vocatos* qua Tales, Ecclesia est Collectio seu Cœtus hominum Verbum Dei audientium, atque utentium Sacramentis à Christo Domino Institutis, in quo quicunque *non resistunt* Spiritui Sancto, *Renascuntur*, & Renati *inseruntur* ut Membra Capiti *Jesu Christo*, per externa quibus utuntur Internæ Gratiæ Instrumenta. Ideo autem interponitur *Conditio illa Non-Resistentia*, quippe in Cœtu Vocatorum Visibili illo & Externo, quàm plurimi sunt *Hypocritæ* cum ipsis *Electis* intermixti, à quibus in Die Discriminationis, tan-

* Mat. 20. 16. Mat. 22. 14.

tanquam *Paleæ* à *Tritico*, neceſſum erit ut ſegregentur. Quid enim aliud ſibi volunt [d] Parabolæ iſtæ & ſimilitudines, *de Serente bonum ſemen in agro ſuo, de zizaniis etiam ſatis in medio Tritici, de iis non colligendis ad Meſſem uſque, de tunc ligatis in faſciculos ad* * *exurendum, cùm ſolum Triticum in horrea cogendum erit.* De * *Sagena* in *mare jacta*, Piſces *cujuſlibet generis*, bonos & malos colligente, cui * *Regnum Cœlorum* (id eſt Eccleſia) appoſitiſſime comparatur. *Audiunt* omnes, *ſed* [f] *non obediunt Evangelio*, qui Chriſtianiſmum profitentur, & *Chriſtum ipſum* vel *maximè* videri cupiunt ſpirare.

[d] Mat. 13 24, 25, 26, &c. *ad verſ.* 30.

* περὶς τὸ κατακαῦσαι, &c.

* Mat. 13. 47, 48.

* *Verſ.* 49, 50.

[f] Rom. 10 16.

Reſpectu habito ad *Electos*, qui ità vocantur ut regenerentur, & Regenerati ità perſtant ut perſeverent ad finem uſque, & quos Deus ab Æterno prævidit ità perſeveraturos; Eccleſia eſt Hominum Collectio, Cœtúſve, Verbum Divinum & Sacramenta *Fide non fictâ* amplectentium, per quam tanquam per Inſtrumentum Internum divinitùs inſtitutum requiſitúmque, Chriſto Capiti inſeruntur, & ab eodem conſervantur ut glorificentur in æternum. Definitionis hujuſce ratio ex Verbis *Apoſtoli* ad *Timotheum* conſtare videtur liquidiſſimè. [g] *Quidam* (inquit ille de *Hymineo* & *Phileto*) *Quorundam Fidem ſubvertunt*; (útque exortis ex *illorum Defectione* offendiculis occurrat ſtatim & medeatur, ſubjungit illicò,) *ſolidum tamen fundamentum Dei ſtat, ſigillum hoc habens, Novit eos Dominus qui ſui ſunt.* Non dicit *nobis*, qui ſumus fraudibus opportuni, ſed *ſui Deo* innoteſcunt qui ſunt *Sui*. Ut minimè nobis mirari ſubeat, ſi hypocritas quandoque pro veris fratribus habeamus;

[g] 2 Tim. 2. 17, 18, 19.

beamus; nobis autem summoperè cavendum
* *Vers.* 19. est, ut Illorum dissimillimi * *secedamus ab Injustitia*, & reipsâ simus quod dicimur. Ecclesia hæc mystica sic in compendium definiatur; Cœtus hominum Electorum, quos Deus per Verbum & Spiritum vocat, è statu Peccati in statum Gratiæ, ad Gloriam in Cœlo sempiternam. Si quis autem utrosque simul, Vocatos atque Electos, uno ambitu Verborum complecti velit, Rotundiore Vocum Circuitu ut utatur necesse est. Ità enim Ecclesia, ex parte Visibilis, ex parte invisibilis, est Cœtus hominum è Seculo ad Regnum Dei congregatorum, per Evangelii Præconium, & Perceptionem Sacramentorum, in quo Cœtu sunt Electi in Christum credentes perseveranter juxta Dei præscientiam, quibuscum miscentur *non sinceri*, sed ejusdem & Fidei & Doctrinæ Professores.

Notæ Propriæ Ecclesiæ veræ, unde pro certo dignosci queat.

§ 6. Quia Cardo Salutis nostræ in eo vertitur præcipuè, ut Veram Ecclesiam penitùs, ac pro certo cognoscamus, Eidem Cognitæ adhæreamus, in eáque perpetim perseveremus; Ideo nostrâ cujusque interest, ut γνωρίσματα sive *Notæ* Ecclesiæ Veræ innotescant; non communes illæ & accidentales, quæ sunt proinde fallacissimæ, sed Notæ prorsus essentiales, perpetuæ & infallibiles, ex quibus notitia distincta oritur. Eæ autem non sunt innumeræ, ad distrahendum aptiores, quàm ad docendum, sed Duæ duntaxat ex *Articulo* Ecclesiæ nostræ Anglicanæ *decimo nono* colligendæ: *Pura Verbi Prædicatio, & legitima Sacramentorum* (quoad Ea quæ necessariò juxta Christi Institutum exiguntur)

guntur) *Administratio.* Quanquam sunt qui unâ illâ ex *Bellarmino* desumptâ contenti abeunt. Nempe *Doctrinæ Sanctitate, quæ nihil falsum quoad fidem doctrinæ continet; nihil injustum quoad fidem morum.* Omissis Altercationibus, quæ ex notis valde incertis, otiosis, miniméque adæquatis in infinitum inutiliter oriri solent; Acquiescamus Notis illis, quæ *Soli* & *Semper* Ecclesiæ veræ conveniunt, Eámque à cæteris quibuscunque, *Judaicis, Ethnicis,* atque *Hæreticis* plane distinguunt. Id quod præstant sufficienter & *Evangelii Prædicatio,* & *Administratio Sacramentorum*; quæ cum sint *puræ,* atque *legitimæ,* officium Ecclesiæ [h] maximè proprium in se videntur absorbere. Ecclesia scilicet ex usu Divini Verbi & Sacramentorum, & *eorum* trahit, & *Augmentum,* & in Orthodoxia *perseverantiam.* [i] *Per Evangelium Vos genui* (inquit Apostolus ad *Corinthios,*) [k] *Renati ex semine immortali per Sermonem Dei vivi.* [l] *Nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non potest introire in Regnum Dei.* [m] *Per lavacrum regenerationis servavit nos,* &c. [n] *Unum Corpus Multi sumus; nam omnes ex uno illo Pane participamus.* Huic rei testimonium non *Antiquissimi* tantùm *Patres* perhibent, sed *Romanenses* nonnulli moderniores & moderatiores. Vir consultissimus *Cassander* disertè asserit *has duas* præcipuas Ecclesiæ Notas, sed *Tertiam* * addit, *Obedientiam Ecclesiæ Præfectis debitam*; quemadmodùm additur ab Aliis, *Calvino* celebri addictissimis, *Disciplinæ Ecclesiasticæ* † *Exercitatio.* * *Nos fatemur* (inquit *Gregorius de Valentia,*) *neque veritatæ Doctrinæ, neque legitimo Sacramentorum usu*

[h] Mar. 28. 19. Mar. 16. 15, 16.
[i] 1 Cor. 4. 15.
[k] 1 Pet. 1. 23.
[l] Joh. 3. 5.
[m] Tit. 3. 5.
[n] 1 Cor. 10. 17.
* Cassand. *Consult. ad Art. 7. p. 48.*
† Alting. *Par. 1. loc. 11. p. 90.*
* Greg. *de* Val. *Tom. 3. Disp. 1. q. 1. Punct. 7. § 18. Confer Librum Interimisticum c. 10.*

usu Ecclesiam Christi carere posse; & apud quos Hæc omninò sunt salva, ex iis constare Ecclesiam veram. Et ubi *dua* vel *tres* sufficiunt Notæ characteristicæ, inutiliter Notæ Quindecim à Cardinale *Bellarmino* Eminentissimo enumerantur.

Quousque Ecclesia sit indefectibilis.

§ 7. Ex novissimè jam Dictis, *Porismata* saltem *duo* videntur mihi liquidò deduci posse. Imprimis Ecclesiam verè Catholicam nunquam ità errare posse, ut non Aliqui semper supersint, qui simplicem Evangelii sequuntur Ductum; & Retento Salutis Fundamento per impeditissima Ecclesiæ Tempora, Virtute Dei per Fidem vivam ad Vitam æternam custodiuntur. Huic Porismati fidem faciunt Ipsius *Christi Promissiones*, ° *quod Portæ Inferorum Ipsius Ecclesiam non superabunt.* Quòd *cùm Ecclesiæ Pastoribus in omne tempus futurus est.* Quòd *fieri non* * *potest*, ut totaliter & finaliter *Electi Dei seducantur*, utut finaliter seducantur *Vocati* Plurimi. Adhuc quòd Verbum, & Sacramenta, & Capita Fidei Catechetica, in statu Ecclesiæ perturbatissimo, fuerunt cœlitùs custodita. Non excipio calamitosam Ecclesiæ faciem, quæ sub *Diocletiano* priores singulas superavit, forsan etiam & universas. Ità enim tunc temporis sævitum est in *Christianos*, ut intra Tres duntaxat Dies, 317000 ad exquisitas neces raperentur; ità ut Sanctus *Hieronymus* mirari se diceret, *suo adhuc seculo fuisse Reliquias Christianorum repertas, ob persecutionum antecedentium immanitatem.* In Cryptis tamen & Cavernis jam tum delituerunt Ecclesiæ Filii Integerrimi; Prorsus ut *Elia* afflictissimi ætate

° Mat. 16. 18.

Mat. 28. 20.

* Mat. 24. 24.

ztate 9 *septem millia Fidelium Deus sibimet re-* 1 Reg. 19.
servavit. Quid Multa? Articulus Symboli Apo- 18.
stolici, *Credo Ecclesiam Catholicam*, semper manſit, jam manet, ſempérque manebit inconcuſſa.

Alterum *Poriſma* ſic habet ex Verbis *Ec-* 9 *nunquam*
clesiæ Anglicanæ. [" Sicut erravit Eccleſia *Erroribus ob-*
" Hieroſolymitana, Alexandrina & Antio- *noxia*.
" chena; ità & Erravit Eccleſia Romana,
" non ſolùm quoad agenda, & Ceremonia-
" rum Ritus, verùm in iis etiam quæ cre-
" denda ſunt.] Et quod *factum eſſe* Ipsâ Experientiâ Magiſtrâ conſtat, Multíque fatentur vel *Pontificii*, de Eo in Irrita diſceptatur, *an fieri queat*. Rem pauciſſimis abſolvam. Oportet ut Eccleſiæ cujuſcunque *Infallibilitas*, oſtendatur per *Media*, quæ ſunt ipſa *Infallibilia*. At quæ in loco Infallibilium à *Romanenſibus* ponuntur, ſunt vel Sacræ Scripturæ, vel Traditio Oecumenica, vel Concilia Generalia. A quorum Nullo, quod Sciam, Argumenta *Infallibilia* prætendi poſſunt. Si quod Promiſſum *Conditionale* aſſerri queat, ex hypotheſi Progreſſûs ſecundum Divinam Voluntatem, abſque omni præjudicio, aut Partium ſtudio,) probandum incumbit allegantibus Promiſſum illud, quòd Aliqua ſaltem *Infallibilitas* præſtandarum Conditionum, Eccleſiæ ſuæ, ſibi ve ſuppetit. Sed Multis adductus argumentis *Cuſanus* dixit, (Scriptor licèt *Pontificius*,) * *Notandum eſt verum Experimento, Concilium univerſale poſſe deficere*. Dixit etiam *Panormitanus*, quòd *In fidem concurrentibus, etiam unius Privati Dictum Dicto Papæ aut totius Concilii eſſet præferendum, ſi melioribus Argumentis Privatus Ille moveretur*. Nunquam immodeſtiùs Erratum eſt, quàm à

* Cuſan. *de Concord. Catholi. l. 2. c. 14.*

Panorm. *parte prima de Election. & Elect. Poteſt.*

Concilio *Constantiensi*, (quod *Generalibus* annumeratur à *Bellarmino*,) dum * *non obstante Christi Praecepto, in Sacra Coena instituendo, & Praxi Primaevâ non obstante, Calicem tamen Eucharisticum decrevit Laicis denegandum.* Nunquam apertiùs aut periculosiùs, quàm à *Concilio Tridentino*, dum Articulis Fidei Apostolicis, Duodenario numero comprehensis, *Alios Duodecim* superaddidit è Penu suo, sub eadem Interminatione Divini Judicii recipiendos; & cum *Certissimo Verbo Dei*, *Apocryphos* Codices aequiparavit. † *Marci Ephesii* Verba, hoc in loco, notatu quidem sunt dignissima, Ἀλλὰ τῆς αἰτίας μόνους τοῦ χρήματος, ἔτι ἐν ἡ ἐν τῷ Συμβόλῳ προσθήκη, ἡ ἐξ τὴν ἀγάπην διαλύσουσα, &c. *Manente Causâ Schismatis, Additamento sc. in symbolo, consentaneum erat, nec Pacem ipsam subsequi*, &c. Dictum est etiam ab Eodem, quantum Damni attulisset Ecclesiae Dei Haec Licentia immutandi, quâ sunt usi *Nostriani ad Nicaenum Symbolum depravandum*, cui nihil addendum statuisset *Concilium Tertium Oecumenicum Ephesinum.* Δῆλον γὰρ ὅτι τῷ τελείῳ οὐδὲν ὑπόλειπεν. Et *Quartum Concilium* Generale *Chalcedonense* definivit, τὸ εἰς ἔτι δὲ ὅλον ἄγιον σύμβολον μένειν ἀκατάποιητον. *Neque enim fas est*, (inquiebat *Johannes* * *Patriarcha Constantinopolitanus* in Synodo *Quinta* Generali) *quidquam dimovere*, —— *sed animum adjicere ad Sacrum Symbolum, in quo baptizati omnes sumus, quod Nicaena Synodus cum Spiritu Sancto edidit; Constantinopolitana approbavit; Ephesina Confirmavit; obsignavitque Chalcedonensis.* —— *Hanc igitur Fidem inconcussam Tenentes* (pergit ad Populum Patriarcha) *nulla inter Vos dissidia facite, sed omni novitate* &

* *Concil Constan. circa annum 1415. Sess. 13. p. 880. T. 3. Par. 2. Bin. Edit. Colon. Agrip. 1618. v. & Bullam Pii Quarti, Bin. Edit. Paris. T. 9. p. 444.*

† *Conc. Florent. T. 8. Bin. p 580.*

Ib. p. 588.

Ibid.

Ibid. p. 191.

* *Ibid.*

& nugaci disceptatione abjectâ, uno ore glorificemus Sacrosanctam Trinitatem, & Consubstantialem.

§ 8. Ecclesia, utcunque non Infallibilis, est tamen adeò *Autoritativa*, ut *Testis* sit, & *Custos*, & *Conservatrix* Librorum Scripturæ Sacræ. Neque Sacræ Scripturæ omninò officit, detrahitve, quòd dixit *B. Augustinus* adversus *Manichæos* disputaturus, *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret Autoritas.* Nequaquam enim inde sequitur, Majorem esse Ecclesiæ, quàm Evangelii Autoritatem; sed inde sequitur potiùs Contrarium. Ut longè Major erat *Christi*, quàm [a] *Mulieris* αὐθεντία, cui credebant *Samaritani* Testimonium de Christo perhibenti. Postea verò † *non ampliùs* (dicebant iidem Samaritani, eandem Mulierem alloquentes,) *propter tuos Sermones credimus; Nam ipsi audivimus & scimus hunc esse verum Servatorem, illum Mundi Christum.* Fidem primitùs *incheandam*, suis initio adminiculis, *Ecclesia adjuvat.* Fides tamen *corroborata* ipsis *Scripturæ* fundamentis innititur *firmiùs solidiùsque.* [b] Firmamentum Veritatis *Ecclesia* dicitur, & Columna, non respectu Veritatis *per se* consideratæ, quæ ad Sui certitudinem Ecclesiæ testimonio nequaquam eget; sed respectu ipsorum *Hominum*, in quorum summam utilitatem, Ecclesia Christi Catholica, (fidelis instar Protobibliothecarii,) Veritatem *custodiit* salutiferam, atque signaculis Martyriorum per omnia secula confirmavit. " Ità enim *Ecclesia* Dei est *Verbo Divino* alligata, *ut* " *neutiquam ei liceat*, aut quicquam instituere

Autoritas Ecclesiæ, & Conciliorum Generalium, Quanta sit. Aug. *contra Epist. Manichæi, c. 5.*

[a] Joh. 4 39.

† *Vers.* 42.

[b] 1 Tim. 3. 15.

Angl. Eccl. Conf. Art. 20.

" quod Verbo Dei adversetur; aut unum
" Scripturæ locum sic exponere, ut alteri
" contradicat; aut, præter Scripturæ Libros,
" credendum quicquam obtrudere de neces-
" sitate Salutis. Id quod etiam dici debet de
Concilijs Generalibus vulgò dictis, ex mente
Art. 21. *Ecclesiæ Anglicanæ*; " Quæ sine Principum
" Jussu & Voluntate congregari non possunt;
" & ubi convenerint, quia ex hominibus con-
" stant, qui non omnes Spiritu & Verbo Dei
" reguntur, & Errare *Possunt*, & interdum
" *Erravunt*, etiam in his quæ ad Normam
" Pietatis pertinent. Ideoque quæ ab illis
" constituuntur ut ad Salutem necessaria, *ne-*
" *que Robur* habent, *neque Authoritatem*, nisi
" ostendi possint è Sacris Literis *esse desumpta*.
Quapropter hyperbolicè censetur dixisse *Gregorius Magnus*, Se quatuor priora Concilia Universalia, secundum quatuor Evangelistas, in summa habere reverentia. Quorum unum (*Chalcedonense*) Ambitionis simul & Temeritatis à *Papa* * *Leone* postulatur. Nec *Bellarmini Distinctiones* inter Concilia Generalia (secundum se) sunt sicco pede prætereundæ. Nempe *distinguit* † Vir insignissimus, vel potius *dividit*, in Bona, & Mala; in Recipienda, & Rejicienda; in *Approbata* partim, & partim *Reprobata*, &c. Unam è multis non pigebit in medium producere Instantiam. Inter *Viennense*, & *Florentinum*, *Paulus Quintus* interponit (in quarto suo Conciliorum Volumine, excuso Romæ A. D. 1612.) Concilium *Constantiense*, Schismatis extinguendi causâ congregatum, quo jam diu Ecclesia Romana, in Tres Partes divisa, plus quàm miserrimè laborabat; & quis Verus esset Pontifex, in promptu

* *In Epist* 53. *ad* Anatol. 54. *ad* Martian. 55. *ad* Pulcheriam.

† Bellar. *Disp.* To. 1. *l.* 1. c. 5. p. 1097, 1098. *Excus. Ingolst. A. D.* 1590. *confer l.* 4. c. 2. § *ult. de Laicis. & l.* 3. c. 30. *ubi* Evagrius *in eum sensum citatur.*

promptu dicere non erat. Veruntamen inter *Approbata* Hoc Concilium non admittit Eruditissimus Cardinalis. Sed hunc in modum de Eo loquitur: *Partim Confirmatum, partim Reprobatum est Constantiense. Patrum ferè Mille, ex quibus Episcopi 300 amplius. A. D.* 1414. inchoatum, finitum Anno 1418. *sub Martino V. & Sigismundo Imperatore.* Quantum ad Primas Sessiones, *ubi definit Concilium esse supra Papam, Reprobatum est in Concilio Florentino & Lateranensi ultimo.* Quantum ad Ultimas Sessiones, est à *Martino comprobatum*, & receptum à Pontificiis. Addit doctissimus *Bellarminus, Generale nec Approbatum nec Reprobatum videtur esse* Concilium illud *Pisanum*, quod *deposuit Gregorium XII. & Benedictum XIII.* Asserit S. *Antoninus* *, *Conciliabulum illegitimum hoc fuisse; Coactum enim ad Schisma tollendum, illud auxit. Et nihilominus si fuisset absque dubio Reprobatum, Alexander Sextus* non se *Sextum*, sed *Quintum* potius appellavisset. *Ubi supra p.* 1108. * *Part.* 3. *Tit.* 22. *c.* 3. *§* 2. *& 3. Summa Historialis.* *Ibid. p.* 1109.

§ 9. Ecclesiæ *Caput* Infallibile est *Solus Christus.* Nam *soli Christo* in Sacris Literis hic Titulus attribuitur. *Solius Christi*, non Petri, nedum Episcopi Romani, *Ecclesia Corpus* est mysticum. *Christus solus*, non Papa, *Corporis sui* (quod est *Ecclesia*) *Salvator* audit, existitque. Ex *Christo solo* totum Corpus coagmentatur & compingitur. [c] *Christus est Ecclesiæ*, quod *Caput Corpori*, Gubernator, & *Princeps*, & vitæ *Principium*. [d] *Pedibus ejus Deus subjecit omnia, eumque Caput constituit super omnia ipsi Ecclesiæ*, quæ est Corpus ipsius & Complementum, &c. [e] *Is Salutem dat Corpori.* *Ecclesia quoad Caput Infallibile fallì nequit.* [c] Col. 1. 18. [d] Eph. 1. 22, 23. [e] Eph. 5. 23, 24.

Corpori. Sincerè nos gerentes in charitate,
f Eph. 4. 15, 16. f *Adoleſcamus in eum qui eſt Caput, nempe Chriſtus; ex quo totum Corpus congmentatum & compactum —— incrementum capit Corpori conveniens,* &c.

Hinc apparet *Injuriam* ſummam, (per ſummam *Adulationem*,) Pontifici Romano illatam eſſe *à Pontificiis*, qui dum *Chriſto æqualem* faciunt, inviti efficiunt *Antichriſtum*, quod valde nolumus evenire. Quid aliud agit *Bellarminus*, dum in ſua, in *Librum ſuum de Pontifice Romano, Præfatione*, tam magnificè *de Papa*, quàm Nos *de Chriſto*, Sententiam fert? *Etenim* (inquit Ille) *de qua re agitur, cùm de Primatu Pontificis agitur? Breviſſimè dicam, de Summa rei Chriſtianæ; Id enim quæritur, debeátne Eccleſia diutiùs conſiſtere, an verò diſſolvi, & concidere.* Quomodo autem (Deus Bone!) inter ſe *diſſident* & *diſſentiunt* ejuſdem Romanæ Religionis *Eccleſiæ Integræ, Maximaque*, de *Bellarminiano* hoc *Cardine* Totius Rei Religioſæ! Contendunt Eccleſiæ quantæ quantæ perinde *Hiſpanicæ* atque *Italicæ*, de omnibus Fidei Controverſiis, vel Quæſtionibus circa Fidem, *Papam* eſſe Supremum Judicem & Infallibilem, Chriſtique munitum Autoritate omnibus numeris Abſoluta, adeóque ex æquo irrefragabili: è contrà *Eccleſiæ Gallicanæ*, latiſſimè longiſſiméque quà patent omnes, de Cathedra ſua Infallibili *deturbant Papam*, & uſque adeò obnoxium Statuunt, tam Errorum ſuppliciis, quàm Erroribus, ut ſi Concilii Generalis ſive de Fide ſive de moribus Sententiæ latæ ſubeſſe nolit, aut obedire recuſaverit, pro *Schiſmatico* atque *Hæretico* habendum conclamitent,

clamitent, & propterea *deponendum*. Hæc autem unica Controversia (inquit Doctissimus *Davenantius*, *in sua Sententia Dureo missa*,) *majoris est momenti, quàm sunt omnes de quibus inter se litigant Protestantes, si in unum conglobentur*. Nullum tamen (inquit) in hac pugna opinionum, Fraternæ Communionis inter dictas Ecclesias Divortium est. Unde infert *nostrum esse, ab omni Schismatico pravitate abhorrere*; Atque cum Membris quibuscunque, à Capite Christo nondum disjunctis, fraternam colere Communionem. P. 14,15,16.

Quanta Ecclesiæ sit Auctoritas in rebus Fidei dijudicandis, finiendisque Controversiis, breviter & satis, sed de satis dixisse videor *cap. 2. de Scriptura*, § 10.

CAP. XXVI.

De Ordine Politico, sive de Magistratu & Subditis.

Ratio Ordinis & Respectus utriusque Hierarchiæ.

§ 1. QUum Ecclesia Dei in terris ex duplici constet Hierarchia, Ecclesiastica & Civili, de quarum priore actum est; De posteriore Hierarchia (ordine satis convenienti) imprœsentiarum agendum erit. Nec enim minus jure divino Magistratus constituuntur, quàm Sacerdotes. Ordo Politicus non minùs ab ipso Deo ordinatus, quàm Clericalis. Æquum est nempè ut Sponsa Christi, quæ est Ecclesia, (adinstar Lilii inter Spinas,) duplici gaudeat & muniatur & propugnetur satellitio; altero Ministrorum à parte ante, altero Magistratuum à parte post. Nam Illi colligunt Ecclesiam, quàm Hi conservant. Illi versantur in Spiritualibus, quæ ad Cœlum consequendum directè faciunt; Hi in rebus secularibus, quæ in æternam hominum salutem indirectè saltem conducunt. Illi pacem internam His & Subditis suis dispensant; Hi externam tranquillitatem civilemque justitiam Illis & omnibus administrant. Illi hominum animabus & conscientiis; Hi corporibus eorundem, facultatibus etiam, & famæ tutamen præstant. Illi *gladio Spiritûs*, & *Clavis ligantis* exercitio, coercent impios, & contumaces; crimina arguunt interiora, ipsásque cordium immunditias; Hi dun-

duntaxat seculari mucrone feriunt immorigeros, & in suppliciis irrogandis externa tantummodo respiciunt vitia. Utrique divinitùs instituuntur. Utrique Deo potestates acceptas ferunt. Utrique Dei sunt Ministri, Συνεργοὶ, Legati, Locum tenentes. Utrique Bonorum μισθαποδόται, Malorum Vindices. Utrique sibi mutuas ferunt operas referúntque. Nam & Sacerdos Magistratui Populum reddit obsequentissimum, atque Censura Ecclesiastica civili Brachio corroboratur.

§ 2. Facilè contra Anabaptistas Magistratuum jura asseruero, si demonstravero Magistratum divinitùs esse constitutum. Illud autem effectum daturus videor, tum *Scripturarum* testimoniis, exemplísque à Deo comprobatis, tum momentis *Rationum* fidem facillimè facientium. *Magistratûs Origo, & Necessitas.*

Beatus *Paulus* agmen ducit, disertis verbis asseverans, quòd *non est Potestas nisi à Deo. Potestates à Deo sunt Ordinatæ. Qui resistit Potestati, Dei Ordinationi resistit.* Distinguit Apostolus accuratè inter *Personas* tyrannorum Magistratu suo abutentium, (contrà quos Propheta dixit, *Ipsi regnaverunt, sed non ex me; Principes extiterunt, sed eos non cognovi;*) Ipsúmque *Officium* sive munus, quod mali occupant, & quo funguntur, Quod nihilominùs *Ordinatio Ipsius Dei* non esse desinit. In hac divina *Ordinatione*, (non sufferentiâ duntaxat, aut permissione,) Quatuor Dei Attributa videntur liquidò elucere. Nimirum *Bonitas, Potentia, Sapientia, Justitiáque.* Primæ est, in usum humani generis Politicum Ordinem introduxisse. Secundæ, Multas hominum

Rom. 13. 1. &c.

Hos. 8. 4. quicum confer Jer. 23. 21.

minum Myriades in Unius obsequio retinere. Tertiò, negotia impeditissima stupendâ solertiâ administrare. Quartò, Pios præmiis, improbis Pœnas irrogare. Qui Magistratui huic resistit, ita cœlitùs instituto, (cui *non modò propter iram, sed propter* * *conscientiam* parendum est,) & Conscientiam suam sauciat vulnusque in præsenti, & pœnas insuper de futuro accersit sibi sempiternas. Ex his effatis Apostolicis Scripturas reliquas quascunque in proclivi erit interpretari. *Non haberes potestatem adversùs me ullam* (inquit Christus ad *Pilatum*) *nisi tibi desuper datum esset.* *Per me Reges regnant*, (inquit Verbum Hypostaticum) & *Principes obtinent Principatum.* *Ipse* (inquit Propheta *Daniel*) *& mutat reges, & statuit eos.* *Audite Reges & intelligite*, (inquit Sapiens ille Apocryphus) *discite Judices finium terræ; quoniam à Domino potestas vobis est data: & ab Altissimo dominatus.* Quid, quòd inter alios Magistratûs Titulos competentes in Sacris Literis, & [a] Clypeus, & [b] Caput, & [c] *Fortes* capitis, Nec [d] *Unctus Domini* dumtaxat, verùm etiam quandoque vel * *Deus* dicitur? ob hanc potissimùm rationem, quia divinæ providentiæ minere Dei Vice defungitur. Nec desistimus Exemplis à Deo datis comprobatisque. [e] *Ipse Joseph Dominatorem in omni terra se fecit esse.* Deus [f] *Mosen*, & [g] *Josuam*, & [h] *Judices*, & [i] *Judices*, in Dominos dedit *infantibus.* [k] *Deus dat Saulem in furore*; & *Davidem manu Samuel* [l] justu Dei diligentissimo. *Deus* [m] *elegit Salomonem*, ut in *Throno regni sederet.* Et verissimè in Edicto rescripsit Cyrus, *Dominum* [n] *Deum Cœli regna sibi concessisse.*

Joh. 19. 11.
Prov. 8. 15.
Dan. 2. 20, 21
Sap. 6. 1, 2, 3.
* Rom. 13. 5.
[a] Psal. 47. 10.
[b] Num. 1. 16.
[c] Deut. 33. 20
[d] 1 Sam. 24. 7
* Psal. 82. 6.
[e] Gen. 45. 8.
[f] Jos. 2. 4.
[g] Jud. 2. 2.
[h] Jud. 2. 16. & 3. 9. & 4. 4.
[i] Hos. 13. 11.
[k] 1 Sam. 16. 12, & 21. 4
[l] 1 Chro. 29. 5.
[m] 2 Chro. 36 23. Dan. 5. 18.
[n]

Mo-

Momenta rationum ex Sacris Literis deducturum afferri possunt complura, ad hactenus dicta confirmanda. Sufficiat singillatim ipsius Sacræ Antiquitatis indigitare, quales sunt judicia plane divini [o] admissibilitatio: [p] Sacrum ipsum Magistratuum conducibilium Suppeditatio: [q] Injunctum Magistratui illatarum Vindicatio: [r] Officiorum determinatio, & in partes variæ distributio: [s] Cœlestis planè & miranda Magistratûs in Mundo Conservatrix Societatis humanæ ratio, quæ Ordinem exigit Naturæ legibus congruentem. Ità scilicet [t] Deo cum natura universali est comparatum, ut Ipsum Ipsa Rectorem habeat, ubique cujus Providentia nec ad momentum quidem subsisteret. *Quoniam Natura* (inquit [*] *Cicero*) *quæ non est simplex, sed cum alio nexuque conjuncta, necesse est habere aliquem Principatum.* Unde & Apes, & Grues, suum habent gubernatorem qui Decorum illis præsidet. Multo potiùs habebunt homines, *quos natura fictos esse voluit*, ad Societatem non aliis à Deo factis. At ubicunque est Societas, ibi oportet esse aliquem, qui reliquis omnibus antecellat. Ideóque non sivit tantùm, sed † *jussit* Deus id ipsum quod *Judices* fuerit, ut *Judices* & *Præfectos*, *Vivos fortes*, *cupientes timentes Deum*, *odio habentes mendacium*, *in eos ultus Pœnas constituerent*. Recte igitur *Tertullianus*, *Judex est*, inquit, *homo Dei, medius inter Deum & hominem, constitutus à Deo pro tribunali, medius & Spiritus.* Et —— *maximè necesse est, ut sapientissimus Imperator, ut suum quem Dominum nostrum elegit, ut maximè dixerim, Magistrum esse malit Cæsar, ut & Nostrum Deo confitetur.*

[o] Deut. 1. 17. 2 Chro. 19. 6, 15.

[p] Num. 11. 16, 17. Jud. 3. 10.

[q] 1 Sam. 8. 7. Deut. 16. 18, 19. Ps. 2. 10.

[r] Psal. 21. 1. Prov. 24. 21.

[s] *De Natura Deorum l.* 2.

Arist. *Polit. l.* 1. c. 2.

† *Confer* Exod. 18. 22. cum Deut. 16. 18.

Tertul. *in Apol. c.* 30.

Ibid. c. 33.

§ 3. Duplex

Derivatio ad hominem è supernâ.

§ 3. Duplex est autem haec divina ad Magistratum Promotio aut Advocatio; vel Immediata, & extra ordinem, qui quandoque Egregios quosdam ex vulgo hominum Deus evocat, excitátque, Donis instruit peculiaribus, Autoritatem & venerationem apud Subjectos suos conciliat; vel Mediata & Ordinaria, qui per Ministros, quibus jus delegat Magistratum eligendi constituendique, ad augustum illud fastigium nonnullos nominat, sive designat. Priore modo Deus vocavit [a] *Mosen*, [b] *Josuam*, [c] *Othonielem*, [d] *Gideonem*, [e] *Samsonem*, [f] *Saulem*, &c. Quorum divinam Vocationem placuit Deo vel miraculis, vel donis quibusdam miraculosis, vel felici rerum successu, quasi cœlitùs asserere, omnibúsque suis Subditis testatam facere. Posterioris Vocationis exempla sunt ubivis obvia. Et Varii admodum sunt modi tam liciti, quàm illiciti, quibus ad apicem Magistratûs varii homines evehuntur. Triplex autem est modus Magistratum licitè obtinendi, per *Electionem*, per *Successionem*, per non iniquam *Occupationem*.

[a] Exod. 3. 10.
[b] Deut. 3. 28.
[c] Jud. 3. 9, 10.
[d] Jud. 6. 14, 16.
[e] Jud. 13. 25.
[f] 1 Sam. 9. 16, 17. 1 Sam. 16. 11, 12.

Per Electionem.

Electio vel per *suffragia*, vel per *sortem* fieri potest. Suffragia sunt vel *prorsus liberæ*, vel ad certas quasdam Personas, certúmque ordinem limitata. Regis enim Electionem [g] Deus ipse certâ lege ad certum Populum restringit. Imperator *Carolus Quartus* in Aurea Bulla sancivit, nequis alius ad fastigium istius Imperii eveheretur, quàm qui se probare posset ex *Germano* sanguine oriundum: è contrà apud *Polonos*, Peregrinum, æquè ac Indigenam, ad Regnum eligi posse de-

[g] Deut. 17. 14, 15, &c.

Schleidan *in Hist. l. 1. ad Annum* 1519.

decernitur, ad Æmulationem dubio procul inter Indigenas præveniendam. Electio legitima Magistratûs quandoque fit à * Superioribus, ut quando Præsides Provinciarum, Duces belli & Præfecti ab ipsis Regibus eliguntur. Quandoque verò ab Inferioribus, ut quando [b] *Omnis Israel ad Davidem in Hebron congregabatur.* Ità denique hæc Electio Magistratûs est expedienda, ut religiosè Sanctóque auxilium Dei invocetur; ut incorruptè & absque ambitu suo cuique Eligentium libertas maneat; útque Dignitas Digniori in quantum digniori à suffragantibus deferatur.

* Gen. 4. 41. 2 Chro. 19. 5.

[b] 2 Sam. 5. 1. 1 Chro. 11. 1.

Successionis jus conferunt, vel *sors nascendi*, vel *Agnatio*, vel *Despensatio* in connubiis, vel Pecuniæ interventu, quæ *Emptio* dicitur, vel *Oppignoratio*, vel *Commutatio*, vel *Donatio*, quæ inter vivos est, vel *Dispositio Testamentaria*. Cujus novissimæ speciei exemplum occurrit in *Davide*; qui filium suum *Salomonem* (natu majoribus prætermissis) testamentario quodam jure hæredem scripsit. Ità *Attalus* Rex *Pergami*, & *Nicomedes Bithyniæ* Rex, hæredem suum instituerunt Romanum Populum.

Per Successionem.

1 Reg. 1. 33.

Justin. *l.* 36. Eutropius *Hist. l.* 6.

Occupatio fit justa per Bellum licitum justúmque. Cujusmodi jure *Israelita* Tetram *Cánaan* occupaverunt, quam constat ex libro *Josuæ* divinitùs iis promissam esse. Quo autem jure quibúsve legibus Bellum cum hostibus sit gerendum, ex Dei præscripto edocemur, *Deut.* 20. 10, 11, 12, &c.

Per Occupationem.

Qui illicitè Magistratum acquirunt sibi, aut pellem Leoninam, aut Vulpinam induunt, prioris modò *Nimrodus* (*fortis Venator* exinde dictus)

Gen. 10. 8.

Jud. 9. 5. dictus) invasit Regnum, & *Abimelech* à cæde fratrum suorum septuaginta, imperium suum est auspicatus. Posteriore modo *Absolon regnâsse dicitur in Hebron.* Dixitque *Justinus* de *Semiramide*, quòd *regnum fraude acquisitum, largitionibus confirmaverit.* De Imperiorum licitatoribus (in quorum numero & *Sulpicius* & *Julianus* ità eminebant, ut militibus vicena sestertia singulis sese daturos esse sponderent,) *Alexander Severus* præclarè dixit, *Necesse est ut Honorem qui emit, vendat. Et Ego non patiar Mercatores Potestatum, quos si patior, damnare non possum.*

2 Sam. 19. 2, 3, 4. &c.

Dionys. l. 73.

Ælius Lampridius in ejus Vita.

Per Sortem.

Magistratûs Electio *ordinariè* non est *sorti* concredenda. Quia *fortuna* Rem permittere, in qua *consilio* opus est, videtur esse Temeritatis. Fortuna inter Idoneum ad Reip. Clavum capessendum, & Ineptissimum, non distinguit. Electio denique per Sortem fraudibus variis sæpe exponitur; qualis fuit *Hinnitus Equi*, quo Darius Electus est. Sed casibus extraordinariis Magistratûs Electio etiam per sortem commodè queat expediri. Ut quando duo plurésve de summa rerum contendunt, neque unus sine gravissimo Reip. præjudicio præferri potest; aut quando duo plurésve ità sunt ex æquo digni, ut uter eligi sit dignior, versetur prorsus in ambiguo, dissidia per sortes præcludi queant. Sic *Alexandri* Successores ideo pacificè, quia per sortes, inter se regna provinciásque sortiti sunt.

Definitio sive descriptio tam in abstracto quàm in concreto.

§ 4. Quum Ordo politicus in genere sit status à Deo Ordinatus, ex Superiore ac Inferioribus, distinctis munerum speciebus, sibi in-

invicem devinctis, perpetuò constans, & propter tranquillitatem salutémque humani generis institutus; Magistratus in abstracto ità definiri queat, ut sit *Potestas supereminens à summo Numine ordinatus, non incassum gladium portans, sed ut malè agentibus Terrori sit, benè agentibus verò laudi; Cui honorem, timorem, tributa, preces, subjectionem, oportet à subditis exhiberi, non solummodò propter iram, verùm & propter conscientiam, ut cum omni pietate & probitate, quietam placidámque traducant vitam.* " In concreto consideratus, Magistratus est Persona divinitùs vocata & constituta, potestate ferendi leges, judicia publica secundum leges exercendi, pœnas legum Violatoribus infligendi prædita & armata, ut externa flagitia coërceantur, Justitia ubique administretur, & Tranquillitas Reip. sarta tecta præstetur. Vel *Politicus Magistratus* (ut in compendium quod res est dicam) *est ideò à Deo Ordinatus, ut in externa hominum societate utriusque Tabulæ Decalogicæ fidelis sit Custos. Quem in finem gladio cinctus, in quacunque* [illegible] *Minister Dei in iram, vitæ & necis potestatem de jure possidet.*

Rom. 13. 1, 2, 3, &c. 1 Tim. 1, 2, &c. 1 Pet. 2. 13, 14, &c.

Deut. 17. 18, 19. Jos. 1. 8.

§ 5. Ex hactenus Dictis est colligere, quodnam & quotuplex sit officium, quod incumbit Magistratui per gratiam Dei obeundum. Ad Magistratum inprimis spectat, Dominum Deum suum Animitùs diligere simul, & timere. Cœlestis Doctrinæ Sinceritatem amplecti simul, & propugnare. Idololatriam, Atheismum, Hæresin, Schismo, omne genus impietatis, & malos mores, è regno suo eliminare.

Officium Multiplex.

minare. Ecclesiæ Dei, quam Christus sanguine acquisivit, * *Nutritium* sedulò se præstare, & quasi Angelum Tutelarem. *Portas attollere dimurmur, ut ingrediatur Rex Gloriæ.* Rapaces lupos, vulpésque versipelles, ab Ovili Dominico procul arcere; & providere ut incorruptum divini cultûs Exercitium ubique vigeat. Quicquid enim *Machiavellus* Principum animis instillat, *Decorum est ut probitate emineat, qui dignitate; decet id quod optimum est, ab optimo coli, & quod imperat ab imperante.* Ità non nemo apud *Stobæum*; cui sic concinit *Agapetus*; *Quò quis in Rep. majorem dignitatis gradum adeptus est, eò submissiùs Deum colat.* Est enim Principis Vita Speculum, in quo se Subditi contemplantur; Exemplar ingens, ad quod Subditi se componunt; Norma denique & Amussis, ad quam mores vitámque exigunt; *ut non tam Imperiò ipsius sit opus, quàm Exemplo.*

* Esa. 49. 23. Psal. 24. 7.

Mach. de Principe c. 18.

Plin. in Paneg. Trajani.

Ad Magistratum ex Officio præterea spectat, Populo suo prospicere in universum, de Protectione, & Pace, de suo cuique distribuendo, de Ecclesiis, de Scholis, de sinceris Informatoribus, de rebus denique quibuscunque ad benè beatéque vivendum nunc & in sæcula Necessariis. Ideo forsan Spiritus Sanctus *Patris* Titulum Magistratui duxit esse assignandum, ut sciret animum erga Subjectos *Paternum* sibi induendum. Symboli loco, Pelicanum rostro sanguinem ex sinu elicientem, eóque pullos nutrientem, ideo Rex *Alphonsus* habuit, (cum hac inscriptione, *pro lege & pro grege,*) ut suam erga suos Subditos *ἀγάπην* quandam exprimeret. Ex hoc *Amore* erga Subjectos profluunt *Comitas*, & *Clementia*,

2 Sam. 24. 17.

lia, & (quæ vel maximè Regem ornat) studium & curâ benemerendi per largitatem & munificentiam, unde sunt dicti * Εὐεργέται, qui summâ rerum apud Ethnicos potiti sunt. * Luc. 22. 25.

Magistratûs est denique procurare, non solummodò ut quibuslibet, pietatis suæ exemplo, præluceat Ipse; Omnésque Subditos ad Preces, ad Pœnitentiam, Edictis publicis exhortetur; coerceat impios, † Blasphemósque ulciscatur; sed ut pios probósque Viros in adjutorium sibi deligat; neque alios ad Reip. gubernácula unquam admoveat, quàm Viros * *strenuos*, cordatos, *timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam. Non enim hominis exercent judicium, sed Dei*; ut utilissimè *Jehosophatus* in suo ad *Judices* suos alloquio. † Lev. 24. 16. * Exo 18. 20, 21, 22, &c. 2 Chron. 19. 6, 7.

§ 6. Quum duo hominum sint genera, quæ ad Politicam Societatem constituendam concurrunt semper, & requiruntur, Eorum scilicet qui imperant, eorúmque qui parent; quorum utrisque Deus sua præscribit munia; æquum est, ut *Privilegia* & *Prærogativæ* Magistratuum cum eorundem *Officiis* conferantur. Id quod fieri vix poterit, quin Subditorum quoque officia necesse sit simul enumerare. Quemadmodùm enim Magistratibus *id officii* incumbit, ut Custos sit utriusque Tabulæ, Ecclesiæ Fautor atque Nutritius, Pater Patriæ salutaris, & Reipublicæ Præses vigilantissimus, qui leges condit Salutiferas, judicia exercet longè æquissima, Præmia probis distribuit, & Pœnas improbis infligit; Ita eorum *Privilegia* in eo potissimum consistunt, quòd sub divini judicii minis jubentur iis eorum *Imperantium Privilegia in Parentium Officiis perspicienda.*

rum Subditi Amorem simul, & Reverentiam, cum Timore debito conjunctam, Submissionem atque Obsequium, Censum debitum & Vectigal, Preces & Vota exhibere. Imò quanquam sint impii, quanquam sint Ethnici, quanquam sint Νηρωνες atque crudeles, qui jure imperant, Eorum tamen in tutelam, & necessariam defensionem, Subditorum et sanguinem & salutem vitámque Charissimam periclitari. Hujus rei ratio vel inde patet, quòd quos vocat Ipse * *Christus* ἐξουσιαζοντας in concreto, eosdem appellat Beatus † *Paulus* ἐξουσιας in abstracto. Inde Lectoribus suis subinnuens, eósque salubriter commonefaciens, non perinde ad *Personas*, quæ Magistratum ineunt obeúntque, ac ad *Potestatis* illius & *Muneris*, quibus à Deo sunt instructi, Subditis esse respiciendum. Ausim dicere summatim, quòd in duabus istis Cardinibus, *Deum timere*, *Regem honorare*, videtur Salus Subditorum, ipsáque Janua Salutis, præcipuè verti.

* Luc. 22. 25.
† Rom. 13. 1.

1 Pet. 2. 17.

Duabus Societatis humanæ Pestibus.

§. 7. Dum hæc & inquirens his similia in mentem recolo, diligentéque mecum perpendo; studio Pacis abreptus, non possum utique non indignari; & contrà Pacis Perturbatores (quocunque nomine censentur) vel Pacis causa Belligerare. Nam licèt Sole meridiano liquidius constet, quòd *non est Potestas nisi à Deo*, cujus divinæ *Ordinationi* quotquot resistere non verentur, Omnipotentis Dei iram ipso facto sibi accersunt; Deo sunt tamen (proh dolor!) Christiani nominis Opprobria, *Fanatici* potiùs & *Leviathan*, qui sibi invicem non magis quàm Regibus suis Christianis ex adverso componunt Se-

Et

Et quantumcunque sibi mutuò exosi sint, ità tamen consociantur, & cum veteribus Pharisæis, & inter se, ut videantur quidem ex æquo [illegible] εἶναι λαυκοπτρόφοι, ἐντὸς ὁλοπορφύροι. Nempe ad idem semper propositum diverso tramite properantes, unoque prorsus Rebellionis immundo Spiritu intumescentes, (ac si *Jugurtham* simul & *Marium* imitandos sibi proposuissent,) in *diversis* castris didicerant ab annis aliquot, quæ in iisdem apud nos Anglos non ità pridem perpetravêre.

Ad *Fanaticos* primùm quod attinet, à quibus semper se exosum *Rex Jacobus* affirmavit, non alio quidem nomine quàm quia Rex esset, quique tremendum prædicant evangelium ex Monte Sinai, Tubæ clangoribus horrendum atque ἐμβροντησμοῖς, Næ Illi ἀπὸ ὑπεροχὴν *Incendiorum* plusquam civilium *Folles* audiunt similique *Fomites*. Quippe qui Numine seculari veréque suo temulenti, *Ignes* sitiunt *inextinguibiles*, (flagitia scilicet *flagrantissima*) ubique Terrarum accendendos. Cujusmodi sui ut satisfiat, *ex stygio fonte* seditionis, tanquam ex altero Asphaltitide, *ignitas* hauriunt Præceptiones Humano Generi *propinandas*. Quales sunt istæ pestilentissimæ, quas apud Coryphæos excusas legimus.

Nimirum *esse* [a] *constitutos ad moderandam Regum Libidinem populares Magistratus. Illorum esse* (si diis placet) *regum licentia intercedere. Illos Dei ordinatione Libertatis Populi Tutores esse.* [b] *Magistratus impios & injustos & posse & debere tradi Satanæ. Subditos in Magistratu inferiore constitutos se adversus superiorem Armis posse defendere. Quin & subditos merò privatos, si Tyrannus tanquam*

[a] Calvin. *Instit. l.* 4. *c.* 20. *mihi p.* 518.

[b] David *Paræus in Epist. ad Rom. de quo vide* Grot. *vot. pro Pace, p.* 50, 51, *&c.*

Latro in ipsos facit impetum, & ab ordinaria potestate defendi nequeant, se & suos contra Ipsum ut contra privatum Grassatorem tutari posse. [c] *Regem ad hæresin transfugientem ab ipso Populo coercendum; neque verbo tantùm, sed vi, non tantùm arte, sed Marte resistì posse.* [d] *Si Rex degenerat in Tyrannum, à Fidelitatis Sacramento subditos illico liberari.* * *Reges imperia possidere à subditis suis plane precaria. Animásque tenere fiduciarias à populi Nutu dependentes. In ipsa Populo residere Supremam Potestatem, qui dare eam pro arbitratu, denique possit revocare.* [f] *Quin & Tyrannos interfectoribus stipendia fieri oportere, perinde ac Illis, qui aut Lupos, aut eorum Catulos interficiunt.* [g] *Ubique enim intercedere inter Deum & Regem & Populum Fœdus; eáque lege intercedere, ut si Rex à Deo deficiat unquam, liceat & populo à Rege suo deficere. Similia docent Anabaptistæ, aliæque sectæ Fanaticorum, pro diverso vesaniæ gradu diversos Titulos sortiti. Babyloni putà duplum reddendum esse, & Babylonem Apocalypticam eam esse Ecclesiam, quæ Sedi Romanæ connexa est; eam autem Romanæ connexam esse, cui quicquam cum Romana commune supperit.* Ex Draconis septem Capitibus (de quibus agit Apocalypsis) jam se unum dissecuisse, Mactato Rege Britanniæ Carolo; restare sex adhuc (Regis scilicet Galliarum, Hispaniarum, Sueciæ, Daniæ, Poloniæ, Germani denique Imperatoris,) temporibus suis recidenda.

Cuinam quæso sive *Wicleffi*, sive *Parei*, sive *Knoxii*, sive *Dani*, seu *Buchanani*, seu *Hotomanni* seu *Junii Bruti*, sive his omnibus consimilium legenti Libros, non commovetur subinde stomachus

c Franc Jun Brutus *in quind contra Tyr. Q. 2. p. 228. 233.*

d Knox. *Appel. fol. 78. 35.*

* *Vide Cl.* Salmas. *de 2 Gen. Anonym in Defens. Reg. c. 5.*

f Buchan. *de Jure Regni, p. 40.*

g *Videtur* Grotius (*ubi supra, p 53.*) *ad* Junium Brutum *respexisse, quæst. 2. p. 226.*

stomachus ad verba in Dominum sanè blasphema, quippe in Unctos Domini injuriosa? Illi Bellorum Concitores immane quantum læserunt Famam Ecclesiæ nostræ Reformatæ, cujus se Ducibus annumerari præ se ferebant.

Sed & suos habent etiam *Fanaticos* belli isti Pontificii, qui nostros nobis exprobrare in more habent. Nec quidem *Hi*, minùs quam *Illi*, infestam Regibus Theologiam commenti sunt. Utpote quorum Linguis, tanquam flabellis seditionum, perniciosissimæ Conciones ad vulgus hominum habentur. Annon pulvere nitrato subterraneis Parliamenti Cryptis abdito, in vitam Regis *Jacobi* senatúsque Concessum conjuraverunt? Annon illud Jesuitarum est *solenne*, (prope dixeram *Peculiare*,) Bella passim disseminare, Neces spargere, nequitias perpetrare, animos hominum dividere, Concordiæ Nexus vel dissuere, vel vi apertâ dissecare? nullum scelus odisse, nisi quod *lentum*, aut *non-suum*? Ubíque Criminum vel Emptores esse, vel Venditores? Ipsámque Pietatem, *Artem* facere?

Apertè docent Loialitæ, [a] *Clericos non esse Regum subditos; ac proinde ipsorum Rebellionem in Regem non esse Crimen læsæ Majestatis. Papam posse Imperatores Regésque excommunicare, excommunicatos Regno privare, privatos Regno etiam interfici jubere.* [b] *Ad leges observandas teneri Clerum, nullâ quidem coactivâ, sed eâ solùm obligatione, quam Bellarminus directivam vocare amat.* [c] *Subditos à Papa Fidelitatis Sacramento absolvi posse. Confessionem esse de Jure Divino, Regum potestatem de Jure humano.*

[a] Emanuel Sa in *Aphoris. Confessariorum, in Voce Clericus. Vide* Pet. Molin. *de Monarch Temp. Pontif Rom. cap.* 4.

[b] Bellarm. *de Clericis cap* 8.

[c] *Idem. per totum librum*

quem adversus Guilielmum Barclaium *scripsit.*

[d] *Vide Acta publica* Garneti, *&c. & Epistolam* Isaaci Casauboni *ad* Frontoducæum.

mano. Leviori damno Reges occidi posse, quàm si vel una Confessio revelaretur. [d] *In Conspiratione adversus Reges, admisses in Criminis societatem, sumptione etiam Sacramenti, ad silentium legitimè obstringi posse.*

Sed hujusmodi cætera recensere Regum saluti adversantia, quæ nobis procuderunt Paparum Assectæ, profectò hominis esset ad ravim loqui gestientis, progressúsque in Infinitum volentis facere; & ut summatim rem expediam, Hi sunt Illi boni viri, à sacrosancta illa *Jesu* Appellatione se jactantes, qui non subdolè tantùm & vafrè, cuniculos clanculùm agendo, culmini regio insidiantur; verùm etiam in propatulo, καὶ τῇ γυμνῇ κεφαλῇ, sequacibus suis & Congerronibus ipsam Perduellionis aperiunt Scholam.

Omni modo Occurrendum.

§ 8. Quòd si valdè quidem expetimus, ut in retectos eorum laqueos, è quibus non ità pridem elapsi sumus, nunquam iterum relabamur; ut aureâ Pace quâ fruimur, durante seculo perfruamur; ut ingens dedecus & Infamia à Christiano nomine averruncetur; ut omnimodæ subjectioni, civili simul & Ecclesiasticæ, nec privatæ magis quàm publicæ, vulgus fraudibus opportunum ubique studeat; errorésque suos tam noxios ejerare tandem persuadeatur; si denique vehementer in votis sit nobis, ut *Deo* nostro Liberatori, & *Sponsæ* Dei Sacratissimæ, ejúsque sponsæ Nutritio *Carolo*, suus Honos & Jura constare queant; & antiqua virtus Britannorum, quæ plures annos quasi consenuit, tandem (instar *Antæi*) renovatis viribus repubescat; pro sua quisque virili cavere debet & circumspicere,

cere, nequa dogmata *Jesuitica* in animis subditorum radices agant; & ubi ubi jam egerunt, ut mox radicitùs evellantur.

Ad me quidem quod spectat, qui unico pacis desiderio in hanc prorupi asperitatem, (præter solitum sanè, & extra indolem Propositi,) frendeant licèt furántque utriusque generis Incentores, omnes nervos in id intendam, quod ut maximè eveniat credo publicitùs interesse. Maximè interest Reipublicæ, (Sacræ pariter, & Secularis,) nè longiùs gliscant venenata & inimica Regibus opinamenta. Nunquam enim ex voto cum humano genere agetur, quinimmò actum erit illicò de omni humana Societate, nisi fixum hoc maneat, & extra aleam Controversiæ, *Quòd Magistratus Inferiores, utut in unum coëuntes, Populique Universi gerentes vicem, & à Romano etiam Pontifice quomodolibet animati, Supremum tamen non possunt, nisi crimine Capitali, Armis aggredi, aut quocunque demùm prætextu ei litem intendere, aut (per Dei saltem leges) quicquam Illi intentare.*

Nam Magistratus *Inferiores* tam conjunctim quàm divisim sunt Ipsi Subditi *Supremi*, Subditi, quorum Conscientiæ tam conjunctim quàm divisim eodem Fidelitatis juramento cum cæteris Subditis onerantur. Subditi, quibus Autoritates à Suprema precariò ad ejus arbitrium concreduntur. Subditi, quorum præcipuæ curæ, solicitudini, & præsidio, Salus Regum & Majestas maximè omnium commendantur. Subditi, quorum præsertim interest, & quibus maximè incumbit ex officio peculiari, reliquos Subditos & Concives intra limites obsequii & subjectionis

continere. Subditi, quos oportet (adinstar τῶν Σωματοφυλάκων apud Veteres Ægyptios) millies mortem potiùs oppetere, quàm (ausu insigniter prodigioso) Capiti suo recalcitrare. Subditi, denique qui eatenus *inferioris* Magistratûs participes fiunt, quatenus *Summo* morem gerunt, in omnibus singulisque Placitis suis & mandatis, nisi si quando eos *Peccare jubet*. Et in honorem *Ecclesiarum* Reformatarum dictum esto, quòd hujus *Doctrinæ* Veritatem (siqua sit alia) *Evangelica*, uno ore æquè ac animo agnoscunt omnes & amplectuntur, (de ipsis jam *Ecclesiis* loquor, non de *personis* in iisdem, quorum aliqui ab Ecclesiæ Doctrina abeunt;) Hanc Doctrinam Christiani primorum temporum implerunt. In uno *Petro* hanc omnes Salvator docuit Christianos. Hæc est *Sanctorum Patientia*, genuina *Fidei* istius Filia, *quæ vincit Mundum*, estque Miraculum Miraculorum. Huc spectat illud *Philonis Judæi* εἰς Φλάκκον. χαλεπὸν μὲν γὰρ ὕπνε, φησὶ νὴ Δία τοῖς ὑπὸ πλατταγῶν καὶ κωνωπείων ἀσχέτως κατὰ κύκλους περιφερόμενοις, ὥσπερ καὶ τοῖς ὑπὸ Δεσπότης νὴ δικαίως, ἢ μεγαλοψύχων. Optimèque Rex *Vitigis* apud *Cassiodorum*, *Alteri subdi* (inquiebat) *non possumus, quia Judices non habemus*. Nec quisquam Jurisperitus, quibus emotæ sit mentis affirmaverit, Quodvis genus Condictionis contra Regem posse competere, utpote cujus Solius Nomine *omnia* ἄθλιο nuncupatur; & inter Juris nostri Placita, Hoc occurrit nominatissimum, *Nihil quod sit injusti à Rege* veri Nominis *patrari posse*. Cujus Politici Aphorismi hic Sensus est, Regem esse ἀνυπεύθυνον, solo Deo minorem, soli Deo obnoxium; ut nullis Mortalium

Alexan. *ab* Alexandro Dier. *Gen. l.* 1. *c.* 26.

lium nedum Subditis fas sit, Illum citare, penes quem residet summa rerum; nedum pro Tribunali sistere, aut ei jus dicere, Cujus solius est jus dare. Novimus * *Jethronem* fuisse genero suo Authorem, ut Septuaginta ex Senioribus in partem regiminis sibi assumeret, (quos sic Electos in Magistratum inferiorem, Spiritu suo implevit Deus,) non ut *Mosi* imperitarent, sed ut ab eo imperata assidùe facerent; non ut suo secundum Deum Creatori crearent curas, nedum ut ei vim inferrent; sed ut † Onus, divino Jussu uni *Mosi* incumbens, junctis humeris exantlarent, ejúsque molestias in se transferendo diminuerent; Quod unum Deus gratum & ratum habuit. * *Nam ubicunque Verbum Regis est, ibi Dominatio: Ecquis dicat ei, Quid facis?* Omninò legantur & perlegantur Sereniſſimi Caroli Primi τῦ μακαρίτυ μεγαλομάρτυρος Rationes longè graviſſimæ, contra mentitam *Curiæ* (quæ dicebatur) *Juſtitiæ* Juriſdictionem; quas, ſtupendæ, ſed afflictiſſimæ Virtutis Princeps, tanquam Cygneam Integritatis, & Sapientiæ vocem edidit.

* Exod. 18. 18, 19, 20, 21, &c.

Deut. 16. 18, 19, 20.

† Exod. 18. 22, 23, 25, 26.

* Eccleſ. 8. 4.

§ 10. Quia utrinque modus exceditur in Poteſtate Magiſtratûs circa res ſacras conſtituendâ, dum Alii ab omnimoda rerum Eccleſiaſticarum procuratione Magiſtratûs arcent, removéntque, Alii omnimodam Adminiſtrationem Eccleſiaſticam eorundem Magiſtratuum poteſtati ſubjiciunt; Ea propter per medium cum Eccleſia Dei *Catholica*, adeóque *Anglicana*, eundum eſt. Illud inprimis habeo mihi perſuaſiſſimum, (nec quiſquam ſani ſincipitis inficias iverit,) non minorem

Poteſtas politici Magiſtratûs circa Sacra in Eccleſia Catholica.

norem esse potestatem Christianorum Magistratuum in Rep. Christiana circa res Sacras, quàm fuit Regum priscorum in Rep. Israelitica. Qualis autem Ea potestas fuerit, & praxis, ex Sacrosanctis ✠ Scripturis abunde liquet. Et quotquot *Christiani Hebræi* Reges fuit imitati, *Constantinus, Theodosius, Justinianus, Carolus Magnus*, Aliique gloriosi Memoriæ Principes, (qui relictis Ordini Sacerdotali quæ *intra* Templum perpetrantur, & quæ ad forum *interius* spectant, sibi ea quæ *extra* Templi septum transiguntur, & quæ forum *exterius* spectant, semper servarunt constituenda;) tam ex historiis Ecclesiasticis, quàm ex legibus, quas tulerunt de Re Religiosa Ordinanda, luculenter apparet omnibus, qui in rebus Ecclesiæ versati sunt, quàm ut prolixiùs à me exponi necesse sit.

2 Chro. 17. 8, &c. 2 Chro. 19. 4, 5, &c. 2 Chro. 29. 3, 5, &c. 2 Chro. 31. 2, 3, &c. 2 Reg. 22. 2, 3, 12, 13, &c. 2 Reg. 23. 2, 3, &c.

Et speciatim in Anglicana.

§ 10. Ecclesia autem *Anglicana* (in Articulo 37.) ità defert Suprematum Magistratui Civili in *Personas* & *Causas Ecclesiasticas*, ut eundem intra certos cancellos teneat. Quod ad *Personas* Ecclesiasticas imprimis attinet, in illis ad Dignitates & Beneficia Ecclesiastica designandis, in illis per manuum Impositionem Episcopalem consecrandis, in illis ad Synodos Nationales cùm visum fuerit convocandis, in illis pœna plectendis, præmióve fovendis, Potestas Regia, sive Suprema, versatur unicè, & consistit. Ad *Res & Causas* Ecclesiasticas quod spectat, Nullum habet Majestas Regia auctoritatem, vel dogmata Fidei condendi, vel Ea in Publico docendi, vel hominum Conscientias è Sug-

gesto

gesto applicandi, vel Sacramenta Fidelibus administrandi, vel manus in ordinandos & confirmandos imponendi, vel potestatem clavium immediatè exercendi, vel censuras denique agendi puras putas Ecclesiasticas, (quæ munera nihilò magis ad Regem pertinent, quàm ad Ὑπλαῶ potestas tractandi Arcam, aut incensum adolendi ad Ὀπλαῶ;) sed ipsos Episcopos nominandi, eósque in ordinem cogendi, leges de rebus adiaphoris vel à Clero rogatas ferendi, vel jam latas confirmandi. Quid, quòd de ipsis Sacramentis, & Articulis Fidei, Majestas Regia * *deliberandi* jus habet, Eorúmque sinceritatem ad *Verbi divini* normam sive stateram exigendi? Ità tamen ut oporteat ipsum Supremum Magistratum, *Eleazari ex* † *consulere*, & Sacerdotum *consiliis uti*, quippe quorum *labia Scientiam servant*. Quid, quòd Politico Magistratui (post solitas Appellationes subordinatas ritè factas) Lites quasvis Ecclesiasticas dirimendi jus competit? Quid, quòd brachium seculare ad Censuras Spirituales non duntaxat corroborandas, sed *accendendas* etiam protendit? Quinimmò, Curiis Ordinariis insuper habitis & omissis, nullísque antedictis Appellationibus interpositis, Majestas Regia jus sibi vendicat ejusmodi lites definiendi; & in his litibus immorigeros sive Carcere castigandi, sive mulctâ pecuniariâ. Nonnunquam enim usuvenit, ut propter Judicum inferiorum in curiis suis oscitantiam, ἀβλεψίαν, aut Conniventiam voluntariam, aut propter Peccantium Pervicaciam in Censuris Ecclesiæ contemnendis, aut propter transitum fugam-

que

2 Chro. 26. 16, 18, 19, &c.

* Deut. 17. 18, 19, &c. 1 Thess. 5. 21. 1 Joh. 4. 1.

† Num. 27. 20, 21, 22. Mal. 2. 7.

que ab una ad aliam Diœcesin, aut propter delinquentium Potentiam nimiam, aut propter criminum atrocitatem, (Atheismum, Idololatriam, Blasphemiam, Sacrilegium, Incestum, & ejusmodi,) Plagiticsi ab *Ovilibus viis* vel non omninò, vel non pro meritis suis plectuntur; Quos tamen Judices *Delegati* sive *Regales Commissarii*, Ecclesiastici juris peritissimi, per summum Angliæ Cancellarium sub magno sigillo constituti, armatique potestate per totum regnum protensi, pœnisque munitâ temporalibus, & acriùs multò, & ocyus supplicia ferunt, & feliciùs, quia potentiùs, in ordinem debitum redigunter. Constat denique Magistratus, qui à Deo secundi sunt, non *ovis* modò esse respectu *Christi*, sed & *Principes Pastorum* respectu *gregis*; Qui quamvis Ipsi nec *ovis pascere*, nec *de pabulo per se judicare* debent, debent tamen Ovili toti de idoneis Pastoribus benè prospicere; atque ut illis idoneum pabulum semper suppetat providere.

Dignissima sunt Verba Beati *Pauli*, quæ Act. 25. 10. hoc in loco commemorentur. *Ad Tribunal Cæsaris sto, ubi oportet me judicari.* Magistratus erat *Civilis*, ad quem Apostolus provocavit, & cujus judicio stare *Debuit*. *Οὐ με δεῖ κρίνεσθαι*, inquit Apostolus. Ab *Ethnico* scilicet *Christianum*, à *Politico Ecclesiasticum*, ab *impio Cæsare Sanctum Apostolum*, (è seculo cœlitus evocatum,) citari, judicari, ligari, aut absolvi, plecti, aut protegi oportebat. Quo minùs ipsis Pontificiis mirandum sit, aut invidendum, quòd Rex Britanniæ ab Episcopis, permissu regio Electis, assensu

regio

regio confirmatis, nutu regio consecratis, justisque regio dotatis, jusjurandum *Homagii* (quod vocant) exigit. Eique omnes ex sacro ordine, ad beneficia Ecclesiastica cujuscunque sint generis instituendi, Allegiantiæ Juramentum ex lege præstant.

CAP. XXVII.

De Conjugio, sive de Ordine Oeconomico.

§ 1. QUemadmodum Ecclesia, respectu alio atque alio, & *Domus Dei* appellatur (1 *Tim.* 3. 15.) in qua præcipui sunt Oeconomi (1 *Cor.* 4. 1.) quibus ab ipso Christo delegatum est Jus ministros alios constituendi; Est etiam *Corpus Christi*, Vocatur (*Eph.* 4. 12.) omnia membra ejus mystica in se complectens; Ità Tres sunt Ordines seu Status hominum distincti, *Ecclesiasticus, Politicus & Oeconomicus*, (Ministerium, Magistratus, & Populus stricte sic dictus,) ex quibus omnibus velut ex *Membris*, quorum *Caput* est *Christus*, Ecclesia constat. De ordine Primo, & Secundo, satis succinctè tractatum est; de Tertio satis, sed & succinctè tractandum restat. *Ratio Ordinis.*

§ 2. A *Juge*

Quid sit Nominis.

§ 2. A *Jugo communi*, quo mas & fœmina copulantur, & quasi *conjugantur* in unam carnem, *ejusdem Jugi consortium*, vel unâ voce *Conjugium* dicimus. *Connubium* dicimus à *Nubendo*, eò quòd Virgines ab antiquo, quando ad Viros adducebantur, quodam *Velamine*, veluti *Nube*, caput & vultum obtegebant. Hujus rei exemplo erat *Rebecca* prudens ab Origine, *Gen.* 24. 65. Vir videlicet *activè* in isthoc fœdere percutiendo; sed potiùs *passivè* se habet Virgo. *Vir ducit uxorem, fœmina nubit Viro.* Denique *Matrimonium*, à *Matre* dicitur hic Status; quia Mulier eo fine conjungi Viro se patitur, uti liberorum evadat *Mater*. *Schagal* dicitur *Hebræis*, ab usu conjugii in Specie hominum propaganda, Deóque nostro Cultores in omne ævum exsuscitando. Pari modo quo γάμος παρὰ τὴν γενεὰν deduci volunt nonnulli. Græcique definiunt per συζυγίαν ἢ διοίκησιν ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς κοινωνὸς πρὸς τὴν παιδοποιίαν; quanquam non unicus, sed Triplex est conjugii finis; Mutuum scilicet Adjutorium, & Fuga fornicationis, æquè ac sobolis Procreatio, quæ tamen apud plurimos primis tenet. *Sponsalia* à *spondendo* dicuntur ideo, quia in more erat antiquitùs, ut qui uxorem ducturus erat, is illam sibi in Matrimonium datum iri *stipularetur*; & nuptum daturus, id futurum esse *sponderet*. Contractus ille, vel Sponsalia, sive per verba de præsenti, sive de futuro fieret, non tam *nuptiæ* jam peractæ, quàm *Spes Nuptiarum* dicendus erat. Unde Sponsi à Marito, & Sponsæ ab Uxore discrimen oritur.

§ 3. Ex

§ 3. Ex ipsa vi nominum, & ex eorum Etymologia, faciliùs multò edocemur Quid sit Conjugium. Nempe Conjunctio indissolubilis unius Viri cum una fœmina, in vitæ totius contubernium, consortium, solamen mutuum, in vagam libidinem refrænandam, in conservationem humani generis per τεκνοτροφίαν & mutua pignora, in honorem cultúmque summi numinis per ejusdem cultores propagandum, ab ipsis Mundi primordiis jure divino instituta. Aliorum sunt aliæ, eæque quidem plurimæ Conjugii Definitiones; cujus diversitatis videtur esse hæc ratio, quòd Causas quatuor generales (efficientem, finalem, materialem, formalem,) alii plenius ac perfectiùs, alii angustiùs ac strictiùs efferunt. Sed omnium optima, utpote reliquas ferè omnes uno ambitu complexa, videtur esse *Legitima unius Maris in carnem unam cum una fœmina conjunctio, eáque divinitùs instituta, tum ut propagatione Sobolis humanum genus continuetur, & ex illo colligatur Ecclesia Dei; tum ut Societas Oeconomica atque reciprocum adjutorium in rebus divinis humanísque hac unione comparetur; tum ut Christi cum Ecclesia conjunctio mystica præfiguretur; tum ut Scorpatio & immunditiæ, cujúsque generis gradúsve, per Lapsum Adami introductæ, hac Prophylactica sufficienti & cælicùs orta evitetur.* In Definitione hac asseritur, Deum ipsum conjugii Authorem esse; adeóque statum esse, non tam fortuitum, quàm fatalem; quibusdam homulis exosum, sed Deo gratum, in ipso statu Innocentiæ ab ipso Deo ordinatum, & homi-

Quid Rei.

nibus

nibus verè Sanctis Sanctè habitum. *Dixit*
Gen. 2. 18, 22, 23, &c. *Dominus Deus, non est bonum hominem esse solum; faciamus ei Adjutricem. Et quos Deus conjunxit* (inquit Christus) *homo non separet.*
Matth. 19. 6.

Cujusmodi Polygamia sit illicita.

§ 4. Hinc excluditur Polygamia Simultanea, quæ & primæ Creationi, & Institutioni à Deo factæ, & menti ipsius Salvatoris videtur liquidò adversari. Potuit Deus ab initio *plures* fœminas simul creasse; sed etiamsi tunc temporis multitudine uxorum maximè opus videretur, placuit Illi tamen creare unicam. *Masculum & fœminam fecit eos*, (inquit Salvator) *& erunt Duo in carnem unam.*
Mat. 19. 4, & 9. *cum quo confer* 1 Cor. 7. 2, &c. Mat. 5. 32. Tit. 1. 2. 1 Tim. 3. 2.
Nam etiamsi ab Antiquo Reges nonnulli & Patriarchæ uxores plures simul haberent, Illud tamen non approbante, sed permittente Deo fiebat. Et quid sit licitum, aut laudandum, oportet nos ex *lege Dei* (non ex *hominum exemplis*) dijudicare, & tam discere, quàm docere. Nam ut *Lamechus* primus omnium, ex impia *Caini* Posteritate oriundus, Polygamiam * introduxit; ità exemplum illud Alii, (cætera licèt non mali, sed sincerè colentes Deum,) secuti temerè, in politicam quandam consuetudinem, adeóque scandali magis expertem, infelicissimè traduxerunt. *In multis enim impingunt omnes.*
* Gen. 4. 19. κακῇ κόρακος κακὸν ὤον.
Jac. 3. 2.
Et Ille est hominum desiccatissimus, qui minimis maculis sordescit, minimis sordibus inquinatur. Malorum exempla mala Bonorum mores sæpe corrumpunt. Unde non *Judæi* tantùm, & *Turcæ*, & hodierni *Chinenses*, sed & plurimi, qui Christo dedisse nomina profitentur, pro Polygamia ex professo tanquam

quam pro aris & focis dimicant. *Johannes Leidensis* tres duxit eodem tempore Uxores; cujus exemplum & doctrinam secuti alii, *Johannes Bocholdius* (Ipse etiam *Leidensis*) duodenos simul habuit; *Holzerus* Tredecim. Et complusculi Anabaptistæ, præsertim *Monasterienses*, complures habere simul Uxores, in summa laude posuerunt. Ut missos faciam *Bernardum Ochinum*, atque *Davidem Georgium*, ut & *Basilidis*, *Carpocratis*, *Hermogenisque* Sectatores; Quid, quòd Ipse *Bellarminus*, qui *Lutherum* acriter perstrinxerat, (c. 10.) ità distinguit (sequente capite) inter Veteris & Novi Testamenti tempora, ut licèt inter *Christianos* Polygamiam simultaneam damnatam esse contendat, (atque in eo ὁμοφώνως nos omnes habet,) tamen ante adventum Christi, *licuisse* simul plures uxores ducere non dubitat? Malo dicere Patres * Veteres Nævis suis non caruisse; & Multitudinem delinquentium, à tanto saltem, ipsorum delicta excusâsse. Malo verba *Augustini* in favorem Patriarcharum huc afferre, *Nullam Jacob legitur peccâsse, præter unam; nec usus plurimis, nisi gignendæ prolis causâ, conjugato jure servato, ut neque hoc faceret, nisi uxores ejus id fieri flagitâssent*, &c. Malo denique *Lutheri* posteriora scripta expendere, quàm priora acriter exagitare. *Ante omnia* (inquit ille) *oro pium Lectorem, propter Dominum nostrum Jesum Christum, ut ista legat cum judicio, immo cum multa misericordia.* Sunt qui arguunt pro Patriarcharum Polygamia, divinam de Cœlo *dispensationem* intercessisse; quia Deus disponit de jure inter Polygamorum liberos, *Deut.* 21. 15, 16, 17.

Sleidan. *Commentar. l.* 10.

Chem. *Exam. Conc. Trid. part.* 2. *sess.* 24. *can.* 2.

Bellarm. *de Matrimonio* c. 10 & 11.

* Gen. 12. 13. Gen. 20. 2.

Aug. *de Civ. Dei l.* 16. *c.* 38. Gen. 16. 3. Gen. 25. 5.

Luth. *in Præf. ad Tom.* 1.

Quibus videtur respondendum, leges non solùm de iis ferri, quæ approbantur, sed & de iis quæ tolerantur; & Hîc (ut alibi de Divortiis) *Mosen* agere, quà Politicum Legislatorem in vita civili, non quà Doctorem & Theologum in vita spirituali. Nec sequitur illum approbare Antecedens, qui disponit de consequente. Nam prostibuli mercedem ærario Templi vetat Deus inferri; (*Deut.* 23. 18.) Quæstum tamen meretricium non inde sequitur approbari. Quid dicendum est igitur in gratiam Patriarcharum? Dicendum est Deum misericordem, propter eorum ignorantiam, infirmitatem, & subsequentem resipiscentiam generalem, peccata Patribus condonâsse; & propter *Messiam*, ejúsque merita, illos in gratiam recepisse.

Quænam sit licita Polygamia.

§. 5. Alia est autem *Polygamia*, nimirum *successiva*, ab eminentissimo *Bellarmino* (secundis Nuptiis iniquiore) impropriè admodum sic dicta, quæ non excluditur omninò à data Conjugii Definitione; nec unitati aut legibus Matrimonii legitimi adversatur. Nam, non obstantibus objectionibus, quas [a] *Sudducæi*, [b] *Montanistæ*, [c] *Novatiani*, [d] *Syriani*, & nonnulli etiam ex Patribus Ecclesiæ Veteris in medium proferunt, (qui nuptiis iteratis *intemperantiæ* notam inurunt, & qui eas admittunt, *libenter* contrahere eos consentiunt,) constat tamen secundas Nuptias, imo tertias, quartásve, priore conjuge demortuo, non modo *licitas* esse semper, sed tepùs esse *Necessarias*. Licitas esse, abunde constat ex autoritate Apostolica. *Rom.* 7. 2. & 1 *Cor.* 7. 9. & 39. & 1 *Tim.* 5. 11, 14. Quandoque etiam

[a] Mat. 22. 28.
[b] Aug. de Hæres. c. 26.
[c] Theodoret. l. 3.
[d] Cent. Magdeb. c. 3.

etiam *necessarias* Nuptias esse repetitas, vel inde patet, quòd Apostolus non modò *patitur*, sed & * *præcipit*, ut Viduæ, quæ *Charismate* Continentiæ non sunt desuper imbutæ, iterum nubant. Cujus præcepti rationem Apostolus addit certè gravissimam. *Melius enim est Matrimonium contrahere, quàm uri.* Ubi vocabulum πυροῦσθαι est ità libidine æstuare, ut aut voluntas interioribus concupiscentiæ flammis succumbat, aut Deum pacatâ conscientiâ invocare non queat. Nam alioquin (inquit *Beza*) *ecquis est, qui carnis stimulis non pungitur?* Ejusmodi autem ustionibus, quæ ipsum Cor humanum penetrant velut quodam incendio, non modò Virgines, sed etiam *vidui*, *viduæ*que possunt affligi; qui idcirco non debent ab iteratis arceri Nuptiis, quippe incumbit iis necessitas adhibendi remedium illud, quod est divinitùs institutum. Fateor hic posse objici ex *Tertulliano* & *Hieronymo* hunc in modum. *Quale quæso hoc bonum est, quod comparatio mali commendat, ut ideo melius sit nubere, quia deterius est uri? sic dicitur, melius est uno oculo carere, quàm duobus.* —— * *Tolle quod pejus est, uri, & per se bonum non erit nubere.* Sed utrique simul Patri cum debita reverentia sic potest regeri. Quòd non ob unicum illum finem, fugam fornicationis, debent inire Matrimonium; sed ob reliquos quoque fines libertas conjugii viduis manet indelibata. *Bonum* est enim Matrimonium, etiam in iis qui *non uruntur*; utus in iis qui uruntur *melius* sit nubere, quàm uri. Nam si conjugium sit malum, (quod Deum Opt. Max. Autorem habet,) non modò *vidui*, sed & *virgines*

* γαμησάτωσαν 1 Cor. 7. 9. & βούλομαι νεωτέρας γαμεῖν. 1 Tim. 5. 14.

Tertull. *in lib. de Monogamia.*

* Hieron. *in Epist. ad* Salvinam.

Heb. 13. 4.

ab eo erunt arcendi. Sed è contrà qui dixit,
1 Cor. 7. 28, 38. [*Si duxeris uxorem, non peccâsti*, v. 28.] dixit etiam, *Qui dat nuptum, benè facit*, v. 38.

Quid de Concubinis sit sentiendum.

§ 6. De *Concubinatu* pauca dicturo distinguenda sunt tempora. Nam Ille in Vetere Testamento, qui Regum erat & Patriarcharum, videtur conjugium fuisse *verum*, etsi non *licitum*, aut *laudandum*. Nihil discriminis intercessit inter conjuges primarias, & Concubinas, nisi quòd Illæ tenebant primas; Hæ subsellii inferioris jure merito habebantur. Neque ex æquo succedebant earum liberi. *Dedit enim Isaac quæcunque possederat Abrahamus; filiis verò Concubinarum, quas ipse habuit, largitus est munera, & separavit ab Isaac*, &c. Hodie autem sub Evangelio nihil est aliud Concubinatus quàm vel Scortatio, vel Adulterium, quorum utrique Deus pœnas, cùm ad tempus, cùm in æternum, (absque seria resipiscentia,) comminatur certè gravissimas. Nam *nec adulteri, nec fornicarii*, &c. *regnum Dei hæreditabunt.* 1 Cor. 6. 9. Gal. 5. 19. *Omnis immundus aut fornicator*, &c. *non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Eph. 5. 5. *Honorabile connubium est in omnibus, & thorus immaculatus, sed fornicatores & adulteros Deus judicabit*, Heb. 13. 4.

Gen. 25. 5, 6.

De Gradibus concessis, & interdictis.

§ 7. Porrò *Legitima* Conjunctio Conjugium dicitur, in quantum Personæ, quæ conjungi de jure possunt, certis *legibus gradibúsque* distingui debent; extra quas leges, gradúsque, nefas est eas copulari. Et quæ Nuptiæ

tiæ inter personas in gradibus vetitis conjungantur, incestûs meritò arguuntur. Jam ut sciatur intra quos gradus matrimonium sit licitum, aut illicitum, Quatuor sunt maximè considerandæ. Nimirum genera propinquitatis, Linearum differentia, Graduum supputatio, atque *regulæ* interdictorum notitiæ certæ. Duplex autem est *Propinquitas*; prima *consanguinitatis*, éstque vinculum personarum ejusdem sanguinis, carnali copulâ connexum; ut *Adamus, Seth, Enos, Cain* & *Abel*. *Affinitatis* verò altera, éstque personarum vinculum solis Nuptiis contractum; cujus *Isaac* & *Laban* exemplo sunt. Duplex etiam est *Linea, Recta* scilicet, & *Obliqua*. *Illa*, cùm *directâ* serie Majores & Posteri numerantur; éstque vel Ascendens, vel Descendens. *Hæc*, cùm *collateralium* cognatorum & agnatorum ex fratribus aut sororibus (instar arboris ramorum ad varia latera efflorescentium) generationes recensentur; éstque vel æqualis, vel inæqualis, prout utrique collateralium à communi distat stipite, vel pari, vel dispare intervallo. *Gradus* dicitur Personarum generationibus singulis propagatarum Distantia mutua. (Vocabulum non ineptè à *Scala gradibus* mutuatum.) Gradus sunt inter *Consanguineos*, quorum alius ex alio nascitur. *Affinis* è contrà ex Affine non nascitur. Ad gradus Consanguinitatis rectè & ordine numerandos, plures Regulæ apud plures occurrunt passim Scriptores, quarum hæc una abundè sufficit. Tot nimirum sunt *Gradus*, quot sunt *Generationes*; sive *Gradus tot sunt, quot sunt Personæ*, si dempseris unicam computatis, de quibus quæritur. E. G. *Adamum*

mum inter & *Noachum Generationes* sunt Novem; Novem igitur & *Gradus*. Ab *Adamo* rursus ad *Noachum*, computatis de quibus quæritur, Personæ sunt decem; unde unica adempta, Novem restant.

In lege divina & civili.

§ 8. Quibus in gradibus Matrimonium concedatur aut prohibeatur, multis videtur esse Quæstio perplexa nimis & intricata; quæ tamen Regulis paucissimis, videtur aliis non contemnendis Theologia, facillimè posse expediri. In lege *divina* & *civili* tribus his Regulis comprehenditur omnis Graduum prohibitio. 1. In linea ascendentium & descendentium prohibentur conjugia in infinitum. 2. In linea collaterali prohibentur tantes saltem, quoties à communi stipite alter Consanguineorum unico tantum gradu abest. 3. Quibus Consanguineis, per duas Regulas præcedentes, inter se Matrimonio interdictum est conjungi, illidem cum alterius conjuge conjungi, interdictum est etiam *eâdem lege*. Ideoque nequaquam licet, per tertiam hanc regulam, ut frater fratriam sive fratris viduam ducat. Quanquam enim explicitè præceptum sit, *ut defuncti fratris viduam suscipiat sibi in Uxorem superstes frater, & officium leviri præstabit ei*; Ista tamen habenda est pro *exceptione speciali* illius regulæ generalis quam scriptam legimus, *de non ducenda uxore fratris*, Levit. 18. 16. & 20, 21. quæ (demptâ hac exceptione) in universum omnes obligat. Specialis istiusmodi exceptio non nisi *fratribus* data est in populo solum *Hebræo*, priore defuncto *sine liberis*; eâque ob causas speciales & definitas; ut propter

* Lev. 18. 6, 10, &c.

Deut. 25. 5, 6, 7, & c. *confer* Gen. 38. 8. Ruth. 4. 5. Mat. 22. 24. Luc. 20. 27.

propter *Familias continuandas*, eásque *non confundendas*, usque ad adventum *Christi ex certa domo exorsuri*: & etiam propter *excellentiam* illius *Primogenitura*, exprimendam, quæ venturi Salvatoris *Typum* præbuit nobilissimum. Exceptio autem specialis, in Populo peculiari, in personis peculiaribus, ob causas etiam peculiares, atque in casu singulari, ad universi generis amplitudinem deduci nequit. Quin fixa semper manere debeat hæc Regula, *quod gradu aliquo prohibito, omnes casus congruunt, & ad gradum prohibitum accommodandi, (paribus cæteris) pro prohibitis sunt habendi.*

Huc usque dictum est de *prohibitis* gradibus in casu *consanguinitatis*, atque in Casu *Affinitatis* quæ est solius *primi* generis. At verò & *secundi* & *tertii generis* Affinitatis nullo prorsus modo impediunt Nuptias. Quâ unâ regulâ bene perpensâ, multæ videntur quæstiuncule salvi posse & extricari. Hinc nimirum licere constat, ut defunctæ uxoris suæ sororem fratrium ducat quilibet. Atque ita *Isaac*, Rebeccâ mortuâ, *Labanis viduam* ducere licuisset. Ità Mulieri licet nubere gloriosi viduo. Duobus fratribus licet ducere sorores duas; vel alter Matrem, Filiam alter. Pater, & Filius, Matrem simul, & Filiam. Pater etiam, & filius, sorores duas. Ubi tamen est attendendum, non solummodò quid *liceat*, sed quid expediat, quid deceat, quid sine scandalo, & Conscientiæ offendiculo fieri queat; denique quid sit præstantius, quid utilius, quid sit maximè honestum, in contrahendis Matrimoniis spectari debet.

In legibus Municipalibus.

§ 9. Aliter autem se res habet in variis juribus *municipalibus*, quàm in *divino & civili*. Nam ad majorem sanguinis reverentiam conservandam, gravi admodum consilio, nonnulla jura municipalia non duntaxat secundo æquali à stipite communi; verum etiam tertio gradu, tam inæqualis quàm æqualis lineæ, à communi stipite, perinde *affinibus* ac *consanguineis* interdicunt. Rectè autem (inquit * *Grotius*) Christiani Veteres fecerunt, qui leges non illas tantùm in commune datas, sed & alias peculiariter Hebræo populo scriptas sponte suâ observârunt. Immò ad gradus quosdam ulteriores protenderunt verecundiæ suæ fines, ut hac quoque in virtute non minus, quàm in cæteris Hebræos ipsos antecederent; atque apparet ex Canonibus, magno hominum consensu id factum esse. *Augustinus* de Patruelium & consobrinorum conjugiis loquens, *Rarò*, inquit, *per mores fiebat, quod per leges licebat fieri; quia id nè divina quidem prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana: Verumtamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur Illicitis.* Hanc morum verecundiam leges Regum & Populorum secutæ sunt. Nam *Theodosii* constitutio consobrinorum & Patruelium conjugia vetuit; laudante id factum ut pietatis plenum *Ambrosio*. Tantum (inquit Victor) pudori tribuit & continentiæ, ut consobrinarum nuptias vetuerit, tanquam sororum. Extat *Arcadii* & *Honorii* lex aut eadem aut sensûs ejusdem. Concedi tamen Principum indulgentiâ tales nuptias, ostendit alia lex *Honorii & Theodosii Junioris*, eodem in *Codice* Theo-

* *De jure belli & pacis, l. 2. c. 5. § 14.*

De Civ. Dei l. 15. c. 16.

Epist. 66.

Theodosiano de Nuptiis incestis. Secuti sunt & *Gothi* reges. *Hoc nimirum prudentes viri sequentes exemplum, longius pudicam observantiam posteris transmiserunt; reservantes Principi tantùm beneficium consobrinis nuptiali copulâ jungendis.* Cassiodor. 7. 46. Sed sciendum simul est, non quod vetitum est fieri humanâ lege, irritum esse si fiat, nisi & hoc lex addiderit. In concilio *Agathensi*, post commemorata conjugia vetita, (& inter ea de delicta fratris) additur, *quod ità præsenti tempore prohibemus, ut ea quæ hactenus sunt constituta non salvamus. Sæpe enim incommoda quæ sequuntur vescissionem majora sunt, quàm ipsa indecentia, aut incommodum ullis ipsius.*

Illud autem est discriminis inter Prohibitiones legis *divinæ*, & *municipalis*, ut in gradibus divinâ lege interdictis à nemine possit ullo tempore dispensari. Nam istæ leges sunt *Naturales*, unde *Jacobus* * maledixit *Rubeni* suo, (ante legem *Mosaicam*) quòd suam Novercam attigisset. Atque *Corinthium* incestuosum eandem ob causam excludit Apostolus additque, quòd *neque inter Gentiles ejusmodi fornicatio haberet locum.* * Gen. 47. 4. 1 Cor. 5. 1, &c. In gradibus verò interdictis jure duntaxat *positivo*, certis de causis Dispensatio admitti potest. Publicæ tamen Autoritatis interventu, non privatâ temeritate. Solus enim Magistratus, qui ob causas satis honestas quosdam gradus prohibuit non prohibitos à Natura, potest ob causas æquè honestas cum iisdem dispensare.

Sed quæstioni admodum gravi, magnisque motibus non rarò agitatæ, de conjugiis eorum omnium, qui aut sanguine junguntur aut affinitate,

affinitate, præstat imponere colophonem, quàm eandem vexare non necessariis ratiociniis. Nam causas certas & naturales, cur ejusmodi conjugia (ità ut legibus aut moribus vetantur) illicita sint, assignare quisquis voluerit, discet experiendo quàm id sit difficile, immò quàm omninò id præstari non possit.

De Divortiis.

§ 10. Alia gravis est Quæstio, cur Conjugium definiatur Conjunctio esse *indissolubilis*; ac si nulla prorsus de causa dissolvi posset. Idque *Dominicâ* autoritate, *Matt.* 19. 6. atque etiam *Apostolicâ*, 1 Cor. 7. 39. *Quod Deus conjunxit nemo separet*, inquit Salvator. *Et mulier alligata est legi*, (id est per legem Matrimonii) *quamdiu vir ipsius vivit*, inquit Apostolus Sanctus *Paulus*. Quibus *regulis* non obstantibus, *Exceptio* una aut altera videtur posse interponi. *Quicunque enim dimiserit uxorem suam*, (inquit Dominus Salvator)

Mat. 19. 9. *præter verbum, nisi ob Fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Manet enim Matrimonium, quod non rite sed illegitimè direptum est. Manente autem Matrimonio, scortatio est nubere. Apostolus addit *Desertionem*, quæ secunda Matrimonii solvendi causa esse

1 Cor. 7. 15. videtur. *Si infidelis discedit, discedat; non est servitutis subjectus frater aut soror, in hiis vinculis*; id est, *quum ejusmodi quippiam inciderit. Sed ad pacem vocavit nos Deus.* Quod significat pacificè colendum esse Matrimonium, etiam cum conjuge infideli, ut (si fieri possit) lucrifiat. Quod ideo addidit ab Apostolo, ne quis prætextu libertatis istius antedictæ, infideli præbeat conjugi (sive viro, sive

sive fœminæ, discedendi occasionem. Illud autem hic loci præcipue venit observandum, nihil in casibus hisce duobus parti lesæ agendum esse, nisi quarto prius & impetrato Magistratûs Judicio definitivo; oportet, enim ut homo —— & infidelis, levitate crudeli & temeraria, nullam ob causam aut honestam aut necessariam, uxorem deserat, & perfidus diu divagetur, priusquam Pars deserta, annorum spatio determinato, Magistratûs auctoritate, eâque publicè liberetur. Jus nimirum quod in personas ex consensu mutuo oritur, tam est fœminæ in virum, quam vice versâ. Et quamvis ob sexûs differentiam *Imperium* non sit commune, sed maritus *uxorio capiat* & in rebus conjugii & in rebus familiæ sit, ideóque de domicilio constituendo jus competat Mariti, in quantum Uxor pars evenit familiæ maritalis; si quid tamen juris ultrà Maritis concedatur in Uxores, ut lege Hebræâ rescindendi jus quævis uxoris vota, & apud populos nonnullos jus vendendi uxoria Bona, ipsâsque uxores dimittendi, non *à natura* id omnino, sed *ab institutione* fieri. Et Christi lex, ut res alias, ita hanc conjugii inter *Fideles* ad perfectiorem redegit normam; ex qua, & qui dimittit non Adulteram uxorem, & qui ducit sic dimissam, Adulterii reos peragit, & pronunciat. Et *Christi Interpres* fidelissimus Beatus *Paulus*, non soldan *viro* jus dat in corpus fœminæ, sed & fœminæ vicissim in corpus viri. Et *Lex divina* (inquit *Lactantius*) *ità duos in Matrimonium, quod est in corpus unum conjungit, ut adulter habeatur, quisquis compagem corporis in diversa distraxerit.* Mat 5.32. & 19. 9. 1 Cor. 7. 4.

Ple-

Pleraſque gentes antiquitùs pro certo conſtat, ut plurium fœminarum conjugio, ità divortii libertate uſas eſſe. At *Jeſus Chriſtus*, quod Deus inſtitutione ſuâ conjunxerat, id ab hominibus disjungi vetuit. Et ex eo quòd tam arctum eſt fœdus Matrimonii, ut Parentis familia relinquenda ſit viro, quò novam cum *uxore* familiam erigat, iiſque penitùs relictis, *Illi* ad mortem uſque adhæreat, apparet Deo eſſe gratiſſimum, ut nexus conjugalis ſit perpetuus. Neque tamen eo ipſo evinci poteſt, à Deo jam tum imperatum eſſe, nequa unquam de cauſa fœdus illud ſolveretur. Alias autem divortii cauſas quàm alterius partis *adulterium*, aut *malitioſam deſertionem*, (morte enim non tam *dirimitur*, quàm terminatur Matrimonium,) Alias inquam quaſcunque cauſas, aut jam olim Imperatorum autoritate ſtabilitas, aut juriſperitorum patrocinio corroboratas, aut ſuffragio Theologorum utut celebrium ſubnixas, Nos ex Eccleſia Anglicana non agnoſcimus, non approbamus, qui *extra verbum Dei ſapere*, nefas ducimus; immò eſſe *deſipere*, exiſtimamus.

Jus totius Cleri ad inundum Conjugium.

§. 11. Quandoquidem igitur Matrimonium ſit ſtatus vitæ honorabilis, immaculatus, nec non divinitùs inſtitutus, cunctiſque *hominibus quà hominibus*, non ſolùm *Laicis quà Laicis*, ob cauſas graviſſimas etiam conceſſus; Non audiendi ſunt Illi, (prope dixeram non ferendi,) qui non duntaxat quam plurimis (nempe Monachis, Monialibus & Sacerdotibus, omni conjugio interdicunt, cáque unâ crudeli lege, horrendis libi-

sibidinum ustionibus, cædibúsque clandestinis (verendum est,) *Christiano* Nomini malè fecerunt; sed ipsi Ordini sunt iniqui, dum ad Sanctum conjugium detorquent illud, * *Qui sunt in Carne, Deo placere non possunt*; viventésque in conjugio coinquinatos esse conclamitant. *Clerum* autem à conjugio arcendum non esse, est in confesso apud quàm plurimos Romanæ Ecclesiæ Assertores, (tum *Filios*, tum *Patres*, tum Augustissimos etiam *Nutritios*,) qui id & publicè agnoscunt, & certatim probatum eunt. Sufficiat in præsenti (nè sim prolixior, quàm Propositi fert ratio,) in medium proferre valde succinctum *Maximiliani Cæsaris Commentarium*, in usum *Pontificis Romani* ejúsque *Cardinalium* præcipuè scriptum; cujus summam hanc exhibuit *Jacobus Augustus Thuanus* illustrissimus. " Negari scilicet " non posse, utriusque Testamenti testi- " moniis, uxores Sacerdotibus permitti; & " constare, Apostolos ipsos, paucis excep- " tis, conjuges habuisse; quòd autem *Chri- " stus* post eorum vocationem mandaverit, " ut se ab uxoribus separarent, nullo loco " reperiri; liquere item in prima orien- " tali, & occidentali Ecclesia, usque ad " tempus *Prohibitionis* à *Calixto* factæ, Sa- " cerdotum conjugia libera ac licita fuisse. " Proinde cùm Natura nostra fragilis sit, " Omnium ætas ab adolescentia in malum " prona; cùm Caro sit stimulus peccati, " & arctissima sit continentiæ via, pauci- " que reperiantur, qui carnis stimulum non " sentiant, & in igne positi non ardeant, " sitque talis ignis Concupiscentiæ ad per- " niciem

* Rom. 8. 8. *vide* Syricii *verba ad Episc.* Tarraconensem, *cap.* 8.

Thuan. *Hist. l.* 36. *p.* 305.

" niciem devorans; *Dionysium Corinthi* Episcopum prudentissimè *Pinytum* suffraganeum monuisse, nè cœlibatûs onus tanquam necessarium fratribus imponeret, sed infirmitatis plurium rationem haberet. Sic " *Paphnutium* in *Nicæna* Synodo honorabiles " confessum nuptias, & concubitum cum " propria uxore castitatem esse asserentem, " suasisse Patribus, nè cœlibatûs legem dicerent; gravem quippe esse causam, quæ " aut ipsis Sacerdotibus, aut eorum conjugibus scortationis occasionem præberet. Id " si olim sanctè & sapienter dictum, & ut " inde honestati, hinc infirmitati hominum " subveniretur, necessarium existimatum est; " nunc profectò hoc infelici seculo verum " esse, quod vix inter multos unus reperiatur, qui castum cœlibatum præstet. Nam " omnes ferè publicos esse scortatores, cum " maximo animarum discrimine & populi " offensione. Præterea eam Sacerdotum penuriam esse, ob vetitum Matrimonium, " ut Scholæ Theologorum, apud Catholicos " vacuæ sint, & spretis Episcopis omnes ad " Sectariorum Scholas profugiant, ibique " quali quali manuum impositione acceptâ, " se passim ingerant, sintque Ecclesiæ Catholicæ, supra quam credi possit, dedecori: qui tamen libertate conjugii permissa, omnes in Ecclesia nobiscum manerent. Proinde ex Ecclesiæ bono videri, " ut ipsa contra regulæ severitatem ea in " re aliquid indulgeat, & liceat viris sacram vitam professis vel in cœlibatu permanere, vel Matrimonium contrahere; " dein ut honesti mariti, qui docti & rerum

" Eccle-

" Eccleſiaſticarum peritiſint, ad ſacros ma-
" jores ordines admittantur; poſtremò ut
" cum Sacerdotibus, qui jam antea contra
" conſtitutiones ſacras matrimonium con-
" traxerint, in tanta miniſtrorum paucitate
" diſpenſetur, & ii per Eccleſiam gratioſè
" tolerentur; ac denique miniſtrare poſſint,
" ipſorum conſcientiis relinquatur: Valde
" enim abſurdum eſſe, Sacerdotes conjuga-
" tos removere, ſcortatores verò, qui con-
" tra legem divinam & humanam ſimul pec-
" cant, delinquentes pati; quod ſi ii caſti-
" tatis voto aſtringendi videantur, certè ad
" Sacerdotium promoveri non debere, niſi
" qui provecti jam ætate ſint, & de quibus
" ipſis certa concipi poſſit, ut cœlibatum
" piè & inviolatè colant, nec verò ſatis fir-
" mum videri eorum argumentum, qui prop-
" ter conſervanda bona Eccleſiaſtica cœli-
" batum mordicùs retinendum cenſent:
" quippe iis reputandum eſſe, an deceat
" Eccleſiam, tot animarum periclitatione,
" conſervandis bonis invigilare, cùm eorum
" indemnitati per ſolemnes deſcriptiones &
" inventaria, pérque alias ejuſmodi legiti-
" mas cautiones abundè proſpici poſſit."

Quibus tamen rationibus & argumentis quantumvis inſtante *Cæſare*, & re ipſa urgente, (inquit *Thuanus*) nihil à Pontifice, jam poſt Concilium ſemel dimiſſum ſecuro, impetrari potuit.

Jure divino Cœlibatum Sacerdotio annexum non eſſe, conſentiunt facilè *Cajetanus*, *Sotus*, *Bellarminus*, *Valentia*, *Eſpenſeus*, aliíque complures Pontificii. Quin & *Balſamo* affirmat, *ante Synodum Trullanam licuiſſe etiam*

etiam Episcopis habere uxores. Legatur omninò *Marcus Antonius de Dominis in Reip. Ecclesiastica l. 2. c.* 10. præsertim *à numero* 65. *ad numerum* 77. Ubi tota Disputatio ad decem capita revocatur. Totus etiam perlegatur *Confessionis Augustanæ* Articulus *vicesimus tertius.* Quicum confer *Cassandri Consultationem*, quæ est summæ, hac in causa, moderationis, & sapientiæ. Verbo dicam, (nè nimius sim,) Hæc Causa nihil habet opus ullâ Disputatione. Nova enim hæc lex, quæ prohibet Sacerdotibus conjugia, atque etiam contracta distrahit, pugnat cum jure Naturali, & Divino, cum Evangelio, cum veterum Synodorum Constitutionibus, & cum veteris Ecclesiæ Exemplis omnium laudatissimis.

CAP.

CAP. XXVIII.

De Mysterio Dei in Homine, sive de Persona & Muneribus Christi.

§. 1. POst *tres* diversos hominum *Status*, (Ecclesiasticum, Politicum, & Oeconomicum,) ex quibus *Ecclesia* Dei constat, vel (quod eodem planè redit) ex quibus, ut partibus integralibus, *Corpus Christi* conflatur; ipsum *Caput* ejusdem Corporis, quod est Ecclesia *non Biceps* (Ordine satis accommodato,) proximè venit contemplandum. Insuper mihi in mentem subit, quòd *Deus in* [a] *Christo Mundum sibi reconciliant*, est & [b] *Alpha & Omega*, τὸ ἔσχατον πρῶτον, Rerum omnium [c] *Principium* sine Fine, paritérque *Finis* sine Principio. Et benè gnarus Præcepti veteris (apud Authorem nescio quem) ἀρχὴν ἀπάντων καὶ τέλος ποίει Θεὸν, par & æquum esse existimo, in hac Opella expedienda, ut à Deo auspicatus, cum Deo desinam. Summum *Theologum* & *Apostolum* hac in Methodo imitatus, qui initium Scriptionis à Deo in Christo desumens, (*Joh.* 1. 1.) cum eodem eandem terminat, (*Apoc.* 22. 21.) Ità tamen de hoc Articulo, utut dignissimo, utilissimo, & maximè omnium necessario, agendum censeo, ut summâ quâ poterit brevitate, Amplissimus

Ratio Ordinis non una.

[a] 2 Cor. 5. 10.
[b] Apoc. 1. 8. 11.
[c] Joh. 1. 1.

plissimus Hic scribendi Campus videatur mihi emetiendus. Vagatur scilicet Hic Articulus per cæteros omnes antecedentes, in quantum *Deus in Christo* totius Scripturæ, quantæ quantæ, sive totius *circumferentiæ*, *Centrum* audit atque existit. Totius Ecclesiæ * *Fundamentum*, æquè ac *lapis* † *Angularis*. Totius Prophetiæ Completio; Omnimúmque Typorum Complementum. Thesaurus & Fidei & Spei nostræ. Fons & Gratiæ & Gloriæ in eum Credentibus adapertus. Nihil sunt aliud Sacræ Literæ, quam juge ‡ *de Christo* Testimonium. *Omnia quæ scripta sunt* (inquit Beatus † *Augustinus*) *ad unum Christum referuntur. Nec sapit verus Scriptura, nisi Christus in ea intelligatur.* Quicquid ergò de Verbo Dei sive ἀγράφῳ, sive ἐγγράφῳ scribendum duxi, i. e. de ipso *Christo* scripsisse censendus sum. Et nostri omnium profectò interest, qui Christi nomine insigniamur, eique nominis dedimus nostri, ut summâ curâ studióque quicquid est Christi addiscamus; siquidem * *Hæc est vita æterna*, (inquit Filius ad Patrem,) *ut Te cognoscant esse solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Ubi est obiter annotandum, quòd ideo Deum Patrem *solum verum Deum* appellat, ut omnibus *falsis* dis opponat; non ut *Seipsum* & *Spiritum Sanctum* a Deitate excludat; quandoquidem *Sui* cognitionem etiam illa Patris statim conjungat. Totam verò Divinitatem in *Patris Persona* (hic, ut alibi) proponit de more suo. Quemadmodùm Deus Pater dicitur, ‖ *Solus Rex immortalis, sapiens, habitans lucem inaccessam, invisibilis, &c. Cui honos & gloria in secula seculorum.*

* 1 Cor. 3. 11.
† Eph 2 20.
‡ Psal. 40. 7. Heb. 10. 7. Luc. 24. 44 Joh 5. 39.
† *In* Psal. 51. *Idem in Joh. Tract.* 9.
* Joh. 17. 3.
‖ Rom. 16. 27. 1 Tim. 1 17.

§ 2. Prout

§ 2. Prout dulce Nomen *Jesus* ratione Originis est *Hebraeum*, ità Cognomen *Christus* est purè *Graecum*. Et per utrumque forsan innuitur, totius generis humani, tam *Graecorum* quàm *Hebraeorum*, tam *Gentilium* quàm *Judaeorum*, Dominum *Christum* esse *Jesum*; *Messiam* esse *Salvatorem*. Nam quod *Christus* est *Graecis*, id *Messiah* est *Hebraeis*. Et utrumque vocabulum *unctum* Domini significat. Ob hanc potissimùm rationem, quia quemadmodùm olim *Reges*, *Sacerdotes*, nec non *Prophetae*, cum inaugurarentur, solebant * *ungi*, indéque etiam [g] *Christi* seu *uncti* Domini nuncupabantur; Ità verissimus *Rex* noster, summúsque *Sacerdos* atque *Propheta*, de quo nunc agitur, per Reges, Sacerdotes, Prophetásque in Vetere Testamento adumbratus, *interno* † *Laetitiae oleo*, ipsóque *Spiritu* [h] *Sancto*, & [i] *plenitudine Deitatis*, in Prophetam, in Sacerdotem, in Regem nostrum *est unctus*. Unctus est autem Hic *μεσίτης*, non tantummodò *Spiritu* [k] *Sancto*, per *Deum Patrem*, *prae consortibus suis*, (Psal. 45. 7.) sive *praeter mensuram*, (Joh. 3. 34.) verùm etiam Ipse Christus *seipsum* dicitur unxisse, propterea quòd *Omnis Plenitudo Deitatis in Eo* dicitur *habitare corporaliter*. Ubi Distinctio simul, & Unio Naturarum in Christo significantur; Quarum Conjunctio sive Connexio, non unione accidentali sed substantiali, sed hypostaticâ sancita est. *Christus* est Nomen Hypostaseos, & utriusque Naturae (divinae & humanae) Personam denotat. *Unctus* igitur ut *Homo*, seipsum unxit ut Deus. Unxit nimirum *Corpus suum*, *suâ ipsius Deitate*. Ità saltem * *Damascenus* rem exprimendam esse existimat.

Nomen & Cognomen τοῦ θεανθρώπου.

* Exod 29. 7. 1 Sam. 16. 13.
[g] Esa. 45. 1.
† Ps. 45. 7, 8.
[h] Act. 10. 38.
[i] Joh. 3. 34. Coloss. 2. 9.
[k] Esa. 11. 1, 2, 3. Esa. 61, 1, 2, &c.
* De Orthod. Fide l. 3. c. 3.

Natura Theanthropica ex Appellationibus accersita.

§ 3. Quandoquidem summa eorum omnium, quæ de *Deo in Christo* necessaria sunt scitu creditúve, in variis appellationibus, quæ Ipsi tribuuntur, in Verbo suo, videtur dilucidè contineri; ideo ex usu videtur fore, eas breviter enumerare. Quædam Appellationes ratione *Personæ*, quædam *Muneris* ratione, Domino nostro egregiè competunt. Quæ illi tribuuntur priore modo & respectu, vel *divinam*, vel *humanam*, vel *utramque* simul ejusdem Naturam spectant. Quæ posteriore respectu Christo Appellationes ascribuntur, Eæ triplici ratione, videlicet *Regii*, *Sacerdotalis*, *Prophetici* muneris, Ipsi obtingunt. Et Hæ omnes possunt in *propriæ*, aut *figuratas* benè distingui. Respectu *Naturæ suæ divinæ*, propriè appellatur *Deus*, *Deus verus*, *magnus Deus*, *Jehovah*, *Dominus*, *Filius Dei*, *unigenitus*, &c. Eodem respectu, figuratè *Verbum Patris*, ὁ λόγος, *Patris Imago*, χαρακτὴρ, & ἀπαύγασμα nuncupatur. Respectu *Naturæ suæ humanæ*, dicitur satis propriè *Filius hominis*, & *Homo*, *Vir dolorum*, *filius Abrahæ*, *Davidis filius*, *filius Judæ*, *Shilò*, & *Primogenitus Mariæ*. Eodem respectu, sed figuratè, *Semen Mulieris*, *semen Abrahæ*, *semen Isaaci*, *semen Jacobi*, *semen Davidis*, *Zemach*, sive *Germen*, *Virga* & *surculus ex radice Jessæ*, &c. Respectu *Naturæ utriusque*, *Emmanuel*, *Dominus omnium*, *Heres omnium*, *Rex Regum* ac *Dominus Dominantium* denominatur. Respectu *Officii sui in genere* vocatur *Jesus*, *Christus*, *Messias*, *Salvator*, *Salus*, *Mediator*, *Redemptor*, *Expectatio Gentium*, *Desiderium omnium Gentium*, & satis propriè hæc omnia. Eodem respectu, sed figuratè,

figuratè, vocatur *Sponsus*, Caput, Ædificii *fundamentum*, *lapisque angularis*, *Petra*, *Leo*, *Panis è Cœlo*, *Sol*, *Lux*, *Stella Matutina*, *Vitis*, *Arbor vitæ*, *Liber vitæ*, &c. Respectu *Officii sui in specie*, *Noster Sacerdos*, *Sacerdos summus*, *Hostia*, *Agnus Dei*, *Agnus Paschalis*, & *Pascha*, & Hæc respiciunt officium ejus Sacerdotale. Respectu Prophetici, *Propheta*, *Pastor*, ἀρχιποίμην, *Magister*, *Rabbi*, *Apostolus*, *Doctor*, *Minister Circumcisionis*, &c. Regii Muneris respectu, & *Rex*, & *Princeps*, & *Princeps Pacis*, & *Dux*, & *Dominator*, & *Judex* dicitur. Nonnunquam etiam ex *Typis Christi* Ipse *Christus* denominatur. Inde enim appellatur *Posterior* [l] *Adam*. Quid, quòd unicum *Christi* vocabulum (ex quo dicimur *Christiani*) cunctas in se reliquas ipsius complectitur Appellationes. Ità verbis conceptis *Justinus Martyr*. ἔχομεν δὴ ἐν τῇ ὀνομασίᾳ τοῦ χριστοῦ πάσας τὰς λοιπὰς ὀνομασίας τοῦ χριστοῦ περιεχομένας, εἰ καὶ μὴ πάσαις, ἀεὶ κεχρήμεθα. Non enim quia vocatur, *Emmanuel* est; sed eo quòd est, *Emmanuel* vocatur.

[l] 1 Cor. 15. 45.

Just. Mart. *in Quæst. & Resp. ad Orthodox. Q.* 135.

§ 4. In unitate *Personæ*, Dualitas *Naturarum* τῷ Θεανθρώπῳ attribuitur. In ipso est *Aliud* atque *Aliud*, utcunque *Alius* atque *Alius* non sit. *Deus* scilicet & *Homo* unum *Christum* conficiunt. Duas in eodem Naturas esse, ipsa evincit Vox [m] *Emmanuel*, quæ vult sibi *Nobiscum Deus*; evincunt idem quæcunque Nomina *utramque* Naturam *præsupponunt*, & *eidem* secundum *utramque* congruunt. Ut *Dominus Salvator*, *Jesus Christus*, *Redemptor Mundi*, *Mediator*, *Sacerdos in æternum*, & similia. Idem insuper evincit Typorum præ-

Unius Personæ Natura duplex.

[m] Esa. 7. 14. Mat. 1. 23.

figuratio; qualis erat *Melchisidecus*, [u] *sine Patre, sine Matre, ἀγενεαλόγητος, nec initium dierum habens, nec vitæ finem; sed assimilatus Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum*, εἰς τὸ διηνεκές. Nam ità *Christus*, quà *Deus*, ineffabiliter est genitus ab æterno, adeóque ἀπάτωρ, & quà Homo, est ἀμήτωρ, quòd ineffabiliter etiam conceptus. Porrò duplex Christi Natura in Sacris Literis non semel descripta

[u] Heb. 7. 3. Gen. 14. 18. 19. Ps. 110. 4.

proftat. Ut [o] *verbum Caro factum est*. [p] *Deus in Carne manifestatus. Ex Patribus quoad* [q] *carnem, Christus est supra omnes, Deus in sæcula laudandus.* Et utriusque Naturæ *Proprietates* passim occurrunt. Adeatur *Damascenus, l.* 3. Denique *Christus* sæpenumero utramque suam Naturam asserit; & utramque ὁμολογεῖται Ecclesia Catholica confitetur.

[o] Joh. 1. 14.
[p] 1 Tim. 3. 16.
[q] Rom. 9. 5.

Quo pacto & Natura.

§ 5. *Divina Christi Natura* non est *absolutè* atque *simpliciter* intelligenda; Ità enim sequeretur, Totam Trinitatem ex Maria fuisse incarnatam. Sed *singulariter* prorsus, & *hypostaticè*; quatenus *Verbum* ὑποστὰς, quod est [r] *Patris Sapientia*, vel [r] *Filius Dei* qui est Ipse *Deus Filius* assumpsit hominem. Neque *Natura Christi Humana* sub ratione universali, (quatenus est mentis Conceptus nudus,) nec in omnibus individuis Speciei est intelligenda, (quasi omnes omnium Naturas assumpsisset;) sed Natura unius & veri hominis, ex corpore & anima rationali constantis; quem Filius Dei ex Maria in Personæ assumpsit unitatem, hoc in loco & Articulo semper est animis concipienda. Neque tamen ità *assumptus homo*, per se unquam *Persona* fuit,

[r] Rom 8. 3. Gal. 4. 4.

fuit, (quia Persona Personam non induit,) sed à Filio Dei indutus perfectissimus est hominum, utcunque Hypostasi nequaquam existat naturali.

Hypostasis autem hoc in loco specialissimè considerata, est substantia individua, summè intelligens, atque incommunicabilis, quæ nec alterius pars est, nec ab altero sustentatur, nec ità habet ad Aliud dependentiam, prout Anima separata ad corpus suum resuscitandum; sed ità potius per se subsistit, ut *Petrus*, *Paulus*, *Matthæus*, &c.

Et Persona intelligatur.

Accidens illud est, quod non *in se*, sed in *Alio* suam habet Existentiam. Cujusmodi sunt quæ vulgò dicimus Accidentia. *Ens per accidens* autem est illud, quod cum alio secundum substantiam differente, in Totius alicujus Essentiam componitur, & *compositam* hypostasin unam perficit. Cujusmodi est homo ex carne & spiritu conflatus. Ubi nec Anima Sola est Hypostasis, nec solum corpus, sed Homo ex utrisque constans, cujus partes componentes sunt *accidentia* potius dicenda. Ea propter *accidentia* per se subsistit quà accidentibus suis substat; ità tamen in *Christo*, ut unam modò Personam *Deus* & *Homo* simul constituant, hypostaticâ quadam unione mirum in modum adunati. Unde conficitur, Jesum Christum Hypostasin esse sive Personam mirabiliter singularem, nulla cum alia conferendam. Nec enim aliter visum est Deo Peccatis mundi ignoscere, & periturum humanum genus sibi de integro conciliare. Unde sequitur, objectionem à *Nestorianis* aliisque jam olim motam, & petitam ab *Aristotele*, [*Finitum non est capax aut susceptibile*

Infiniti, Ergo Deus hominem non assumpsit,] evanidam esse prorsus, atque in fumum statim abire, utpote ἀπροσδιόνυσον, & contra ipsius *Aristotelis* disputandi Regulas prolatam, ὃ δεῖ μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος. Principia Disciplinarum non sunt temerè transferenda. In rebus præcisè naturalibus locum habet Axioma præcisè Naturale & Philosophicum, Quod *in* * *Mysterio Pietatis* applicari non potest. Hoc videlicet Mysterio [*Dei in carne manifestati,*] quod *absconditum erat a Seculis*, sed cujus *Custos* & *Conservatrix* est inter homines *Ecclesia*, nihil Augustius esse potest; quippe quod res omnium maximas, & quarum Conspectus aut Contemplatio ipsos Angelos Cœli perculit, in se uno complectitur; nobisque exhibet amplectendas, ceu *Fidei divinæ* objecta propria, non *humanæ Cognitionis*; nec tamen scitu magis difficiles, quàm firmiter creditu necessarias.

* 1 Tim. 3. 16. Col. 4. 3. & c. 1. v. 26.

Actus & Status Unionis quid differant.

§ 6. In Unione Hypostatica seu Personali Naturæ in Christo utriusque, *Actus* & *Status* accuratè distingui debent. *Actus* Unionis *Unitio* propriè vocari potest, quâ *æternus* Dei Filius naturam humanam *temporalem à parte antè*, & personalitate propriâ antecedenter destitutam, in suæ Personæ unitatatem suscepit. *Status* autem Unionis, quæ plerumque & quidem propriè vocatur *Unio*, est ipsa ἕνωσις ὑποστατικὴ, sive arctissima naturæ utriusque in Unica Christi Persona περιχώρησις, quæ quantumlibet *arcta* sit, *impermixta* tamen existit, & *inconfusa*. Neque enim *naturaliter* aut *essentialiter* uniuntur Naturæ hæ duæ; ut *materia & forma*. Nec *accidentaliter*, ut con-

contigua; quo modo *stella* adhæret *Orbi*, aut *asser asseri* conglutinatur; nec uniuntur *subjectivè*, ut *paries* & *albedo*, quæ subjecto sunt unum, sed non dicuntur ad convertentiam. In dicta verò unione utriusque Naturæ in unum Christum, & homo Deus dicitur & Deus homo. *Verbum factum est Caro, & postremus Adam in spiritum vivificantem factus est.* Nec uniuntur *integraliter*, ut membra corporis unum integrum componunt. Sed unio hæc est *Personalis*, quâ Filius Dei, qui ab æterno Persona fuit, Naturam humanam, quæ Persona non fuit, in unionem & communionem Hypostaseos suæ assumpsit. *Personalis* ergo est unio, sed non est unio *Personarum*. Solæ *Naturæ* uniuntur modo quodam *ineffabili*, qui captum humanum omninò fugit, quia transcendit penitus superátque. In eo autem discriminantur *Actus* & *Status* unionis, quòd *Actus* transiit, sed *Status* permanet. *Actus* erat personæ simplicis, nimirum Verbi cum Patre coæterni, qui ante Incarnationem Simplex erat. *Status* verò inter duas naturas extat. *Actus* denique consistebat in humanitatis assumptione, in ipso *conceptionis* momento primo; *Status* in intima, individua & individua Adhæsione Naturæ divinæ & humanæ, in perpetuum duratura.

§ 7. Si in causas tam stupendæ unionis inquirere sit licitum, ausim dicere distinguendo, causam efficientem fuisse totam *Trinitatem*, respectu habito ad *Principium*, sive *inchoativè*, & quâ opera dei *ad extra* sunt indivisa; sed in quantum hæc unio opus erat *ad intra*, & *personale*, seu *terminativè* consideratum, *De causis hujus Unionis, & rationibus motivis.*

* Phil. 2. 7, 8. Heb. 2. 16.

ratum, * *soli Filio* est propria, & peculiariter ascribenda. *Mixtum* enim hoc opus, docendi causâ, vocare licet; partim ad *extra*, & *officiale*, ratione *principii*; partim ad *intra*, & *personale*, respectu *termini*. *Trinitatis* est totius, ratione priore; ratione posteriore, *solius Filii*, nam *solus torcular calcavit*. Esa. 63. 3. & *Mediator est unus*. 1 Tim. 2. 5. & *unum est Abrahami semen*. Gal. 3. 16. Atque ex ipsis Sacris Literis hanc colligimus Distinctionem. Exinde siquidem clarè constat, quòd *Pater* in Mundum *miserit* Filium unigenitum. *Spiritus Sanctus* superveniens *Mariam* Virginem *obumbravit*. *Filius* desuper descendens, carnem *assumpsit* sanctificatam. Quærentibus quare *Filius* ità carnem assumpserit, potiùs quàm *Pater*, aut *Spiritus Sanctus*? Satius duxi respondere, fecisse Deum pro arbitrio quicquid sibi ipsi collibitum fuit, Deique consilia nobis esse inscrutabilia; quàm causas varias enumerare ab Autoribus variis assignatas. Videat, cui vacat, *B. Augustinum de Eccles. Dogmat. c.* 2. & *Damascenum Commentator. in l.* 3. *c.* 1. *de Orthod. Fide*. Hoc est nobis interim pro compertissimo, quòd causa προσληπτικὴ beatæ Incarnationis, Summa nostri omnium miseria erat. Causa προσληπτὴ, summa Dei Misericordia.

Ex Unione Communio oritur; & imprimis Naturarum Communicatio.

§ 8. Quanquam *Unio* & *Communio* sive *Communicatio* utriusque Naturæ in Mediatore videntur ità à se invicem differre, ut Hæc ex Illa oriatur; Ecclesiastici tamen Scriptores vocibus hisce pro iisdem in hoc Mysterio sunt usi, aliam ex alia declarantes. Ejusmodi est *Communicatio* Dei & Hominis

in

in Christo, ut Divinitatis sit *dare*, Humanitatis verò *accipere*. Et horum utrumque ut emergat ex *Unione Personali* necessum est. Consulatur *Irenæus l.* 3. *c.* 4. & *Athanasius in Epist. ad Epictetum. Hilarius de Trinitate l.* 9. *Damascenus de fide Orthod. l.* 3. *c.* 19. Ità Patribus inter se convenit de communicatione *Naturarum*, & *Proprietatum naturalium*, quæ ipsas Naturas consequuntur, ut ideo *Paulus Samosatenus* postulatus sit Hæreseos, quia Naturas in Christo duas ἀκοινωνήτους esse asseruit, sive *incommunicabiles*. Hac videlicet assertione, naturas invicem sejunxit, duplicémque Christum quasi constituit. Alium *hominem*, Alium *æternum Deum* in ipso homine habitantem; aut ignarus, aut oblitus, aut non satis secum expendens, quòd *Natura* in Sacris Literis de se invicem enunciantur. Deus de Homine prædicatur, tam in *Vetere* Testamento, *Jer.* 23. 5, 6. & *Jer.* 33. 15, 16. quàm in *Novo. Mat.* 16. 16. *Mat.* 22. 42, 43, 44, 45. *Luc.* 1. 32. *Joh.* 1. 30, —34. & 1 *Cor.* 15. 47. Homo vicè versâ de ipso Deo enunciatur, *Joh.* 1. 14. *Joh.* 5. 25, 26, 27. *Rom.* 1. 3, 4. & 1 *Tim.* 3. 16. Denique Textu illo Notabili, *Deus erat in Christo Mundum sibi reconcilians*, (2 Cor. 5. 19.) Unio Personalis ad vivum nobis repræsentatur. De quibus Prædicationibus notari debet, eas neque esse *identicas*, (ut *Christus* est Christus,) neque *essentiales* sive *univocas*, (ut Johannes est homo,) neque *accidentales*, (ut Aqua est calida,) sed peculiariter *Personales*, quales nisi in Sacris Literis ntiquam loci occurrunt.

* *Solum Novum est sub sole, per quod Dei infinita apparuit Virtus.* * Damascen. de Orth. Fide l. 3. c. 1.

Sed

* Phil. 2. 7, 8. Heb. 2. 16. ratum, * *soli Filio* est propria, & peculiariter ascribenda. *Mixtum* enim hoc opus, docendi causâ, vocare licet; partim ad *extra*, & *essentiale*, ratione *principii*; partim ad *intra*, & *personale*, respectu *termini*. *Trinitatis* est totius, ratione priore; ratione posteriore, *solius Filii*, nam *solus torcular calcavit*. Esa. 63. 3. & *Mediator est unus*. 1 Tim. 2. 5. & *unum est Abrahami semen*. Gal. 3. 16. Atque ex ipsis Sacris Literis hanc colligimus Distinctionem. Exinde siquidem clarè constat, quòd *Pater* in Mundum *miſit* Filium unigenitum. *Spiritus Sanctus* superveniens *Mariam* Virginem *obumbravit*. *Filius* desuper descendens, carnem *assumpſit* sanctificatam. Quærentibus quare *Filium* ità carnem assumpserit, potiùs quàm *Pater*, aut *Spiritus Sanctus*? Satius duxi respondere, feciſſe Deum pro arbitrio quicquid sibi ipsi collibitum fuit, Deique consilia nobis esse inscrutabilia; quàm causas varias enumerare ab Autoribus variis assignatas. Videat, cui vacat, *B. Augustinum de Eccles. Dogmat. c. 2.* & *Damascenum Commentator. in l. 3. c. 1. de Orthod. Fida.* Hoc est nobis interim pro compertissimo, quòd causa προηγουμένη beatæ Incarnationis, Summa nostri omnium miseria erat. Causa ἀναγωγική, summa Dei Misericordia.

Ex Unione Communio emicat; & imprimis Naturarum Communicatio.

§ 8. Quanquam *Unio* & *Communio* sive *Communicatio* utriusque Naturæ in Mediatore videntur ità à se invicem differre, ut Hæc ex Illa oriatur; Ecclesiastici tamen Scriptores vocibus hisce pro iisdem in hoc Mysterio sunt usi, aliam ex alia declarantes. Ejusmodi est *Communicatio* Dei & Hominis

in

in Christo, ut Divinitatis sit *dare*, Humanitatis verò *accipere*. Et horum utrumque ut emergat ex *Unione Personali* necessum est. Consulatur *Irenæus l. 3. c. 4.* & *Athanasius in Epist. ad Epictetum. Hilarius de Trinitate l. 9. Damascenus de fide Orthod. l. 3. c. 19.* Ità Patribus inter se convenit de communicatione *Naturarum*, & *Proprietatum naturalium*, quæ ipsas Naturas consequuntur, ut ideo *Paulus Samosatenus* postulatus sit Hæreseos, quia Naturas in Christo duas ἀσυμφύτους esse asserut, sive *incommunicabiles*. Hac videlicet assertione, naturas invicem sejunxit, duplicémque Christum quasi constituit. Alium *hominem*, Alium *æternum Deum* in ipso homine habitantem; aut ignarus, aut oblitus, aut non satis secum expendens, quòd *Natura* in Sacris Literis de se invicem enunciantur. Deus de Homine prædicatur, tam in *Vetere* Testamento, *Jer.* 23. 5, 6. & *Jer.* 33. 15, 16. quàm in *Novo. Matt.* 16. 16. *Mat.* 22. 42, 43, 44, 45. *Luc.* 1. 32. *Joh.* 1. 30, —— 34, & 1 *Cor.* 15. 47. Homo vicè versâ de ipso Deo enunciatur, *Joh.* 1. 14. *Joh.* 5. 25, 26, 27. *Rom.* 1. 3, 4. & 1 *Tim.* 3. 16. Denique Textu illo Notabili, *Deus erat in Christo Mundum sibi reconcilians*, (2 Cor. 5. 19.) Unio Personalis ad vivum nobis repræsentatur. De quibus Prædicationibus notari debet, eas neque esse *identicas*, (ut *Christus* est Christus,) neque *essentiales* sive *univocas*, (ut Johannes est homo,) neque *accidentales*, (ut Aqua est calida,) sed peculiariter *Personales*, quales nisi in Sacris Literis nusquam loci occurrunt.

* *Solum Novum est sub sole, per quod Dei infinita apparuit Virtus.* * Damascen. de Orth. Fide l. 3. c. 1.

Sed

Sed quia quandoque Prædicationes sunt *literales*, quandoque *tropica*, quandoque in *concreto*, quandoque in *abstracto*; in antecessum idcirco dicendum est, quòd *Anima*, Pars hominis, locutione Synecdochicâ pro *toto homine* usurpatur in Sacra Pagina, ità unica Christi Natura pro tota Christi Persona interdum sumitur. Ut *Semen* [a] *mulieris conteret caput* [b] *Serpentis*. [b] *Jehovah Justitia nostra*. [c] *Filius Dei apparuit, ut opus Diaboli dissolveret*. In quibus locis & aliis plurimis, unius Naturæ sonus totum Christum significat. Interdum Res concreta per abstracta vocabula enunciatur. Ut *Joh.* 6. 54. *Joh.* 1. 14. *Et Novissimus Adam in Spiritum factus* esse dicitur, 1 *Cor.* 15. 45. Neque duntaxat *Verbum Vita*, sed ipsa *Vita Manifestata*. 1 *Joh.* 1. 1, 2. Et sicut [d] *Christi Evangelium* per [d] *Gratiam Christi* exprimitur, atque semel ad minimum per *ipsum Christum*; Sic etiam *Christus in Evangelio* (& *Evangelium* simul *in Christo*) hunc in modum metonymicè & abstractivè simul effertur. * *Factus est nobis Sapientia à Deo, Justitiáque, & Sanctificatio, & Redemptio.* Quod est perinde, ac si dixisset, Evangelium Christi esse (& Christum ipsum) minimè omnium contemnendum, quum omnium maximas Res contineat; veram esse nimirum Sapientiam, veram justitiæ consequendæ rationem, veram piæ probæque vitæ viam, veram denique à miseriis & calamitatibus liberationem.

[a] Gen. 3. 15.
[b] Jer. 23. 6.
[c] 1 Joh. 3. 8.
[d] Joh. 1. 17. Act. 20. 24. 32. Rom. 6. 14. Heb. 12. 28.
* 1 Cor. 1. 30.

Communicatio Proprietatum.

§ 9. Communicatio Idiomatum sive Proprietatum in *Jesu Christo* ea est, qua ob Naturæ utriusque (divinæ pariter & humanæ) unionem

unionem hypostaticam, non solummodò *Personæ*, (quæ est ἀνθρωπότης,) verùm etiam *alterutrius Naturæ* Idiomata, alterutri Naturæ, sive utrique vicissim & reciprocè, (Deo scilicet humano, hominique divino,) attribuuntur. Et propter eandem κοινωνίαν, sive Communionem, Natura altera cum alterius participatione operatur; ità tamen, ut Naturæ earumque proprietates illæsæ maneant.

Omnes autem Idiomatum Communicationes ad tria capita, sive genera, sive modos reduci queunt. Primum est, quo *Assumptæ* Naturæ humanæ idiomata de *Assumente* τῷ λόγῳ seu Filio Dei enunciantur. Ut cùm dicitur, *Christum esse ex* [a] *semine aut ex* [b] *lumbis Davidis. Christum esse ex* [c] *patribus, licet Deus supra omnes laudandus in secula. Christum esse* [d] *crucifixum ex infirmitate, vivit tamen ex potentia Dei.* Secundum est, quo Majestas, & Gloria, aliáque Assumentis Naturæ idiomata *Assumpto* homini attribuuntur. Ut cum dicitur, *in Christo inhabitare omnem plenitudinem* [e] *Deitatis corporaliter; & Christo datam esse* [f] *omnem potestatem in Cœlo & in Terra.* Atque alibi multoties. Ut *Luc.* 1. 33. *Joh.* 3. 13. *Philip.* 2. 5. *Philip.* 3. 21. *Col.* 1. 19. *Col.* 2. 3. *Eph.* 1. 22. *Luc.* 5. 24. *Mat.* 16. 27. *Joh.* 5. 27. in quibus locis aliisque, Omnipotentia, Omnisicientia, Omnipræsentia, potestas vivificandi, remittendi peccata, atque Judicii exequendi, *Filio hominis* asseruntur. Tertium genus communicationis idiomatum est, quo opera Redemptionis *Toti Christo*, sive τῷ ἀνθρωποθέντι, quoad utramque simul Naturam assignatur. Ut cum *Christus* dicitur *nos* [g] *redemisse ab execratione legis, dum pro nobis*

[a] 2 Tim. 2. 8.
[b] Act. 2. 30.
[c] Rom. 9. 5.
[d] 2 Cor. 13. 4
[e] Col. 3. 9.
[f] Mat. 28. 18.
[g] Gal. 3. 13.

[h] Act. 20. 28. *nobis factus est Execratio; & Deus* [h] *proprio suo sanguine Ecclesiam* dicitur *acquisivisse*; & in eundem sensum alibi. Ut *Rom.* 8. 3. *Rom.* 8. 32. *Gal.* 4. 4. & 1 *Joh.* 1. 7. & 1 *Joh.* 3. 8. *Heb.* 4. 14. *Denique unus est Deus, unus etiam Mediator est Dei & Hominum, Homo Christus Jesus*, 1 Tim. 2. 5.

Ex quibus est colligere, quòd neque Deus sine Homine assumpto, neque Homo sine Deo assumente, Magnificum atque stupendum Redemptionis opus absolvit. Quamobrem *Damascenus*, ex *Dyonisio*, Actiones Christi omnes θεανδρικὰς censuit nominandas, latinè *Deiviriles*, seu *humanodivinas*; eo quòd Humana in Christo Actio divinam quoque vim & virtutem habet coëffectricem.

Hæreses præcipuæ adversus Christum.

§ 10. Omnes hæreses & blasphemiæ adversus Dominum Salvatorem ad Tria capita reducuntur. Naturas enim Christi violant, vel divinam, vel humanam, vel unionem utriusque. *Divinam* aliqui Christo adimunt; ut * *Ebion*, *Paulus Samosatenus*, & *Socinus*. Aliqui disparem & dissimilem à Patris Deitate comminiscuntur; ut † *Photinus*, & *Aetius*. Aliqui similem esse volunt, sed vel voluntate creatam, ut * *Arius*, vel Dignatione Talem fieri, ut *Eunomius*. Dein *Humanam* Christi naturam, Alii auferunt ei penitùs, ut *Valentinus*, ejúsque *assecla*. Alii eam aëream & phantasticam esse contendunt, ut † *Marcionita*. Alii semiplenam, ut * *Apollinaristæ*. Unionem utriusque Multi lædunt temerántque variis modis. Nonnulli ità inter se miscent ambas Christi Naturas, prorsus ut liquores misceri solent; cujusmodi sunt *Timotheani*.

* Euseb. *Hist. Eccl. l.* 3. *c.* 24. *& l.* 7. *c* 26.
† Cassiodor. *in Tripartit. Hist. l* 5. *c.* 5.
* *Idem, l.* 1. *c.* 12.
† Epiph. *Hær.* 42.
* Theodoret. *Hist. Eccl. l.* 5. *c.* 3.

theani. Nonnulli eas confundunt atque transformant, quales sunt *Eutychiani*. Nonnulli ita separant, ut in uno Christo duos Filios constituant; id quod faciunt *Nestoriani*. Nam damnatus est *Nestorius* (Episcopus quondam Constantinopolitanus) in Concilio *Ephesino*, quòd *Christum in duas Personas* dividebat. Id quod ex secundo, tertio & quarto ejus Concilii (Cujus erat Præses *Cyrillus Alexandrinus*) Anathematismis patet, de ejus Exitu miserabili *Evagrius* narrat, *l.* 1. *c.* 7. Breviter dico, unionem duarum in una Persona Naturarum ita esse intelligendam, ut ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, & ἀχωρίστως, fit facta; *absque confusione, conversione, divisione & separatione.*

§ 11. Post Christi Nomen, & Cognomen, variasque Appellationes, post unitatem Personæ, Dualitatem Naturæ, utriusque unionem & quoad actum & quoad statum, post Communionem inde ortam tam Naturarum, quam Idiomatum, hactenus breviter expensas, Monet me mea Propositi ratio, ut ad *Munera* Christi festinem proximo loco commemoranda. Illa autem, (quæ consistunt in toto Mediatoris opere, inter Deum & hominem, quod *Incarnationis* est Finis,) vulgo dicuntur esse *Tria*, *Propheticum, Sacerdotale* & *Regium*. *Munera Mediatoris Tria.* [1] 1 Tim. 2. 4, 5, 6.

§ 12. Respectu primi, nos instruit de Patris sui voluntate, & via ad vitam sempiternam; id est, Arcanum Dei consilium de Redemptionis nostræ mysterio, seu Doctor Catholicus patefacit. Hoc spectant, inter alios, qui sequuntur Scripturæ loci, [1] *Prophetam* *Propheticum.* [1] Deut. 18. 18.

tum suscitabo tui similem, & ponam verba in
m Esa. 61. 1. ore ejus, &c. *Unxit* m *me Dominus ad evangeli-*
zandum, &c. *Hic est Filius meus dilectus*, &c.
q Mat. 17. 5. *Hunc* q *audite. Deum nemo vidit unquam.*
o Joh. 1. 18. *Unigenitus, filius — ipse* o *enarravit.* Neque
p Mat. 28. 19. Joh. 20. 21. tantum *immediate*, verùm etiam per p *Apo-*
stolos, atque *Evangelistas* hoc munus obiit.
Quid, quod etiamnum ad dextram Dei exal-
q Eph. 4. 11, 12. tatus, dat *Ecclesiæ suæ Doctores in* q *opus Mi-*
nisterii, &c. adeò ut *Scripturæ Sacræ*, & *Prædicationis* Ministerio, Christus munere suo pro-
* Joh. 5. 39. phetico *Hodie* etiam defungatur. * *Scrutamini* (inquit) *Scripturas, quia in ipsis vitam*
æternam vos habere existimatis; & qui vos au-
† Luc. 10. 16. *dit,* † *me audit: qui vos spernit, me spernit:*
qui autem me spernit, spernit eum qui me mi-
* Mat. 28. 20. *sit:* & *Ecce sum* * *vobiscum omnibus diebus*
usque ad consummationem sæculi. At præter
docendi functionem, Doctrinæ ipsius *Efficacia* spectanda venit. Quocunque enim se ver-
r Mat. 12. 1, &c. tebat, sive r leges rituales Morali suæ subji-
† Mat. 15. 3, &c. & cap. 23. ciendo, sive moralem exponendo vindican-
doque, adversus *Seniorum* exolas Deo † *Traditiones*, ac corruptelas s *Pharisæorum*; singu-
s Mat. c. 5. c. 6. c. 7. lari t *Auctoritate* peregit omnia; ad mentium
t Mat. 9. 28, 29. Joh. 7. 46. usque u illuminationem, plenique cordium
u Luc. 24. 45. x conversionem. Miraculis denique quic-
x Joh. 5. 36. & Joh. 6. 68. quid docuit y confirmavit, quo certiùs fides
y Luc. 6. 69. Doctrinæ suæ haberetur. *Etiamsi mihi non creditis, operibus meis tamen credite.* Joh. 10. 38. Respectu muneris hujus
Prophetici, *Prophetæ* dicitur, & *Pastor*, & *Apostolus professionis nostræ*, *Magister*, *Rabbi*, *Præceptor*, *Doctor*, *Evangelista*, *Legislator*, *Fidei nostræ Auctor & Consummator*, *Minister Circumcisionis*. *Rom.* 15. 8. quippe qui ad *Israeliticos*

litiens in sua Persona erudiendos se missum esse [a] *affirmat*; utpote quibus *singulariter* [b] promissus erat. Interim tamen [c] *Samaritanos*, & [d] *Cananæas*, non omnimodo neglexit, aut in sua ignorantia reliquit penitùs; ut [e] præludium exhiberet *Vocationis etiam Gentium*, quarum [f] *Sulu & Lux* futurus erat. Unde etiam *Præceptor Gentium* vocabatur, *Esa.* 55. 4.

[a] Mat. 15. 24.
[b] Rom. 9. 4. 5. Gal. 3. 16.
[c] Joh. 4. 26.
[d] Mat. 15. 22.
[e] Esa. 49. 6.

§ 13. Respectu muneris secundi, medium sese interponit inter Deum & Homines Peccatores; seipsum pro peccatis omnibus totius generis humani perfectam hostiam semel obtulit; legi divinæ obedientiam perfectissimam præstando usquequaque satisfecit; pœnas peccatorum omne genus Peccato debitas in se ultrò etiam suscepit; & à se parta beneficia Credentibus per fidem, & per Sacramenta applicans, pro iisdem apud Patrem in omnia secula intercedit. Hujus muneris respectu, vocatur Christus *Pontifex Magnus*. Heb. 5. 10. *Pontifex misericors & fidelis*. Heb. 2. 17. *Futurorum bonorum Pontifex*. Heb. 9. 11. *Sacerdos Magnus super Domum Dei*. Heb. 10. 21. *Noster Advocatus apud Patrem*. 1 Joh. 2. 2. *Pretium Redemptionis nostræ*. 1 Tim. 2. 6. *Agnus occisus ab Origine mundi*. Apoc. 13. 8. *Pascha nostrum*. 1 Cor. 5. 7. *Propitiatorium*. Rom. 3. 25. denique *Pax nostra*. Eph. 2. 14. *Sacerdotale.*

Ratio formalis hujus officii duobus Actibus continetur, adeóque ex duabus constitit partibus; quarum prima est *Satisfactio*, secunda verò *Intercessio*. Illa pro *peccatis* jam olim transiit; Hæc pro *peccatoribus* semper manet. Illa est ipsa *Meritoria*; Hæc est, propriè Meritorum *Satisfactio pro Peccatis.*

ritorum *applicavit*. Illam delegit Mediator in ara Crucis; quâ Sacerdos pro tempore, secundum Ordinem *Aaronis*; Hanc evectus in Cœlum peragit, quâ *Sacerdos in æternum, secundum Ordinem* * *Melchisedeki*. Typicus erat utercque Ordo Sacerdotii, verum & unicum Sacerdotem Testamenti Novi [f] designans. Major tamen est *hujus*, quàm *illius* Ordinis Excellentia, sive *Persona Aaronis & Melchisedeki*, sive *munera*, sive *honores* utriusque spectare placeat. Ea est autem *satisfactio* de qua nunc agitur, quâ Filius λύτρον ἀντὶ πολλῶν pro omnium hominum peccatis Patri præstitit. Et æque *justificationem* ac *salutem* humano generi acquisivit. Hæc pro peccatis *expiatio* variis titulis insignitur in Sacris Literis; dicitur scilicet [g] *Redemptio*, [h] *Reconciliatio*, [i] *Acquisitio*, [k] *Propitiatio*, & [l] *Placamentum*. Nec aliter erat necessaria ad salutem hominum procurandam, (siquidem alius servandi modus Deo deesse nequaquam potuit,) nisi ex Supposito [m] *Beneplacito* Dei. *Placuit enim Patri, ut pace per sanguinem crucis factâ, per eum omnia sibi reconciliaret*; idque partim propter *justitiam* quâ *Peccatores* [n] *merentur mortem*; partim propter *veracitatem*, quâ *mortem Peccatoribus* [o] *minatus erat*. Neque tantummodo *vera* erat hæc crucifixi satisfactio, in quantum [p] *animam suam pro omnibus* λύτρον dedit, sive [q] ἀντίλυτρον, sive *pretium Redemptionis*; verùm insuper completa, *Deique justitiæ adæquata*; id quod *Dignitati Personæ* qui satisfecit, *Gravitas supplicii* per quam satisfiebat, *Dignæ Patris Approbatio* (tum quoad Christi Personam, tum supplicii sufficientiam,) abunde testantur atque evincunt. Porrò Christi Obedientia tam

activa

* Psalm. 110. 4.
[f] Heb. 7. 3. & Heb. 10. 1.
[g] Rom. 3. 24.
[h] Rom. 5. 11.
[i] Act. 20. 28.
[k] 1 Joh. 2. 2.
[l] Rom. 3. 25.
[m] Col. 1. 20.
[n] Rom. 1. 32.
[o] Gen. 2. 17.
[p] Mat. 20. 28.
[q] 1 Tim. 2. 6.

activa quàm *passiva* tam arcto nexu inter se invicem copulantur, ut Passio fuerit activa, ipsique Actio passiva fuerit.

Quòd Christus *Sacrificium* propriè dictum *Semel* obtulerit, Scripturæ rem faciunt testatissimam. Ut *Rom.* 6. 9. *Heb.* 9. 12, 25. *Heb.* 10. 10, 14. & 1 *Pet.* 3. 18. Quòd *omnibus omniumque* peccatis Christus satisfecerit *cogunt* nos credere Scripturæ Sacræ. *Joh.* 1. 29. *Esa.* 53. 16. 1 *Cor.* 15. 22. 2 *Cor.* 15. 22. 1 *Tim.* 2. 6. & 1 *Tim.* 4. 10. & 1 *Joh.* 1. 7. & 1 *Joh.* 2. 2. Id ni fuerit, Evangelium non sincerè ad *omnem* spectaret *Creaturam*. Adami *Peccatum* & *Peraitio* latiùs multo sese extenderent, quàm Christi *Merita* & *Redemptio*. Impiique utut increduli vix aut nevix quidem ritè damnari quirent. Cur enim crederent in Christum, si nihil pro ipsis præstitisset? Quinimmo Christi Crucifixio *pro iis etiam qui pereunt peragebatur*. Rom. 14. 15. Heb. 6. 4, 5, 6. Heb. 10. 29. Denique sunt qui *hæreses exitiales subintroducunt, ipsum Dominum qui ipsos Mercatus est abnegant, & velox exitium sibi accersunt*. 2 Pet. 2. 1. Certo est certius, quòd hæ Scripturæ cum solis Dei Electis quadrare nequeunt.

Intercessio pro Peccatoribus.

Pars altera Sacerdotii Dominici, est *Intercessio* Mediatoris apud Patrem in Cœlis, quæ fit à Filio effectiva, virtute *meriti* sui multiplicis, & plenæ *satisfactionis* in Terra præstitæ; idque in genere pro [a] *omnibus*, (ipsius hostibus non exceptis,) vel speciatim [b] pro *fidelibus*. Intercessit sanè pro nobis, cum hic ageret apud Mortales. Ut *Joh.* 17. 9. *Et pro iis rogo*, &c. Quin & disertè dicit Apostolus, quòd *in diebus Carnis suæ de-*

[a] Esa. 53. 12. Luc. 23. 34.

[b] Joh. 17. 9. Rom. 8. 23. 1 Joh. 2. 1.

precationes & supplicationes cum clamore valido & lacrymis obtulit, &c. *Heb.* 5. 7. At Intercessio seu Interpellatio de qua jam agimus, alterius planè est generis. Neque enim *nunc* rogat genubus provolutus, nedum τὰς ἡμέρας τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, (ut in diebus carnis suæ,) sed *sistit*
[a] Heb. 9. 24. se cœlesti Patri; & *pro nobis* quasi [a] *compa-*
[b] Heb. 9. 12, 25, 26. *rens*; [b] *sanguinem* fusum repræsentans, & pro
[c] Heb. 7. 25. Rom. 8. 34. nobis [c] *interpellans*; rogando scilicet, id est *volendo*, tum ut in gratiam recipiamur, tum
[d] 1 Joh. 2. 1. ut recepti conservemur. Hic est *Ille* [d] *Advocatus* quem *Rei habemus apud Patrem*, cujus
[*] Heb. 12. 24. *Sanguis* glorificatus (qui [*] *meliora quàm sanguis Abelis loquitur*,) dum tacet, clamat; (Si Ciceronis oxymoron hic liceat adhibere)
[f] Joh 11. 42. non ultionem poscens, sed veniam. Et pos-
[g] Rom. 8. 33, 34. H b. 7. 25. Rom. 5. 10. cendo quidem impetrat; [f] *semper enim Pater exaudit Filium.* Ecce ingens Spei nostræ, & consolationis [g] fundamentum.

Regium. § 14. Respectu tertii, Christus in Cœlo & in Terra, omnipotentiâ suâ quâ pollet, gubernat omnia. Cives suos præsertim, divini Verbi ministerio, & Spiritu, usque ad Mundi finem colligit; Eósque contra hostes, in quorum medio versantur, defendit fortiter & propugnat; ac tandem Gloriæ Diademate in Regno suo coronat. Quæ partium Trinitas planè Regia, (Gubernatio Ecclesiæ militantis; contra hostes Defensio; & Exaltatio in Triumphantem;) in ipsa Christi Sessione ad dextram Patris continetur. Hujusce muneris *Veritati* Scripturæ perhibent
[h] Jer. 23. 5, 33. testimonium. [h] *Ecce dies veniunt, cùm suscitabo Davidi germen justum, & regnabit Rex*, &c.
[i] Zach. 9. 9. *Exulta filia Sion*, —— [i] *Ecce Rex tuus veniet*

tibi

tibi juſtus & Salvator. [a] *Ego conſtitui Regem meum*, &c. *Sceptrum* [b] *fortitudinis emittet Dominus ex Sion*, &c. Eſt autem regnum *Spirituale*, [c] *Non eſt enim de hoc mundo. Et Militiæ noſtræ Arma* [d] *non ſunt Carnalia.* Sed & *Æternum*; *Num Regni ejus* * *non erit finis.* [f] *Nec diſſipabitur in æternum.* Eſt etiam ſummè *Glorioſum*; *Nam* * *collocavit eum Pater ad dexteram ſuam, longè ſupra omnem poteſtatem & imperium.* — & *omnia pedibus ejus ſubjecit*; *eumque Caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ conſtituit.* Hujus muneris pars prima, quæ eſt Eccleſiæ *Gubernatio*, vel externè fit per Verbum, vel per Spiritum internè. Verbo [g] *imperat* reſipiſcentiam & fidem, quas Spiritu [h] *confert.* Confert inquam dupliciter; tam [i] *Intellectus* ſuorum illuminando, quam legem [k] *cordibus* inſcribendo. Utroque modo gubernari ſe petit Pſaltes, tam *Verbo*, quam *Spiritu.* [l] *Rege* (inquit) *me Domine ſecundùm verbum.* [m] *Spiritu tuo me deduc per terram planam.* Hujus muneris pars altera, quæ eſt Eccleſiæ *Defenſio* adverſus Hoſtes, (nempe *Satanam*, *Carnem*, *Mundum*, *Mortem*que,) modo præſtatur tam efficaci, ut *nè* [n] *portæ quidem Inferorum contra Chriſti Eccleſiam valere queant.* Satanæ nimirum conſilia turbat, atque fruſtratur. Carnis frangit violentiam. Mundum in pedum ſcabellum ponit. Mortemque ipſam, hoſtium ultimum, in victoriam denique abſorbebit. Hujus muneris pars tertia, quæ eſt *Eccleſiæ Exaltatio*, eſt ipſa ineffabilis in die noviſſimo ἀποκατάστασις, cùm *regnum Gratiæ* perficietur in *regnum Gloriæ*, ad cujus *æternam Gravitatem*, & *Pondus imperveſtigabile*, ità obmutuit & obſtupuit beatus *Paulus*,

[a] Pſal. 2 6.
[b] Pſal. 110.2.
[c] Joh. 18.36.
[d] 2 Cor. 10.4.
[e] Luc. 1 33.
[f] Dan. 2 44.
* Eph. 1.20, 21. &c.
[g] Mar. 1.15.
[h] Act. 5. 31.
[i] Jo 6.45. &
[k] Jo. 16.13. Jer. 31.33.
[l] Pſ 119.133.
[m] Pſ. 143.10.
[n] Mat. 16.18.

Paulus, ut καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰωνίου βάρος dicendo confessus sit, omnem hyperbolen superari ab ea Gloria, illique Gaudiis, quæ percepturi sumus in Regno Mediatoris nostri gloriosissimi. Qui, respectu Regii Muneris, *Rex super Populum suum* [a] vocatur, & *Princeps eorum in* [b] *perpetuum.* [c] *Princeps Pacis.* [d] *Dux Gentium.* * *Dominator in Israele.* [f] Dominator quem quærimus. [g] *Dux & Autor Salutis.* [h] *Rex justitiæ, & Pacis.*

[a] Ezek. 37. 24.
[b] Ibid. v. 25.
[c] Esa. 9. 6.
[d] Esa. 55. 4.
* Mic. 5. 2.
[f] Mal. 3. 1.
[g] Heb 2. 10.
[h] Heb 7. 2, &c.

§ 15. Hactenus Dicta nos monent, & potentissimè adhortantur, ut magnitudinem peccatorum, perquam humillimè confiteamur, quæ nisi Morte Mediatoris expiari non poterant: ut morbi nostri Malignitatem ex intimo corde lugeamus, cujus unicum Remedium ipsius Medici ægritudo, & cædes erat. Ut summam Patris nostri Cœlestis erga nos *filios Adoptivos* (Misericordiæ indignissimos) Dilectionem agnoscamus, qui ne mortem moreremur, *Unigenitum* suum *Filium* in mortem tradidit. Ut in servitiis Mediatori de die in diem peragendis, neque Sumptui, neque Famæ, neque Sanguini, neque Vitæ, parcamus unquam *Illius ergò*, qui sibi ipsi non pepercit, ut nobis parceret. Ut ex manibus Inimicorum per *Jesum Christum* Liberati, Eidem nostro Liberatori jugi tenore deserviamus. Ut hujus *Prophetæ* Documenta obviis auribus auscultemus. Ut Hostiam hujus *Sacerdotis* redhostiamus gratabundi durante vitâ. Ut hujus *Principis* Imperiis (non his, aut illis, sed) singulis pariter, & universis, ex tota anima, totis viribus, totâ nostrâ fortitudine, obstinati indefessi-

fessi-indefectibiles obtemperemus. Ut ejus *exemplum* imitemur, qui dixit *Ego sum Via*; ut ejus *Præceptis* obsequamur, qui dixit *Ego sum Veritas*; ut ejus *Promissis* fidamus firmiter, qui dixit *Ego sum Vita*. Postremo loco ut hac suavissimâ, in omnibus vitæ nostræ miseriis, Consolatione perfruamur, quòd Christus nos *regit*, atque *tuetur*; quòd *satisfecit* pro peccatis, *intercedit*que pro Peccatoribus; quòd qui pro nobis intercedit apud Patrem suum nostrúmque, est *Frater* noster putativus, *Filius Ille unigenitus in sinu Patris*, qui à suo ipsius *Patre* nunquam potest non exaudiri.

Illi Honos sit, & Gloria, in secula seculorum.

——εἰ καὶ δυσχερῆ ταυτ' ἦν ἀντικρυς, καὶ μηδέποτε πρὸ ἡμῶν ἑτέροις, μήτε σπουδασθέντα, μετ' ἀνυθέντα, τὴν γὲ παρὰ τῆ Πνεύματος συμμαχίαν οὐκ εὔλογον ἀπελπίζειν, ᾧ καὶ κατὰ τῶν ὡς ἀληθῶς ἡμῖν ἀδυνάτων ὑπερβάλλουσα προσεστι δύναμις. Geo. Scholar. *de Pace in Concilio Florentino*. Bin. *T*. 8. *p*. 898.

FINIS.

Cap. 28. *Dei in Christo, &c.* Sect. 15. 359

sensi indefectibiles obtemperemus. Ut ejus exemplum imitemur, qui dixit *Ego sum Vita*; ne ejus *Praeceptis* obsequamur, qui dixit *Ego sum Veritas*; ut ejus *Promissis* fidamus firmiter, qui dixit *Ego sum Vita*. Postremo loco ut Tac. Ma. [illegible], in omnibus vitae nostrae ministris, Consolatione praeeminemur, quod Christus nos regit, atque *ruetur*; quod *satisfecit* pro parentis, *intercedit*que pro Peccatoribus, quod qui pro nobis intercedit apud Patrem, Jam nostrumque, est *Frater* noster pueri ejus, *Felicus Ille unigenitus in sinu Patris*, qui a suo ipsius *Patre* nunquam potest non exaudiri.

Ini Honos sit & Gloria, in secula seculorum.

[illegible]

Geo Scholar. *de Pace in Concilio Florentino.* Tom. T. 8. p. 458.

FINIS.

Index Rerum Alphabeticus.

Adamus Integer, p. 83, 84, &c. *lapſus*, 104, 105, &c.

Æterna Dei Decreta, p. 40, 41, &c.

Angeli in genere, p. 69. *Nomen*, 70. *Natura*, 71. *Hierarchia*, 72. *Bonorum natura & Electio*, 73. *officia & opera*, 74. *Multitudo*, 75. *Uſus Triplex*, 76. *de Reprobis*, 77. *V. Diabolos.*

Antinomi & Anabaptiſtæ cur maxime fugiendi, p. 152, 153.

Anima immortalitas, p. 85. *non repugnat rationi*, 87. *qualis animæ Origo*, 88. *quibus vexetur difficultatibus*, 89. *diſſidentium de ea Conciliatio*, 89, 90.

Apocryphi libri Biblici, p. 13, 14, 15.

Appetitus ſenſitivus qualis fuerit in Adamo, p. 84.

Arbitrium, *vide Liberum.*

Arbor Vitæ & Necis, p. 93, 94.

Baptiſmus multiplex quoad Nomen, unicus quoad Naturam, unus Chriſti Baptiſmus Baptiſmo Johannis perfectior eſſet, p. 225, 226. *Infantibus concedendus, nec iterandus*, 227. *nunquam malus usus per malos adminiſtretur*, 229. *diſſidia de eo componi poſſunt, aut ſepeliri*, 230, 231.

Bona opera quo ſenſu neceſſaria, p. 183, 184, 207, 208, &c.

Cœna Dominica Natura per ejus nomina innoteſcit, p. 231, 232. *partim etiam per typos atque Elogia*, p. 234, 235. *præcipue per conſenſum Diſſentientium univerſalem*, 235, 236, &c. *Inductiones irrefragabiles*

gabili comprobandum, 238, 239. *via unica & aperta ad pacem ubique ineundam*, 239, 240, &c. *facilior facta per concessiones Dissidentium*, 241, 242. *ad finem capitis* 23.

Charitas fide præstantior, neque tamen dicimur per charitatem justificari, sed per fidem, p. 195, 196, &c.

Christus in persona & officiis consideratus, cap. 18. *ad finem usque. Ejus Nomen & Cognomen*, § 2. *Natura duplex*, § 3, 4. &c. *Actus & Status unionis quid differant*, § 6. *Unionis hypostatica rationes motivæ*, § 7. *Ex unione Communio*, § 8. *Communicatio Proprietatum*, § 9. *Hæreses precipuæ adversus Christum*, § 10. *Tria ejusdem munera*, § 11, 12, 13. *Satisfactio*, ib. *Intercessio*, ib. *Regnum*, § 14. *conclusio practica*, § 15.

Cleri Totius jus ad ineundam connubium, p. 332, 333.

Consilia Evangelica, p. 175, 176.

Conversio, quid ad eam conducat, aut non conducat voluntas libera, p. 134.

Confessio cujusmodi necessaria in Ecclesiis, p. 188, 189.

Concordia inter Theologos quomodo ineunda de articulis maximè Controversis, p. 46, 47. *ad* p. 58. p. 134, 135. *ad* p. 139. p. 161, 162, 163. 167, 168, 174. & p. 188, 189. & p. 198, 199, 200, &c. *de Baptismo*, 230, 231. *de Cœna Dominica*, 235, 236, &c. *ad finem Capitis* 23. *de Ministris Ecclesiasticis*, p. 263. *ad* 268. & p. 276. *ad finem cap.* 24.

Conjugium quoad nomen & quoad Rem consideratum, p. 317, 318, &c. *in gradibus & concessis & interdictis*, 325, 326, &c. *toti Clero concessum*, 333, 334, &c.

Creatio in genere considerata, p. 58, 59. *Efficiens & Finis*, 60, 61. *Ordo Historicus*, 62, 63. *ad* p. 65. *Creandi modus gradusque*, 65, 66. *Creatorum bonitas non obstante malo morali*, 67, 68. *à quibus Erroribus abhorrendum*, 68, 69.

Deca-

Decalogus 13 *Regulis* explicandus, p. 144, 145, 146.
Decreta Dei de homine Absoluta & Respectiva eadem redeunte adhibitâ rectè distinctione, p. 48, 49. *Ex Dei operibus* æstimanda, ibid. & p. 51, 52, 53.
Deus quo sensu *Notissimus simul & Ignotissimus*, p. 23, 24, 25. *unitas*, 27, 28. *Trinitas*, 31, 32. reverenter sanctèque & cum tremore tractanda, 33, 34. ex solo sui ipsius verbo, 35, 36. *mysterium* omnibus, perspicacissimis licet, impervium, 37, 38. humili fide & obsequio colendum restat, 39, 40. *Attributa & Nomina*, 28, 29, 30. *Decreta*, 40. *Voluntas* una & uniformis, 50, 52, 53.
Diaboli Natura & Nomina, p. 77, 78. *Pravitas* summa & voluntaria, non coacta, 78, 79. *Potentia* parmagna sed determinata, 80. *Opera & effecta*, 80, 81. gratiâ divinâ frustra sunt, 82.
Divortia quibus de *Causis* admittenda, p. 330, 331, &c.
Ecclesia quousque *Auctoritatem*, p. 20, 21. *Significatus nativi & Tropici*, p. 279, 280. *Titulis* variis insignitur, 282. præsertim in *Symbolo Apostolico & Niceno*, 283. *Definitio Triplex*, 284. *Notæ* propriæ quibus *Veræ* dignosci queat, 286. *Quousque* sit *Indefectibilis*, 288, 289. sed *Erroribus* obnoxia, 289. *Quanta* sit *auctoritas Conciliorum Generalium*, 291. *Quod Caput infallibilis* fidei nequit, 293.
Electio Dei æterna, p. 43, 44, &c.
Episcopatus, *V. Ministerium Ecclesiasticum.*
Evangelium absolutè & relativè consideratum, p. 155, 156, &c. *definitio quoad Nomen & Naturam*, 157. *in V. & N. Testamento*, 158, 159. *Ex utroque definitur Evangelium*, 161. *Conciliatio dissidentium de ejus Natura*, 162, 163, 164. *Evangelii Beneficia*, 165, 166. *litigantium de re præcipua Concessiones*, 167, 168. *quomodo differat à lege*, 169, 170. *Usus ejus*

ejus & Abusus, 172, 173. *Abusus morbo Medicina*, 174, 175, 176. *Consilia an præcepta nova in Evangelio sint, necne*, 175, 176, 177.

Eucharistia, *vide* Cœnam Dominicam.

Fides sola & solitaria valde differunt, p. 192. *qualis sit ea quâ dicimur justificari*, 193, &c. *à charitate disjungi nequit*, 207, 208.

Homo qualis fuerit ante Lapsum, p. 83. *Apperitus quam purus*, 84. *Immortalitas*, 85, 86. *transmissa ad posteros*, 86, 87. *Origo animæ quantis vexetur difficultatibus*, 88, 89. *Qui fieri possit litigantium Conciliatio*, 90, 91, &c. *de hominis lapsu*, &c. p. 104. *ad* p. 110. *de libero ejus arbitrio in statu quadruplici*, 129, &c.

Hypostatica unio, *v.* Christus.

Josue. c. 28. § 2. *v.* Christus.

Jesuitarum Doctrina Magistrorum infesta, p. 309, 310.

Immortalitas protoplasti ut transmissa ad posteros, p. 85, 86.

Imago Dei in homine quid sit, p. 83, 84.

Infallibilitas Ecclesiæ quoad Caput, p. 293, 294.

Infantibus paganorum aut non baptizatis quomodo queat succurri, p. 115, 116.

Intercessio Mediatoris, cap. 28. § 13.

Interpretatio SS ut sit ritè facienda, p. 21, 22.

Justificatio. Condonatio peccatorum quo sensu, p. 190, 191. *per fidem solam, non solitariam*, 192, 193, &c. *Evangelica quot in ambitu suo continet*, 193, 194. *Difficultatis primaria Enucleatio*, 195, 196, &c. *Via sternitur ad Conciliationem*, 198. *per Concessiones utrinque factas*, 199, 200. *& per abstinentiam ab ambiguis*, 201, 202. *& per decem theses de quibus convenit inter omnes*, 204, 205, &c.

Lapsus hominis unde fuerit, p. 105, 106, &c.

Lex Dei quid & quotuplex secundum dici, p. 140.

ſecundum eſſe, ut à Deo per Moſen lata, 141, 142. *ſpecialiſſime Moralis ante Moſen ab æterno*, 142. *totum genus humanum tangit*, 143, 144. *Regulæ* 13 *ad mentem totius Decalogi facientes*, 144, 145. *multiplex finis uſuſque legis*, 147, 148. *Poſitiva*, 153, 154.

Liberum hominis arbitrium in quadruplici ſtatu conſideratum, p. 129, 130, &c. *Uſus præcedentium ad pacem tendens*, 133. *Excerpta ex Autoribus ad concordiam facientia*, 136, 137, &c. *Lex & Evangelium ut differant*, 169, 170.

Malorum uſus ſæpe optimi, p. 128.

Magiſtratus, Origo & Neceſſitas, p. 297. *derivatio ad hominem à ſupernis*, 300. *per Electionem & Succeſſionem, occupationem & ſortem*, 301, 302. *Deſcriptio tam in abſtracto, quam in Concreto*, 303. *officium multiplex*, 303, 304. *Privilegia*, 305, 312, 313. *poteſtas circa Sacra*, p. 313, 314. *& ſpeciatim apud Anglos*, 314, &c.

Matrimonium, v. Conjugium.

Methodo ratio unda petenda, p. 6.

Mediator, c. 28. § 2, 3, 4, &c. *v.* Chriſtus.

Miniſterium & Miniſtri Eccleſiaſtici. Eorum neceſſitas, p. 247, 248, &c. *Appellationes in abſtracto*, 251, 252. *ad* p. 255. *Ex Miniſt. Eccl. Tres ſunt tantum jure divino*, 256. *ad* p. 262. *de quibus non eſt cur litigetur*, 263, 264, &c. *ad* 268. *Vocatio divinitùs inſtituta*, 269, &c. *quibus mediis à Deo data*, 272. *Interna quouſque requiſita*, 275. *Qualem habeant qui Epiſcopis carent*, 276, 277. *Concluſio ad pacem exhortativa*, 278.

Mors ante lapſum protoplaſti nullum potuit habere locum, p. 85, 86. *immortalis*, 86.

Mundus non æternus, p. 68, 69.

Natura ſuam ſemper habuit Theologiam, p. 2, 3.

Ordinationes Tranſmarinorum Miniſt. Quid de iis ſentiendum, p. 276, 277, &c.

Ordo hominum triplex, p. 317.

Paradisus, qualis & ubi fuerit, p. 91, 92. *ejus arboribus duabus potestas vitæ & mortis Deo dante competebat*, 93, 94.

Pax in Ecclesiis ut facilè inveniatur, *v. Concordia.*

Peccatum quid sit in genere, p. 104. *quotuplex in specie*, 105. *à Diabolo externè, internè à Protoplastis*, 106, 107. *quàm esset inexcusabile*, 108. *consequentia*, 109. *quid sit Originale*, 110, 111, 112, &c. *Secundum magis & minus in hoc articulo erratur*, 114. *quid de Infantibus Paganorum sentiendum*, 115. *quæstiones utiliter omittendæ*, 116. *fructus inde pullulantes*, 117. *Actuale quid & quotuplex*, p. 119, 120. *Veniale & mortale*, 121, 122. *maximè quod peccatur in Sp. S.* 123. *ejus stipendium, malum pœna*, 124, &c.

Pelagianis occurritur, p. 149, 150, 152.

Pœnæ multorum capitum, p. 125. *aliter pius, aliter impius respicitur*, 126. *usus*, 128.

Pœnitentia & Resipiscentia quid differant, p. 179. *vide Resipiscentiam.*

Polygamia duplex, p. 320. *ad* 323.

Providentia, Præscientia, Prædestinatio *Dei quid differant*, p. 42, 43.

Prædestinatio *Angelorum & Hominum*, p. 43, 44. *de objecto ejus dissidia*, 44, 45. *quomodo possint componi*, 46, 47. *in quibus consentiant plerique omnes*, 47, 48. *ad* p. 511. *Puncta ad Patres facientia*, 51, 52. *usus & vis*, 52, 53. *excerpta ex Autoribus ad partem tendentia*, 55, 56, &c.

Providentia *describitur*, p. 94. *demonstratur*, 95. *Partes ejus*, 97, 98. *objecta etiam vilissima*, 99, 100. *Imperium contra Naturæ cursum*, 101. *se habeat circa mala*, 101, 102. *Dictorum praxis*, 103.

Rebellio Societatis humanæ Pestis, p. 306, 307, &c.

Remissio Peccatorum, *v. Justificatio.*

Reprobatio hominum Angelorumque, p. 43, 44, &c.

Religio Naturalis & Revelata, p. 2, 3, 4.

Resipiscentia. Descriptiones, p. 179, 180. *Definitiones uberiores cum explicatione*, 180. *Ejusdem Gradus*, 181, 182. *Bona opera effectus ejus inseparabiles*, 183. *Errores maximè cavendi*, 185, 186, &c. *Conciliatio Dissidentium*, p. 188.

Rex, vide Magistratus.

Sabbatum institutitur, p. 66.

Sacramenta in genere considerata, p. 211, 212. *Quid sit Nominis, quid rei*, 213, 214. *describitur potiùs quàm definitur*, 215. *Idque per* 10 *conditiones quarum ingens est usus*, 115, 116. *Materia & Forma Sacramenti*, 217. *Quotuplex sit*, 218, 219, &c. *Veteris & Novi Testamenti*, 223, 224, &c. *usque ad* p. 246.

Satisfactio Christi pro peccatis, cap. 28. § 13.

Scriptura, seu ἄγραφος, *seu* ἔγγραφος, *divinitùs data*, p. 7, 8. *Cur in literas redacta*, 9. *Autoritas quanta*. 10, 11. *Partes*, 12, 13, &c. *Fines & Fructus*, 15, 16. *Perfectio*, 17. *Perspicuitas*, 18. *Judex & Regula Doctrinarum & Morum*, 19, 20. *Interpretatio unde petenda & quibus Regulis*, 21, 22.

Sponsalia unde, p. 318.

Subditi eorum officia, p. 296, 297, &c. p. 306. & p. 312.

Testamentum V. & N. quomodo differant & quot modis, p. 158, 159, &c. 170, 171.

Theologia in Thesi, p. 1, 2. *in hypothesi*, 4, 5. *describitur facilìùs quàm definitur*, 2. *Principia*, 4. *Partes*, 5. *Subjectum circa quod*, 6.

Traditio prior scriptis literis, p. 8, 9.

Trinitas in unitate reverenter sanctèque tractanda, p. 33, 34. *ex solo Dei verbo petenda*, p. 35. *Mysterium omnibus impervium*, p. 37, 38, &c.

Verbum dei, v. Scriptura.

Vocatio Ministrorum Eccles. Externa & Interna, vide Ministerium Ecclesiasticum.

ERRATA.

PAg. 9. Lin. 15. Lege *Iterum*. p. 12. li. 25. le. *comparentur*. p. 18. li. 3. le. *Prov.* 30. 26. p. 20. li. 5. in Marg. le. *Mat.* 18. 17. p. 21. li. 2. in Marg. le. *Act.* 4. 13. p. 32. li. 2. le. *computarent*. p. 34. l. 11. in Marg. adde *vot. pro pace p.* 15. p. 45. li. 1. le. *Incitarint*. ibid. li. 2. in Marg. adde *1. p. 58. p. 66.* li. 6. le. *preparatâ*. p. 92. li. 23. le. *transfusi sunt* (post *præsitiuque*). p. 95. li. 11. in Marg. le. *l.* 2. *c.* 29. p. 100. Ipenult. le. *cenſu*. p. 116. li. 5. le. *redintegrato*. p. 118. li. 10. le. 6. p. 225. li. ult. le. *facit*. p. 263. li. 25. *καλοτροδικαι*. p. 275. l. 18. le. *ubique*. p. 295. li. 1. le. *debitæ*. p. 310. li. 14. le. *Toti*. p. 216. li. 29. le. *concedit*, & dele *credit*. p. 220. li. 1. le. *pretioſiſſimæ*. p. 225. li. 10. le. *Catechumenis*. p. 235. li. 14, 15. le. *panem*, & *panem chorionem*. p. 238. li. 3. in Marg. le. *comprobandum*. p. 253. li. 2. le. *Hyperaſpiſtes*. & (lin. 3. ab imo) *Heb.* 1. 14. p. 263. li. 17. in Marg. p. 137. & (lin. 22.) poſt *Xt.* adde *& p.* 282. li. 24. le. *devotes*. p. 305. li. 28. adde *Res* poſt—*Cauſes ſit*. p. 309. li. 16. le. *confeſſum*. p. 315. l. 25. le. *accendas*. p. 316. li. 23, 24, 25. le. *ſupplicia ferunt*; *& ſi licitis quia parentibus in ordinem redigunt ſtupiſoſos*. p. 325. l. 1. le. *conjugamur*. p. 327. li. 18. le. *Aſſumatur*. p. 337. li. 9. in Marg. le. 2 *Cor.* 5. 19. p. 342. li. 9. in Marg. le. *quo paſto & Natura*. p. 348. li. 31. le. *vaticanum*. p. 352. l. ult. in Marg. le. *Luc.* 6. 19.

Pacificatorium Orthodoxæ Theologiæ Corpusculum.

Pacificatorium Orthodoxæ
Theologiæ Corpusculum.

PACIFICATORIUM
Orthodoxæ Theologiæ
CORPUSCULUM.

SIVE BREVIS
Juniorum Sacris Ordinibus Initiandorum
AD
Sanam Doctrinam veréq; Christianam
MANUDUCTIO:
CUI
Omnes qui, seposito Partium studio, Christum sapiunt & profitentur, Unanimiter queant suffragari.

52
E. 5. 71

OPUS
Ad Connubium Unitatis cum Veritate sanciendum à *THOMA PIERCE*, S.T.P. Regiæ Majestati à Sacris, Decano *Sarisburiensi*, amicabiliter concinnatum.

Greg. Naz. Orat. 14.
Πάσης τῆς κτίσεως κόσμος τὸ ἀστασίαστον.

LONDINI,
Typis *Milonis Flesher*, Prostat apud *Ric. Davis*, Bibliopolam *Oxoniensem*. MDCLXXXIII.

diſſert. 4. cap. 6, 7, 8, 19, *&c.* Denique *Davenantii* quæſt. 42. Determinatio, præſertim object. 2. ſolutio, p. 193, 194. Ex quibus omnibus ſatis conſtat, quòd ex promiſcuo uſu Vocabulorum non rectè infertur Miniſtrorum omnium Paritas:

De quibus non eſt cur magnoperè litigetur.

§ 7. His præmiſſis, videndum eſt, ecqua inter Partes de hoc Articulo diſſidentes fieri poſſit Conciliatura. Imprimis convenit inter omnes, quòd *Jeſus Chriſtus* eſt *Caput* unicum totius *Corporis* Eccleſiaſtici; *Architectus* Ædificii, æquè ac *Lapis Angularis*; *Princeps* æquè ac *Salvator* Totius Regni Spiritualis; *Pontifex Maximus*, & *Apoſtolus* Totius noſtræ *Profeſſionis*; *Paſtor Summus & Epiſcopus noſtrarum* omnium *Animarum*. Conſtat Illum fuiſſe *unctum Spiritu Sancto & Potentiâ*. Unctus *afflavit* electos ſuos & ſeparatos à Vulgo diſcipulorum *Diſcipulos duodenos*; dixitque, *Accipite Spiritum Sanctum. Sicut miſit me Pater, ità & ego mitto Vos.* Conſtat ergo *Chriſtum* à *Patre* miſſum; à *Chriſto* miſſos eſſe *Apoſtolos*; ab *Apoſtolis*, pariter *Succeſſores*, (quos *Epiſcopos* & *Presbyteros* S. S. promiſcuè vocant,) ut ipſe *Chriſtus* eo pacto *cum ſuis* eſſet Emiſſariis, *uſque ad Conſummationem Seculi*. In Libro cui Titulus [*Eccleſiæ Anglicanæ Diſciplina & Politia*] *Epiſcopi* & *Presbyteri* dicuntur non ſemel *Apoſtolorum* † *Succeſſores*. Atque in ſacro illo munere *remittendi peccata & retinendi, ſolis Apoſtolis conceſſo, ſoli Epiſcopi & Presbyteri dicuntur à Deo Surrogari*. Epiſcopi ſcilicet *immediatè*, *mediatè* etiam Presbyteri. Conſtat *Chriſto datam eſſe Poteſtatem* * *omnem* (& omnimodam) *in Cœlo & in Terra*. Ex qua conceſſit *Poteſtatem* Apoſtolis ſuis *Vicariam*,

Act. 5. 31. Heb. 3. 1. 1 Pet. 2. 25. Act. 10. 38. Luc. 3. 22. Joh. 20. 21, 22, 23. Mat. 28. 20.

† Polit Ec. Ang. cap. 10. p. 340.

* Verſ. 18.

am, non *omnem* utique, ſed aliqualem, ſed congruam, ſed competentem, ſuiſque muneribus obeundis ac dignitatibus adæquatam, *Mat.* 28. 19. *Joh* 20. 23. Conſtat porrò Jeſum Chriſtum Apoſtolos ſuos deputâſſe, cum poteſtate *Alios* ſibi in adjutorium adjungendi, & *Succeſſores* inſtituendi, unà cum *tota* ſed *ordinaria* Poteſtate *Apoſtolica* Regendæ Eccleſiæ neceſſaria, per legitimam Miſſionem. Nec *ſoli Petro*, ſed *omnibus ſimul Apoſtolis*, & in ſolidum, & ex æquo, in Regimine Eccleſiæ univerſali, Succeſſio datur. Ut Ipſe *Papa* * *Cœleſtinus* tam ingenuè fatetur, quàm ſtrenuè probat. Idem aſſerit † *Rabanus Maurus*; Cui accedit *Hadrianus* (*in Quartum Sent.*) *de clave Miniſterii dictum eſt Petro, Tibi dabo claves*, &c. *Et in Petro, omnibus Sacerdotibus, quibus in Ordinatione datur Spiritus Sanctus*, &c. *Chriſtus* enim dixit omnibus ex æquo, *Ite, docete omnes Gentes*, &c. *Qui Vos audit*, &c. — *ità & Ego mitto Vos. Ecce Ego vobiſcum*, &c. *Quorum peccata remiſeritis*, &c. unde ſcripſit *Cœleſtinus*, "[*Advertere debet univerſa Fraternitas*; quia accepimus *generale* Mandatum, *Omnes* etiam nos id agere voluit, qui illis ſic *in Communi* mandavit officium; neceſſe eſt ut competenter noſtros ſequamur Autores (Apoſtolos ſc.) ſubeamus *Omnes* eorum labores, quibus *Omnes* ſucceſſimus in honore.] *Maurus Urbis* Apocalypticæ * *Fundamenta duodecim* habere dicitur, in quibus ſunt *Apoſtolorum* (non *Petri* unius ſed) omnium *Nomina duodecim*. Neque niſi *Secundaria* ſunt Ædificii Fundamenta, Cujus *Primarium* eſt Ipſe *Chriſtus*. In quantum † *Concives ſumus Sanctorum, ac Domeſtici* Regis cœleſtis, (in conſortium Salutis aſciti ſcilicet)

* *Ad Synodum* Epheſ. *Epiſt.* 7.

† *In Catena* Aquinatis *ad* Mat. 16.

* Apoc. 21. 14

† Eph. 2. 19, 20, 21, 22.

ſcilicet) dicimur *ſuper fundamenta* (non modò) *Apoſtolorum*, (ſed) & *Prophetarum Superſtructi*. Et *Chriſtus eſt Lapis Angularis, in quo totum Ædificium congruenter coagmentatum creſcit ut ſit Templum Sanctum Domino, in quo & Nos ædificamur, ut per Spiritum ſimus Dei Domicilium.* Unde conſtat & Apoſtolos & Prophetas quidem *omnes* fuiſſe eatenus *Fundamenta ſubſervientia*, quatenus *omnes* ut *Architecti*, in unico illo Fundamento Primario jaciendo, fidelem operam poſuiſſent. Nec ad *Perſonas* Prophetarum atque Apoſtolorum, ſed ad *Salvificam* eorundem de *Jeſu Chriſto Doctrinam*, Glorioſus iſte Titulus *Fundamenti* eſt referendus. Eccleſia etenim Catholica *ſolo Chriſto* ſuperſtruitur, qui *Doctrinæ Salutaris* (quam initio penes *Prophetas*, deinde penes *Apoſtolos* diſpoſuit Deus) & *Materia* & *Caput* & *Scopus* eſt. *Fundamenta* ſunto, per me licèt, tam *Prophetæ* quàm *Apoſtoli*, eorúmque *Succeſſores*; ſed tantùm *Miniſterialia*, & ſuo ſenſu figurato cum grano Salis accipiendo; ſed *Confratres*, *Concives*, atque etiam *Conſervi* ad unum omnes. Et Apoſtolos quidem *omnes* fuiſſe *Petro* etiam *in omnibus*, exceptis quibuſdam Perſonalibus, *pares* prorſus, & *æquales*, & Paſtores *ſimiliter* univerſales; luculenter probat & prolixè Archiepiſcopus *Spalatenſis*, *l.* 3. *c.* 3. atque alibi paſſim.

Sed non obſtantibus hiſce prædictis, loquuntur interdum primævæ Eccleſiæ Majeſtate, de *Primo* aliquo ſive *Primate* Apoſtolici Chori; quanquam nec *Caput Fidei*, nec *Fundamentum*, nec *Columnam*, nec *Firmamentum*, vel ipſi *Petro*, vel *Succeſſoribus* ſuis aſcribunt. *Primatum ordinis*, non *Suprematum Poteſtatis*, largiebantur olim Patres; *largitur Eccleſia Anglicana*.

glicana. Concordiæ cauſa & ἐυταξίας. *Principem locum* illis concedimus in quovis Concilio Oecumenico. Damus *Canonicum Principatum*, & jus ſententiæ, vel rogandæ, vel ferendæ, agnoſcimus; ſed jus Legum pro ſuo arbitrio condendarum, jus αὐτοκράτορες, & Monarchæ, non *ante* cæteros tantùm euntis, ſed *ſupra* omnes imperitantis, Id eſt quod penitus perpetímque & toto animo pernegamus. Conſtat Ordinem Eccleſiaſticum *Anarchicum* eſſe non poſſe, ubi nec prius eſt nec poſterius, nec *ſub*, nec *ſupra*; ſed *Ariſtocraticum* eſſe omninò, ubi ſunt qui *regunt*, & qui *ſubduntur*. Ut in Corpore unoquoque varii ſunt Membrorum *gradus*, uſque à *Capite* ad *Calcem*. Ideo poſt Tempora Apoſtolica, cùm Apoſtolici Succeſſores Facultates ſuas Apoſtolicas (intelligo ſemper *Ordinarias*) ex parte *Plurimis*, in totum *Paucis* contuliſſent; ità deinceps diſtinguebantur in uſu Appellationum, ut Hi *Epiſcopi* dicerentur, Illi verò *Presbyteri*, non vice versâ, & promiſcuè, (prout in Novo Teſtamento,) ſed ſtrictè ſemper, & peculiariter; ídque partim docendi, partim diſcendi gratiâ. Et quemadmodùm apud *Hebræos*, Sacerdotes ad unum Omnes cujuſcunque aut Ordinis, aut Meriti, aut Dignitatis, ab eodem *Aarone* oriundi, in viginti quatuor claſſes (Pontificibus ſolis exceptis,) à *Davide* diſtribuebantur, erántque * *Principes* Sacerdotum 24, *Primi* ſcilicet Familiarum, quæ Tempore *Davidis* in *Iſrael* erant; Sic & *Miniſtri Eccleſiaſtici* ab eodem *Chriſto* per *Apoſtolos* ad unum Omnes Inſtituti, & eouſque *Confratres* habiti, differunt inter ſe tamen Prioritate Dignitatis, ut apud Hebræos *Natu Maximus* à ſuis ipſius Fratribus natu minoribus differebat. *Illi*, natu Maximo, πρωτοτόκια competebant, *Hiſce* minoribus denegata. Ità legibus Eccleſiaſticis Regúmque Nutu eſt comparatum, ut ex *Epiſcopis* excellant & præemineant *Archiepiſcopi*, atque ex ipſis *Archiepiſcopis*, Potiores ſint *Primates*, quàm Meri *Metropolitani*. Quid, quòd *Patriarchæ*, in Synodo aliqua Oecumenica, hos omnes ſuperant, quod ad πρωτοκλισίαν, & πρωτοκαθεδρείαν ſpectat? Ut nè ipſi quidem *Aërio* ægrè nimis & moleſtè

* 1 Chro.24. 4, 5, 6.

molestè ferendum sit, si Episcopi Presbyteris præstent pariter, & præsideant; neque ἴσα πρεσβεῖα utrisque competant. *Realiter* inter se distingui, & *jure* quidem *divino*, Episcopatum & Presbyteratum, Nemo sanus inficiabitur. De *modo* autem quo distinguuntur jure divino & Realiter, inde usque ab *Aërio* vexatissima est Quæstio, & perinutilis, sæpe etiam pernicioſa. Ab *Ecclesia Anglicana* ità paci procurandæ litatum est, ut de ipsâ *Re* statuens, de *Modo* prudens obmutescat. Et Pacis causâ dixisse liceat, (bona cum venia *Superiorum*, quorum *Publico* judicio *Privatum* Hîc & Ubique submittendum esse contendo,) quòd de ipsâ Phraseologia, quâ dicta Distinctio est exprimenda, non necesse est omninò ut Litis Serra reciprocetur, dummodo constat Episcopatum *jure divino* & *Realiter* à Presbyteratu distinctum esse. Dummodo constat de *Obedientia* Ecclesiarum *Præfectis* ex instituto divino debitâ, qui inde usque ab Apostolis successivè, Ecclesiam Dei gubernandam, & verbo vitæ pascendam, susceperunt; *Ordine* differant, an *Gradu*, (si inter *Ordinem* & *Gradum* hoc in loco differentia realis sit,) non multum refert. Nec quisquam de eo sit solicitus, modò nulla sit ἰσονομία, in *Anarchiam* turpiter desitura; modò Episcopi sit *Præesse*, Presbyteri *Subesse*, utriusque *Prodesse*; idque *pascendo Ecclesiam Dei, quam suo sanguine acquisivit*, Act. 20. 28. Episcopis *liceat* & *incumbat Pauca* peragere *Specialia*, quæ Presbyteris vulgò dictis *non liceat*, & *quomodo* differant deinceps perinde erit. Epis. *Davenantius* in initio ejusdem Determinat. p. 187. *Neque hîc opus erit subtiliter disquirere, utrum Episcopatus sit diversus ordo à Presbyteratu, an alius & altior tantùm gradus in eodem ordine.*——*Nobis sufficit,* (*hac Verborum Volitatione Sepositâ*) *si ostendamus, Eos, qui appropriatè Vocantur Episcopi, habere dignitatem altiorem, potestatem majorem, & eminentiora officia sibi annexa, quàm habent alii Presbyteri*; *idque Verbo Dei minimè repugnante*, &c. Reformatæ aliquæ Ecclesiæ quæ Episcopis carent, *Voto tenus* perfruuntur. Ordinationes Episcopales,

Quot-

Quotquot habere *possunt*, habent. Atque *Nulla est* (benè novimus) *Impossibilium Obligatio*. Duo sunt ergò quæ *Transmarinos*, Episcopatu destitutos, ut pro *Fratribus* amplectamur Charitativè nos movent; Dura *Necessitas* quâ degravantur, & Ingens, quo flagrant, *Desiderium*. Discrimen fortassis inter *Ordinem*, & *Gradum*, magìs in ἐπινοίᾳ nostræ mentis (ut in hoc negotio sumitur) quàm in re ipsa consistit. Vocabula Artis non debent ingredi Articulum aliquem Religionis; nedum litigia & lites serere.

§ 8. Ut Seductionibus Fanaticorum, qui jactitant se esse Vocatos à Deo *immediatè*, fingúntque *Spiritûs Impulsu* interiore & invisibili, provocatos se esse & quasi coactos ad concionandum, Aut Deum Illis apparuisse, novásque Doctrinas revelâsse, eatur obviàm; Non ipsius duntaxat *Ministerii*, sed *Jus divinum* & *Necessitas* Ipsos *Ministros Ordinandi*, ad munus ritè ac legitimè obeundum, in propatulo & aprico monstrari debent. Opus autem illud Gratiæ, quo Deus præficit Ecclesiæ Personas Certas, quas *Clerum* vocant, quandoque [a] *Missio*, quandoque [b] *Electio* vel [c] *Separatio*, sed plerumque [d] *Vocatio* dicitur; quæ distinguuntur apud Alios, apud Alios verò coincidunt. *Vocatio* accipitur vel respectu *Vocantis*, pro ipsa *Actione* Vocandi aliquem ad officium, *ut* * *Dominus ab utero me vocavit*; vel respectu *Vocati*, pro ipsa *functione*, *officio*, aut vitæ statu, (quà privato, quà publico,) ad quem Deus vocavit aliquem; [f] ut *in qua vocatione unusquisque vocatus est, in ea maneat*. Sic Ministerium Ecclesiasticum Peculiaris est quædam *Vocatio* seu *Status Vitæ*, in quo Personæ Ecclesiasticæ vel à Deo *immediatè*, vel à Deo per *homines* constituuntur. Neque in dubium vocari debet, quin ex Consilio *Spiritûs Sancti* Ratio Vocabuli *Vocationis* petenda sit. Nam sicut Principes ad se *vocant*, quorum Servitio uti volunt in Rebus suis expediendis; Ità *Deus* Ministros *Vocat*, ad se *accersit*, sibíque *separat*, quibus tanquam [g] *Legatis* suis Onus aliquod sustinendum, Munus aliquod administrandum, & Honorem cum utroque habendum delegat. Sic S. *Paulum*

Necessitas Vocationis divinitùs institutæ.

[a] Jer. 23. 21. Rom 10. 15.
[b] Luc. 6. 13.
[c] Act. 13. 2.
[d] Heb. 5. 4.
* Esa. 49. 1.
[f] 1Cor. 7. 20.
[g] 2Cor. 5. 20.

o Gal. 1. 15. *lum* * *segregavit ex utero Matris, & vocavit per gratiam.*

Vocationis hujus *divinæ Necessitatem* Moralem *Ecclesia* statuit *Anglicana*, Articulo vicesimo tertio, & *Confessio Augustana*, Articulo decimo quarto. Et innumeris Scripturis probari potest, præter complures jam allatas. Neque ob aliam rationem Ministerium Ecclesiasticum [b] *Spiritûs* dicitur & *novi fœderis* Ministerium, quàm quòd per homines ità *Vocatos*, tanquam per *Causas instrumentales*, [i] *ad Fidem homines perducuntur*, atque etiam [k] *Salvantur*. In V. T. horrenda occurrunt Paradigmata Sacrosanctum hunc Ordinem temerariò invadentium, in [l] *Uzzah*, in ipso Rege [m] *Uzzia*, in [n] *Corah*, *Dathan* & *Abiram*, absque debita *Vocatione* Sacerdotium summum ambientibus, atque Telluris dehiscentis Hiatu illicò absorptis. In N. pariter Testamento, Quicunque audent non *Vocati*, non *Missi*, non à Deo *Segregati* Evangelizare in Ecclesia, Illis [o] *Furum & Latronum* inuritur stigma; Illósque ceu *Lupos* in Ovili, quotquot veri sunt *Christi Oves auscultare* detrectabunt. Huc spectat Illud Sancti *Baptistæ* apud *Johannem*, [p] *Homo non potest recipere quicquam, nisi fuerit ei datum è Cœlo.* Rursus in V. T. * *apparuit* Deus *Patriarchis*, atque eos immediatè ad Sacrum Munus evocavit. [q] *Melchizedec*, [r] *Abrahamus*, & † *Noachus Ille Justitiæ Præco*, in exempla nobis commemorantur. Porrò *Leviticos* Sacerdotes cœlitùs & à Deo Vocatos fuisse abundè [t] liquet. [v] *Prophetæ* etiam sæpenumerò ad *Missionem* provocant *Divinam*. De Christi Prodromo Baptistâ disertè scribitur, quòd [x] *extitit homo*

b 2 Cor. 3. 6.
i 1 Cor. 3. 5.
k 1 Tim. 4. 16
l 2 Sam. 6. 6, 7.
m 2 Chro 26. 16, 18, 19, &c.
n Num. 16. 32, 33.
o Joh 10. 8, 9, 10, 12, &c. *Confer* Mat. 7. 15. & Mat. 24. 24.
p Joh 3. 26, 27, 28, 29
* Gen. 12. 7.
q Gen. 14 18. 19, &c.
r Gen. 20. 7. & Gen. 13. 18.
† 2 Pet. 2. 5.
t Exod. 28. 1. Num. 1. 49.
v Isa. 6. 8 9 &c. Jer. 1. 4 5, &c. Hos. 1. 1, 2, &c.
x Joh. 1. 6.
Luc. 3. 6.

à Deo

à Deo miſſus. Et *factum eſt Verbum Domini ſuper Johannem.* Quid quòd Ipſe *Dominus noſter J. C.* (*Vocationis* Sacroſanctæ ornandæ cauſâ) ad ſuam ipſius ſæpè provocat à *Patre* Cœleſti [a] *Miſſionem?* Neque Officium ſuum aggredi priùs voluit, quàm in *Baptiſmo* & *Transfiguratione* Doctor fuiſſet renunciatus. Atque de ejuſdem quaſi *modeſtiâ* perhibetur, quòd *Ipſe ſibi hunc honorem* [b] *non tribuit, ut Pontifex fieret, ſed Is qui ei dixerat, Filius meus es Tu, Ego hodie genui Te.* Apoſtolos ipſe Chriſtus vivâ voce *Vocavit.* Mat. 10. 1. eóſque *miſit.* Mar. 16. 15. Qui illam *Vocationem* ſuam in ipſis Epiſtolarum ſuarum veſtibulis diligentiſſimè *inculcabant*, nè cui *non miſſi, non vocati*, ſed ἀυτόκλητοι viderentur. Summâ quoque ſolennitate Eccleſiis ſuis edocendis gubernandíſque præficiebantur, quotquot Apoſtolis [c] ſucceſſerunt. Breviter Regulæ conſtituuntur, & interponuntur Cautiones, nè quis Mortalium præſumat unquam, abſque legitima Autoritate, (non humanitùs duntaxat munitâ, ſed & divinitùs inſtitutâ,) ad Rem Sacram proſilire, Munúſve aliquod Eccleſiaſticum (ut olim *Uzzah* atque *Uzziah*) in ſe recipiat adminiſtrandum. [d] *Manus citò nemini impoſueris*, &c. *Ideo* * *reliqui te in Creta, ut reliqua corrigas, & conſtituas Presbyteros oppidatim, ſicut ego ordinavi.* [f] *Quæ audiſti à Me inter multos Teſtes, Hæc committe Fidelibus hominibus, qui ſint Idonei ad alios quoque docendos.* Atque ut pateat dilucidiùs, Vocationem *mediatam* & legitimè datam *hodiernam*, nihilo minùs quàm *immediatam* in ipſa Eccleſia adhuc naſcente, pro divinitùs inſtituta cenſendam eſſe; non ſo-

[a] Mat. 10. 40. & Mat. 15. 24. Jo. 3. 17. Joh. 5. 36. Eſa. 48. 16. Joh. 18. 20. Eſa. 61. 1. Luc. 4. 18.
[b] Heb. 5. 4, 5, 6.
[c] Act 14. 23. 1 Tim. 4. 14. 2 Tim. 1. 6. 1 Theſ. 3. 2.
[d] 1 Tim. 5. 22.
* Tit. 1. 5, 6, 7, &c.
[f] 2 Tim. 2. 2, 3, &c.

solummodò *Apostolos*, *Prophetas* atque *Evangelistas* Ecclesiæ suæ præfecit *Christus*, (ad Dextram Patris evectus,) sed & [g] *Pastores*, & *Doctores*, in omnia secula duraturos. Unde & *Sosthenes*, & *Apollo*, & *Epaphroditus*, & *Archippus*, & *Sylvanus*, &c. utcunque Omnes *mediatè* Vocati essent, dicuntur tamen Ministerium ab *ipso* [h] *Domino* accepisse, æquè ac Ipse Divus *Paulus*, qui fuisset *immediatè*, ac per *miraculum* segregatus à vulgo hominum, atque cœlitùs vivâ voce ad Id assumptus. Quapropter hoc fixum ratúmque stet, quòd nemo usurpiam, nemo unquam, in alterutro Sacrorum Bibliorum Testamento, Munus publicum in Ecclesia sine Sacrilega quadam audacia in se recepit obeundum, nisi divinitùs *immediatè*, aut divinitùs *mediatè* ad id electus, vocatus, missus atque admissus.

[g] Eph. 4. 11, 12, &c. 1 Cor. 12. 28, 29.

[h] Col. 4. 17. 1 Cor. 4. 1. 1 Cor. 3. 5, &c. Phil. 2. 25. 2 Thes. 2. 14.

Vocatio Externa & Mediata quibus Mediis à Deo data.

§ 9. Probato hactenus Articulo Ecclesiæ nostræ vicesimo tertio, *Illos legitimè Vocatos & Missos esse existimandos, qui per homines, quibus potestas vocandi Ministros atque mittendi in vineam Domini publicè concessa est in Ecclesia, cooptati fuerint, & asciti in hoc opus*; restat ut paucis pensiculetur, Quorum ope ad hanc externam & mediatam Vocationem Deus uti consueverit. Sunt qui hanc Vocationem conferendi potestatem inter *Magistratûs* Regalia numerant. Sunt qui *Populo* hanc asserunt, exclusis & Clero & Magistratu. Sunt qui Soli ascribunt *Papæ*, & *Episcopis* in quantum à Papa missis. *Ecclesia* verò *Anglicana* Episcopis omnibus ex æquo, *sub Pontifice Maximo Jesu Christo*, (cujus est supremum jus Vocandi Ministros Ecclesiæ suæ, suósque Legatos, quanquam per homines,

homines, in perpetuum conſtituendi,) hanc delegatam Poteſtatem de jure tribuit. *Ità* tamen, & *eatenus*, ut ſine Presbyteris aſſiſtentibus Sacros Ordines non conferant, Manus nemini imponant. Ità etiam, & eatenus, ut Ipſe *Populus Promiſcuus* non in totum, abſolutè, atque ſimpliciter excludatur, Nedum *Summus Magiſtratus Civilis*, quibus omnibus ſuæ Partes in Mediata Vocatione (à noſtra *Eccleſia Anglicana*, Apoſtolicæ Imitatrice,) relictæ ſunt. * *Autoritas Regia circa Perſonas Eccleſiaſticas, aut in illis eligendis & nominandis ad Dignitates & Beneficia Eccleſiaſtica, aut Manuum Impoſitione*, (non per Se, ſed per Clerum) *ſacrandis, aut in Pœnis ſtatuendis & infligendis verſatur.* Forma autem *conſecrandi* Archiepiſcopos & Epiſcopos, atque etiam *Ordinandi* Presbyteros & Diaconos, in Eccleſia Anglicana, Autoritati omnimodæ, (tam Regis & Parliamenti, quàm Regis & Synodi Nationalis,) inconcuſſam Vim ſuam acceptam refert; præſertim *Regi*, ut *Nutricio Eccleſiæ*, & *utriuſque Tabulæ Cuſtodi.* Adhæc in ipſa *Ordinandi* Perſonam aliquam *Actione*, *Epiſcopus* hoc pacto affatur *Populum.*

* *Polit. Eccl. Angl. cap. 3. mihi p.* 300.

" Fratres, ſi quis veſtrum ſciat aliquod " Impedimentum, vel quodvis Crimen enor- " mius in iſtis Perſonis quæ nunc ad officium " Diaconatûs præſentantur, quo minus ad " ipſum admitti debeant, jam prodeat in " Dei nomine, & impedimentum illud ſive " Crimen, quodcunque tandem fuerit, oſten- " dat. Et in *Presbyteris* pariter Ordinandis, Epiſcopus ad Populum aut Promiſcuam Multitudinem converſus dicet. " *Dilecti Fra-* " *tres*, Hi ſunt Illi, quos annuente Deo, ſta-

" tuimus hodie in Sacrum Presbyterii Minis-
" sterium cooptare.———Si quis autem
" vestrum in eorum quovis gravius ullum
" Crimen, vel Impedimentum cognoscat,
" cujus causâ ad sacrum illud Ministerium non
" debeat recipi, nè gravetur id extemplò in
" Dei nomine patefacere. Quod si Crimen
" aliquod aut Impedimentum eorum alicui
" objectum fuerit, *Abstinebit Episcopus ab ejus*
" *Ordinatione*, donec Reus à tali Crimina-
" tione se liberum esse probaverit.

Videtur mihi ex his constare liquidò, quòd ad * *Integram Ecclesiam*, sensu lato, Jus Vocandi Ecclesiasticos *quodammodo* spectat atque pertingit. Et quod *Ecclesia Anglicana* ipsius *Ecclesiæ Apostolicæ* (prorsus ut *Achates* pii *Æneas* apud *Virgilium*)

It Comes, & Paribus præsſit vestigia Curis.

Præterquam quòd Ecclesiæ ipsius *Titi* Electionem *suffragio suo* comprobârunt, (2 *Cor.* 8. 19.) & in *Timothei Personam* consensit Integrum *Presbyterium*, à quibus accepit χειροτονίαν, (1 *Tim.* 4. 14.) pro Regula tradit Beatus *Paulus* Invariabili, quòd † *oportet* [*quemcunque Ordinandum*] *bonum habere Testimonium* ab Extraneis; & Nemini * *Cito* Imponendæ sunt manus, quia Nemini priusquam *Judicium* Ecclesiæ & *Testimonium* de Eo constant & perhibentur. Praxis Ecclesiæ *Primitivæ*, Cui etiam *Anglicana* (prout Illa *Apostolica*) conformis est, ex *Conciliis* laudatissimis, ex Patribus Antiquissimis, & Probatissimis Exemplis petenda est.

* Act. 14. 23.
1 Cor. 16. 3
χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν.
2 Cor. 8. 19.
† 1 Tim. 3. 7.
* 1 Tim. 5. 22. ἀπὸ τῶν ἔξωθεν ab Extraneis

§ 10. Præter

§ 10. Præter *Externam* illam, de qua diximus, Vocationem; requiritur quoque *Interna*, quæ Illorum duntaxat videtur eſſe, quibus Deus dona dedit & *facultates* competenter ſufficientes, & religioſum *deſiderium* lucrandi Animas, regnum Cœleſte promovendi, Sacroſanctum Miniſterium per omnes partes obeundi, Deúmque ſuum ex toto Corde totíſque viribus glorificandi; Quod abſque morum Integritate, Vitæque jugi Sanctimoniâ *Chriſtum* quadantenus redolente, non fieri poteſt. Cavebunt homines ſic imbuti, tam Sanctis moribus quàm Doctrinâ, nè pecuniis, aut fraudibus, aut ſuffragiis emendicatis, aut ullis aliis malis artibus, Sacrilegè ſe ingerant in Sacros ordines & obtrudant, ipſi [f] *Moſi* formidabiles, & [g] *Jeremiæ*, quid, quòd & *Angelis* ipſis tremendos. (*Nam ad Hæc quis Idoneus?*) *Epiſcopatus* eſt nomen *oneris*, multò magis quàm *honoris*. Ambient Illud Indigniſſimi, quod Digniſſimi detrectabunt. Eſt apud Authorem neſcio quem, *Tantùm ab Ambitu debet eſſe ſepoſitus Epiſcopus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi. Profectò enim indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus.* Sed (proh dolor! pudórque!) Qui *Internâ* omninò carent, Vocationem *Externam* depereunt maximè, & venantur. *Neutram* habent *Anabaptiſtæ*, atque id genus Alii eâdem indole *Fanatici*, Quibus crepantibus Enthuſiaſmos ſolenne eſt, priſtinos Illos æmulari *Latrones* & *Fures ſpirituales*, * *Cauponæ* Evangelii atque Circumcelliones Circumforaneos, qui (Apoſtolo

Vocatio Interna quousque Requiſita.

[f] Exod 4 10, 13. 16.
[g] Jer. 1. 5, 6.

* 2 Cor. 2. 17.

stolo referente) *irrepunt in Familias, & captivas ducunt* (id est, seducunt) [h] *Mulierculas, cumulatas peccatis, variisque actas cupiditatibus.*

[h] τὰ γυναικάρια. 2 Tim. 3. 6, 7, &c.

Qualem habeant Ministri qui Episcopi carent.

§ 11. Quod ad quàm Plurimos Transmarinos in Ecclesiis *Protestantium* nonnullis attinet, qui sunt insigniter *Eruditi Piique Viri*, summâ pollentes *Orthodoxiâ*, [i] διδακτικοὶ summè, summâ Populum erudiendi facultate conspicui, summâ præditi Eloquentiâ, summè habiles & Potentes [k] *ad Contradicentes revincendos*, (ut quibus [l] *Os* & *Sapientiam* Deus dederit supernè,) adhæc [m] ἀνέγκλητοι, [n] ἀπρόσληπτοι, *Internâ* donati Vocatione, talíque insuper *Externâ*, qualem & *Clerus*, & *Magistratus*, & *Populus* conjunctim conferre possunt, sed non omninò nisi *ex Voto* quam vulgò vocamus *Episcopalem*, (quali gaudemus Nosmetipsi, Fratrésque nostros Extraneos gaudere posse exoptamus,) ad Illos inquam quod attinet, Distinguunt Viri longè Doctissimi inter *Liberam*, & *Depressam* Ecclesiam Dei. Itémque censent distinguendum, inter *Vocationem* ab omni parte *legitimam*, & ex aliqua parte *mutilam*, sed non absolutè *vitiatam*, aut prorsus *nullam*. In Ecclesia plenè *libera*, (qualis est nostra Anglicana,) & extra Casum Necessitatis, Nullum habet locum *Vocatio mutila*, neque materiam Apologiæ; quæ in Ecclesia *subjugata*, & planè *depressa*, nec nulla est, nec ἀνατολόγητος, sed duris quibusdam variisque necessitatibus circumsepta & circumstantiis, & accepta est Deo, & piis hominibus suspicienda. Cavendum est igitur vigilantissimè, in Ecclesiis *Exoticis*

[i] 1 Tim. 3. 2.

[k] Tit. 1. 9.

[l] Luc. 21. 15.

[m] 1 Tim. 3. 2.

[n] Tit. 1. 7.

oticis ſed maximam partem *Reformatis*, nè ſinceræ Religionis Exercitio (propter Defectum Epiſcopatûs omnibus numeris abſoluti) fraudetur Populus *omninò*, quos Chriſtus ſuo ſanguine ſibimetipſi acquiſivit. Sed ſatiùs ducant è contrà, Paſtores quos habent qualeſcunque, *Recta* docentes auſcultare, & *Sacramenta* ab iis petere, Eóſque honore ſemper proſequi, quàm aut anſam præbere aliquam, aut ullo pacto in cauſa eſſe, ut *Chriſti Religio aboleatur*. Non tantummodò *non negant*, ſed animitùs * *contendunt*, Qui Eccleſiis (quos vocant veriverbio) Evangelicis præficiuntur, *Ritum Ordinationis nequaquam eſſe omittendum*, ſed (extra Caſum Neceſſitatis) *ſemper adhibendum eſſe* in Miniſtris Eccleſiæ conſtituendis. Si enim ipſe Beatus *Paulus*, ad Gentiles docendos ablegandus, ° *iteratâ* manuum Impoſitione *Doctor Gentium* renunciaretur, licèt *immediatè* Vocatus antea fuiſſet ad munus Apoſtoli obeundum, quantò magis id fieri debet *in Vocationibus mediatis?* Diſtinguendum autem exiſtimant Viri Pii Doctique, inter *Perſonalem*, & *Doctrinalem Succeſſionem*. Et Poſteriorem putant ſufficere ad *legitimam Vocationem* Neceſſitate Magiſtrâ conſtituendam. Cujuſmodi Succeſſione (frendeant licèt ringántque qui ſe componunt ex adverſo) Perſonæ prædictæ Eccleſiaſticæ non omninò deſtituuntur. Porrò duplicem eſſe ſpeciem legitimæ Vocationis fatentur omnes, *Immediatam* & *Mediatam*, (quæ in quibuſdam utræque coeunt;) Et à negatione unius Speciei ad Negationem totius Generis peſſimè valet Conſequentia.

* *Omninò Conſulat Le[illegible] Chemnitium in Part. 3. loc. de Eccl. c. 4. p. 333.*

° *Confer* Act. 13. 3. *cum* Act. 9. 17.

Concluſio ad Pacem Exhortativa.

§ 12. Concludat hoc caput Sententia Celebris *Davenantii* in ſua ad Fraternam Communionem & Pacem Adhortatione inter Eccleſias Evangelicas, *c.* 4. " Animadvertendum eſt (inquit) particulares particularium " Eccleſiarum Doctores in Synodo Congregatos *ſuas* ſolummodò *Eccleſias* repræſentare, *non externas*; ac proinde nullam habere poteſtatem præſcribendi aliis quid " Credendum, quid rejiciendum ſit, multò " minus abſcindendi eos à fraterna Communione quam retinent cum Catholica, qui " illorum Decretis per Conſcientiam aut Inſcitiam non poſſunt aſſentiri. Par ſiquidem " in Parem non habet Poteſtatem.

Eccleſia quidem Particularis in ſuos poteſt, Eccleſiam ſuam perturbantes Errori búſque inficientes, Mucronem ſtringere Spiritualem. Sed quandocunque inter Eccleſias minimè invicem ſubordinatas res agitur, poſſunt cum diverſa ſentientibus & docentibus Concordiam colere Chriſtianam. Id quod fecerunt & *Cyprianus*, & Eccleſiæ cum Eo *Africanæ*, Neminem rigidè judicantes, ſed iiſdem potiùs Eccleſiis unanimiter communicantes, quas in errore longè graviſſimo verſatos fuiſſe exiſtimabant. Hunc in modum, & finem, Eccleſia noſtra Anglicana ità Articulos temperavit, tantâ támque pacificâ Moderatione paſſim adhibitâ, Verborúmque delectu tam admirabili, ut in iiſdem nihil ſubtile, nihil ſuperfluum, nihil fraudibus opportunum, aut litigioſum uſpiam admiſerit. Exemplo ſit *Articulus de Vocatione Miniſtrorum Viceſimus Tertius.*

CAP.

CAP. XXV.

De Eccleſia.

§ 1. AB Eccleſiæ Miniſtris ad Eccleſiam (& vice versâ) Naturalis & ultronea Tranſitio ſe offert. Vox *Eccleſia* *Eccleſiæ Significatus Nativi.* ἀπὸ τοῦ καλεῖν derivatur; quod vetus eſt Vocabulum, idem ſonans quod καλεῖν, *vocare*. Unde particulâ ἐκ adjectâ, dicitur ἐκκλησία ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν, quod eſt propriè *evocare*, ex univerſa hominum Colluvie, ex qua eliguntur, evocantur, atque adeò ſeparantur Eccleſiæ Filii. Vox cognata συναγωγὴ de *Primorum* & *Magnatum* conventu dicitur. Διαλλησία ſive διάκλησις de hominum Vulgo, ſive promiſcuâ Multitudine ex Agris aut Triviis congregatâ. Ἐκκλησία verò ad *Cives* ſpectat, qui certis legibus ſibi invicem devincti Rempublicam Regularem ex ſe conſtituunt. Apud *Græcos*, præſertim *Atticos*, & ſpecialiùs *Athenienſes*, Ea hominum Multitudo per ἐκκλησίαν deſignabatur, quæ *Vocata* conveniebat, nutu juſſûque *Magiſtratûs*. Poſtmodùm verò *Chriſtiani* Vocem ab Ethnicis ereptam fecerunt *Suam*; ſibique quaſi de jure in quoddam Peculium vindicârunt, ad ſignificandum Cœtum Sacrum ex univerſa quaſi Sentina Humani Generis evocatum. Prorſus ut Vox συναγωγὴ, à Profanis Authoribus mutuata, ad conventus *Iſraeliticos* Religioſos eſt applicata ſignificandos.

[h] Act. 20. 28. *nobis factus est Execratio; & Deus* [h] *proprio suo sanguine Ecclesiam* dicitur *acquisivisse*; & in eundem sensum alibi. Ut *Rom.* 8. 3. *Rom.* 8. 32. *Gal.* 4. 4. & 1 *Joh.* 1. 7. & 1 *Joh.* 3. 8. *Heb.* 4. 14. *Denique unus est Deus, unus etiam Mediator est Dei & Hominum, Homo Christus Jesus*, 1 Tim. 2. 5.

Ex quibus est colligere, quòd neque Deus sine Homine assumpto, neque Homo sine Deo assumente, Magnificum atque stupendum Redemptionis opus absolvit. Quamobrem *Damascenus*, ex *Dyonisio*, Actiones Christi omnes θεανδρικὰς censuit nominandas, latinè *Deiviriles*, seu *humanodivinas*; eo quòd Humana in Christo Actio divinam quoque vim & virtutem habet coëffectricem.

Hæreses præcipuæ adversus Christum.

§ 10. Omnes hæreses & blasphemiæ adversus Dominum Salvatorem ad Tria capita reducuntur. Naturas enim Christi violant, vel divinam, vel humanam, vel unionem utriusque. *Divinam* aliqui Christo adimunt; ut * *Ebion*, *Paulus Samosatenus*, & *Socinus*. Aliqui disparem & dissimilem à Patris Deitate comminiscuntur; ut † *Photinus*, & *Aetius*. Aliqui similem esse volunt, sed vel voluntate creatam, ut * *Arius*, vel Dignatione Talem fieri, ut *Eunomius*. Dein *Humanam* Christi naturam, Alii auferunt ei penitùs, ut *Valentinus*, ejúsque *assecla*. Alii eam aëream & phantasticam esse contendunt, ut † *Marcionitæ*. Alii semiplenam, ut * *Apollinaristæ*. Unionem utriusque Multi lædunt temerántque variis modis. Nonnulli ità inter se miscent ambas Christi Naturas, prorsus ut liquores misceri solent; cujusmodi sunt *Timotheani*.

* Euseb. *Hist. Eccl. l.* 3. *c.* 24. *& l.* 7. *c* 26.

† Cassiodor. *in Tripartit. Hist. l* 5. *c.* 5.

* *Idem, l.* 1. *c.* 12.

† Epiph *Hær.* 42.

* Theodoret. *Hist Eccl. l.* 5. *c.* 3.

theani. Nonnulli eas confundunt atque transformant, quales ſunt *Eutychiani*. Nonnulli ità ſeparant, ut in uno Chriſto duos Filios conſtituant; id quod faciunt *Neſtoriani*. Nam damnatus eſt *Neſtorius* (Epiſcopus quondam Conſtantinopolitanus) in Concilio *Epheſino*, quòd *Chriſtum in duas Perſonas* dividebat. Id quod ex ſecundo, tertio & quarto ejus Concilii (Cujus erat Præſes *Cyrillus Alexandrinus*) Anathematiſmis patet, de ejus Exitu miſerabili *Evagrius* narrat, *l.* 1. *c.* 7. Breviter dico, unionem duarum in una Perſona Naturarum ità eſſe intelligendam, ut ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, καὶ ἀχωρίστως, ſit facta; *abſque confuſione*, *converſione*, *diviſione & ſeparatione*.

§ 11. Poſt Chriſti Nomen, & Cognomen, variáſque Appellationes; poſt unitatem Perſonæ, Dualitatem Naturæ, utriuſque unionem & quoad actum & quoad ſtatum; poſt Communionem inde ortam tam Naturarum, quam Idiomatum, hactenus breviter expenſas; Monet me mea Propoſiti ratio, ut ad *Munera* Chriſti feſtinem proximo loco commemoranda. Illa autem, (quæ conſiſtunt in toto Mediatoris opere, inter Deum & hominem, quod *Incarnationis* [k] eſt Finis,) vulgò dicuntur eſſe *Tria*. *Propheticum*, *Sacerdotale* & *Regium*. *Munera Mediatoris Tria.* [k] 1 Tim. 2. 4, 5, 6.

§ 12. Reſpectu primi, nos inſtruit de Patris ſui voluntate, & via ad vitam ſempiternam; id eſt, Arcanum Dei conſilium de Redemptionis noſtræ myſterio, ceu Doctor Catholicus patefacit. Huc ſpectant, inter alios, qui ſequuntur Scripturæ loci, [l] *Prophetam* *Propheticum.* [l] Deut. 18. 18.

tam suscitabo tui similem, & ponam verba in
m Esa. 61. 1. *ore ejus*, &c. *Unxit* m *me Dominus ad evangeliz ndum*, &c. *Hic est Filius meus dilectus*, &c.
n Mat. 17. 5 *Hunc* n *audite. Deum nemo vidit unquam.*
o Joh. 1. 18. *Unigenitus filius—ipse* o *enarravit.* Neque
p Mat. 28. 19. tantùm *immediatè*, verùm etiam per p *Apo-*
Joh. 20. 21. *stolos*, atque *Evangelistas* hoc munus obiit.
Quid, quòd etiamnum ad dextram Dei exal-
q Eph. 4. 11, tatus, dat *Ecclesiæ suæ Doctores in* q *opus Mi-*
12. *nisterii*, &c. adeò ut *Scripturæ Sacræ*, & *Prædicationis* Ministerio, Christus munere suo pro-
* Joh. 5. 39. phetico *Hodie* etiam defungatur. * *Scrutamini* (inquit) *Scripturas, quia in ipsis vitam aeternam vos habere existimatis*; & *qui vos au-*
† Luc. 10. 16. *dit*, † *me audit: qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui me mi-*
* Mat. 28 20. *sit*: & *Ecce sum* * *vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* At præter *docendi functionem*, Doctrinæ ipsius *Efficacia* spectanda venit. Quocunque enim se ver-
r Mat. 12. 1, &c. tebat, sive r leges rituales Morali suæ subjiciendo, sive moralem exponendo vindican-
† Mat. 15. 3, &c. & cap 23. dóque, adversus *Seniorum* exosas Deo † *Traditiones*, ac corruptelas t *Pharisæorum*; singu-
s Mat. c 5. c. 6. c. 7. lari v *Autoritate* peregit omnia; ad mentium
v Mat. 7. 28, 29. usque x illuminationem, ipsámque cordium
Joh. 7. 46. y conversionem. Miraculis denique quic-
x Luc. 24. 45. quid docuit z confirmavit, quò certiùs fides
y Joh. 5. 25. & Joh. 6 68. Doctrinæ suæ haberetur. *Joh.* 5. 36. *Etiam-*
z Luc. 6. 69. *si mihi non creditis, operibus meis tamen credite. Joh.* 10. 38. Respectu muneris hujus Prophetici, *Propheta* dicitur, & *Pastor*, & *Apostolus professionis nostræ, Magister, Rabbi, Præceptor, Doctor, Evangelista, Legislator, Fidei nostræ Autor & Consummator, Minister Circumcisionis. Rom.* 15. 8. quippe qui ad *Israeliticos*

liticos in ſua Perſona eſſe [z] *affirmat*; utpote quibus *ſingulariter* [a] promiſſus erat. Interim tamen [b] *Samaritanos*, & [c] *Canaanæos*, non omnimodò neglexit, aut in ſua ignorantia reliquit penitùs; ut præludium exhiberet *Vocationis etiam Gentium*, quarum [d] *Salus & Lux* futurus erat. Unde etiam *Præceptor Gentium* vocabatur, *Eſa.* 55. 4.

[z] Mat. 15. 24. [a] Rom. 9. 4, 5. Gal. 3. 16. [b] Joh. 4. 26. [c] Mat. 15. 22. [d] Eſa. 49. 6.

§ 13. Reſpectu muneris ſecundi, medium ſeſe interponit inter Deum & Homines Peccatores; ſeipſum pro peccatis omnibus totius generis humani perfectam hoſtiam ſemel obtulit; legi divinæ obedientiam perfectiſſimam præſtando uſquequaque ſatisfecit; pœnas peccatorum omne genus Peccato debitas in ſe ultrò etiam ſuſcepit; & à ſe parta beneficia Credentibus per fidem, & per Sacramenta applicans, pro iiſdem apud Patrem in omnia ſecula intercedit. Hujus muneris reſpectu, vocatur Chriſtus *Pontifex Magnus.* Heb. 5. 10. *Pontifex miſericors & fidelis.* Heb. 2. 17. *Futurorum bonorum Pontifex.* Heb. 9. 11. *Sacerdos Magnus ſuper Domum Dei.* Heb. 10. 21. *Noſter Advocatus apud Patrem.* 1 Joh. 2. 2. *Pretium Redemptionis noſtræ.* 1 Tim. 2. 6. *Agnus occiſus ab Origine mundi.* Apoc. 13. 8. *Paſcha noſtrum.* 1 Cor. 5. 7. *Propitiatorium.* Rom. 3. 25. denique *Pax noſtra.* Eph. 2. 14. *Sacerdotale.*

Ratio formalis hujus officii duobus Actibus continetur, adeóque ex duabus conſiſtit partibus; quarum prima eſt *Satisfactio*, ſecunda verò *Interceſſio.* Illa pro *peccatis* jam olim tranſiit; Hæc pro *peccatoribus* ſemper manet. Illa eſt ipſa *Meritoria*; Hæc eſt propriè Meritorum *Satisfactio pro Peccatis.*

ritorum *applicativa*. Illam peregit Mediator in ara Crucis, quà Sacerdos pro tempore, ſecundum Ordinem *Aaronis*; Hanc evectus in Cœlum peragit, quà *Sacerdos in æternum, ſecundum Ordinem* * *Melchiſedeki*. Typicus erat uterque Ordo Sacerdotii, verum & unicum Sacerdotem Teſtamenti Novi [f] deſignans. Major tamen eſt *hujus*, quàm *illius* Ordinis Excellentia, ſive *Perſonæ Aaronis* & *Melchiſedeki*, ſive *munera*, ſive *honores* utriuſque ſpectare placeat. Ea eſt autem *ſatisfactio* de qua nunc agitur, quâ Filius λύτρον ἰσόῤῥοπον pro omnium hominum peccatis Patri præſtitit. Et æquè *juſtitiam* ac *ſalutem* humano generi acquiſivit. Hæc pro peccatis *expiatio* variis titulis inſignitur in Sacris Literis; dicitur ſcilicet [g] *Redemptio*, [h] *Reconciliatio*, [i] *Acquiſitio*, [k] *Propitiatio*, & [l] *Placamentum*. Nec aliter erat neceſſaria ad ſalutem hominum procurandam, (ſiquidem alius ſervandi modus Deo deeſſe nequaquam potuit,) niſi ex Suppoſito [m] *Beneplacito* Dei. *Placuit enim Patri, ut pace per ſanguinem crucis facta, per eum omnia ſibi reconciliaret*; idque partim propter *juſtitiam quâ Peccatores* [n] *merentur mortem*; partim propter *veracitatem*, quâ *mortem Peccatoribus* [o] *minatus erat*. Neque tantummodò *vera* erat hæc crucifixi ſatisfactio, in quantum [p] *animam ſuam pro omnibus* λύτρον dedit, ſive [q] ἀντίλυτρον, ſive *pretium Redemptionis*; verùm inſuper completa, *Deique juſtitiæ adæquata*; id quod *Dignitas Perſonæ* qui ſatisfecit, *Gravitas ſupplicii* per quam ſatisfiebat, *Deique Patris Approbatio* (tum quoad Chriſti Perſonam, tum ſupplicii ſufficientiam,) abundè teſtantur atque evincunt. Porrò Chriſti Obedientia tam

activa

* Pſal. 110. 4.
[f] Heb. 7. 3. & Heb. 10. 1.
[g] Rom. 3. 24.
[h] Rom. 5. 11.
[i] Act. 20. 28.
[k] 1 Joh. 2. 2.
[l] Rom. 3. 25.
[m] Col. 1. 20.
[n] Rom. 1. 20.
[o] Gen. 2. 17.
[p] Mat. 20. 28.
[q] 1 Tim. 2. 6.

activa quàm *paſſiva* tam arcto nexu inter ſe invicem copulantur, ut Paſſio fuerit activa, ipſáque Actio paſſiva fuerit.

Quòd Chriſtus *Sacrificium* propriè dictum *Semel* obtulerit, Scripturæ rem faciunt teſtatiſſimam. Ut *Rom.* 6. 9. *Heb.* 9. 12, 25. *Heb.* 10. 10, 14. & 1 *Pet.* 3. 18. Quòd *omnibus omniúm*que peccatis Chriſtus ſatisfecerit *cogunt* nos credere Scripturæ Sacræ. *Joh.* 1. 29. *Eſa.* 53. 16. 1 *Cor.* 15. 22. 2 *Cor.* 15. 22. 1 *Tim.* 2. 6. & 1 *Tim.* 4. 10. & 1 *Joh.* 1. 7. & 1 *Joh.* 2. 2. Id ni fuerit, Evangelium non ſincerè ad *omnem* ſpectaret *Creaturam*. Adami *Peccatum* & *Perditio* latiùs multo ſeſe extenderent, quàm Chriſti *Merita* & *Redemptio*. Impiíque utut increduli vix aut nevix quidem ritè damnari quirent. Cur enim crederent in Chriſtum, ſi nihil pro ipſis præſtitiſſet? Quinimmo Chriſti Crucifixio *pro iis etiam qui pereunt peragebatur*. Rom. 14. 15. Heb. 6. 4, 5, 6. Heb. 10. 29. Denique ſunt qui *hæreſes exitiales ſubintroducunt, ipſum Dominum qui ipſos Mercatus eſt abnegant, & velox exitium ſibi accerſunt*. 2 Pet. 2. 1. Certo eſt certius, quòd hæ Scripturæ cum ſolis Dei Electis quadrare nequeunt.

Interceſſio pro Peccatoribus.

Pars altera Sacerdotii Dominici, eſt *Interceſſio* Mediatoris apud Patrem in Cœlis, quæ fit à Filio effectiva, virtute *meriti* ſui multiplicis, & plenæ *ſatisfactionis* in Terra præſtitæ; ídque in genere pro [a] *omnibus*, (ipſius hoſtibus non exceptis,) vel ſpeciatim [b] pro *fidelibus*. Interceſſit ſanè pro nobis, cum hîc ageret apud Mortales. Ut *Joh.* 17. 9. *Et pro iis rogo*, &c. Quin & difertè dicit Apoſtolus, quòd *in diebus Carnis ſuæ de-*

[a] Eſa. 53. 12. Luc. 23 34.
[b] Joh. 17. 9. Rom. 8. 23. 1 Joh. 2. 1.

precationes & ſupplicationes cum clamore valido & lacrymis obtulit, &c. *Heb.* 5. 7. At Interceſſio ſeu Interpellatio de qua jam agimus, alterius planè eſt generis. Neque enim *nunc* rogat genubus provolutus, nedum μετὰ πρεσβυτέρων, (ut in diebus carnis ſuæ,) ſed *ſiſtit* ſe cœleſti Patri; & *pro nobis* quaſi [a] *comparet*; [b] *ſanguinem* fuſum repræſentans, & pro nobis [c] *interpellans*; rogando ſcilicet, id eſt *volendo*, tum ut in gratiam recipiamur, tum ut recepti conſervemur. Hic eſt *Ille* [d] *Advocatus* quem *Rei habemus apud Patrem*, cujus *Sanguis* glorificatus (qui * *meliora quàm ſanguis Abelis loquitur*,) dum tacet, clamat; (Si Ciceronis oxymoron hic liceat adhibere) non ultionem poſcens, ſed veniam. Et poſcendo quidem impetrat; [f] *ſemper enim Pater exaudit Filium.* Ecce ingens Spei noſtræ, & conſolationis [g] fundamentum.

[a] Heb. 9. 24.
[b] Heb. 9. 12, 25, 26.
[c] Heb. 7. 25. Rom. 8. 34.
[d] 1 Joh. 2. 1.
* Heb. 12. 24.
[f] Joh. 11. 42.
[g] Rom. 8. 33, 34. Heb. 7. 25. Rom. 5. 10.

Regium. § 14. Reſpectu tertii, Chriſtus in Cœlo & in Terra, omnipotentiâ ſuâ quâ pollet, gubernat omnia. Cives ſuos præſertim, divini Verbi miniſterio, & Spiritu, uſque ad Mundi finem colligit; Eóſque contra hoſtes, in quorum medio verſantur, defendit fortiter & propugnat; ac tandem Gloriæ Diademate in Regno ſuo coronat. Quæ partium Trinitas planè Regia, (Gubernatio Eccleſiæ militantis; contra hoſtes Defenſio; & Exaltatio in Triumphantem;) in ipſa Chriſti Seſſione ad dextram Patris continetur. Hujuſce muneris *Veritati* Scripturæ perhibent teſtimonium. [h] *Ecce dies veniunt, cùm ſuſcitabo Davidi germen juſtum, & regnabit Rex*, &c. [i] *Exulta filia Sion*, —— [i] *Ecce Rex tuus veniet tibi*

[h] Jer. 23. & 33.
[i] Zach. 9. 9.

tibi juſtus & Salvator. [a] *Ego conſtitui Regem meum*, &c. *Sceptrum* [b] *fortitudinis emittet Dominus ex Sion*, &c. Eſt autem regnum *Spirituale*; [c] *Non eſt enim de hoc mundo. Et Militiæ noſtræ Arma* [d] *non ſunt Carnalia.* Sed & *Æternum*; *Nam Regni ejus* * *non erit finis.* [f] *Nec diſſipabitur in æternum.* Eſt etiam ſummè *Glorioſum*; *Nam* * *collocavit eum Pater ad dextram ſuam, longè ſupra omnem poteſtatem & imperium.* — & *omnia pedibus ejus ſubjecit*; *eumque Caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ conſtituit.* Hujus muneris pars prima, quæ eſt Eccleſiæ *Gubernatio*, vel externè fit per Verbum, vel per Spiritum internè. Verbo [g] *imperat* reſipiſcentiam & fidem, quas Spiritu [h] *confert.* Confert inquam dupliciter; tam [i] *Intellectus* ſuorum illuminando, quàm legem [k] *cordibus* inſcribendo. Utroque modo gubernari ſe petit Pſaltes, tam *Verbo*, quàm *Spiritu.* [l] *Rege* (inquit) *me Domine ſecundùm verbum.* [m] *Spiritu tuo me deduc per terram planam.* Hujus muneris pars altera, quæ eſt Eccleſiæ *Defenſio* adverſus Hoſtes, (nempe *Satanam*, *Carnem*, *Mundum*, *Mortémque*,) modo præſtatur tam efficaci, ut *nè* [n] *portæ quidem Inferorum contra Chriſti Eccleſiam valere queant.* Satanæ nimirum conſilia turbat, atque fruſtratur. Carnis frangit violentiam. Mundum in pedum ſcabellum ponit. Mortémque ipſam, hoſtium ultimum, in victoriam denique abſorbebit. Hujus muneris pars tertia, quæ eſt *Eccleſiæ Exaltatio*, eſt ipſa ineffabilis in die noviſſimo *διαναστάσεως*, cùm *regnum Gratiæ* perficietur in *regnum Gloriæ*, ad cujus *æternam Gravitatem*, *& Pondus imperveſtigabile*, ità obmutuit & obſtupuit beatus *Paulus*,

[a] Pſal. 2. 6.
[b] Iſai. 110. 2.
[c] Joh. 18. 36.
[d] 2 Cor. 10. 4.
* Luc. 1. 33.
[f] Dan. 2. 44.
* Eph. 1. 20, &c.
[g] Mar. 1. 15.
[h] Act. 5. 31.
[i] Jo 6. 45. & Jo. 16. 13.
[k] Jer. 31. 33.
[l] Pſ 119. 133.
[m] Pſ 143. 10.
[n] Mat 16. 18.

Paulus, ut κατ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος dicendo confessus sit, omnem hyperbolen superari ab ea Gloria, iisque Gaudiis, quæ percepturi sumus in Regno Mediatoris nostri glorioſissimi. Qui, respectu Regii Muneris, *Rex super Populum suum* [a] vocatur, & *Princeps eorum in* [b] *perpetuum.* [c] *Princeps Pacis.* [d] *Dux Gentium.* * *Dominator in Israele.* [f] Dominator quem quærimus. [g] *Dux & Autor Salutis.* [h] *Rex justitiæ, & Pacis.*

[a] Ezek. 37. 24.
[b] *Ibid.* v. 25.
[c] Esa. 9. 6.
[d] Esa. 55 4
* Mic. 5. 2.
[f] Mal. 3. 1.
[g] Heb 2. 10.
[h] Heb. 7. &c.

§ 15. Hactenus Dicta nos monent, & potentiſſimè adhortantur, ut magnitudinem peccatorum perquam humillimè confiteamur, quæ niſi Morte Mediatoris expiari non poterant: ut morbi noſtri Malignitatem ex intimo corde lugeamus, cujus unicum Remedium ipſius Medici ægritudo, & cædes erat. Ut ſummam Patris noſtri Cœleſtis erga nos *filios Adoptitios* (Miſericordiâ indigniſſimos) Dilectionem agnoſcamus, qui nè mortem moreremur, *Unigenitum* ſuum *Filium* in mortem tradidit. Ut in ſervitiis Mediatori de die in diem peragendis, neque Sumptui, neque Famæ, neque Sanguini, neque Vitæ, parcamus unquam *Illius ergô*, qui ſibi ipſi non pepercit, ut nobis parceret. Ut ex manibus Inimicorum per *Jeſum Chriſtum* Liberati, Eidem noſtro Liberatori jugi tenore deſerviamus. Ut hujus *Prophetæ* Documenta obviis auribus auſcultemus. Ut Hoſtiam hujus *Sacerdotis* redhoſtiamus gratabundi durante vitâ. Ut hujus *Principis* Imperiis (non his, aut illis, ſed) ſingulis pariter, & univerſis, ex tota anima, totis viribus, totâ noſtrâ fortitudine, obſtinati-indefeſſi-

fessi-indefectibiles obtemperemus. Ut ejus *exemplum* imitemur, qui dixit *Ego sum Via*; ut ejus *Præceptis* obsequamur, qui dixit *Ego sum Veritas*; ut ejus *Promissis* fidamus firmiter, qui dixit *Ego sum Vita*. Postremo loco ut hac suavissimâ, in omnibus vitæ nostræ miseriis, Consolatione perfruamur, quòd Christus nos *regit*, atque *tuetur*; quòd *satisfecit* pro peccatis, *intercedit*que pro Peccatoribus; quòd qui pro nobis intercedit apud Patrem suum nostrúmque, est *Frater* noster putativus, *Filius Ille unigenitus in sinu Patris*, qui à suo ipsius *Patre* nunquam potest non exaudiri.

Illi Honos sit, & Gloria, in secula seculorum.

——εἰ καὶ δυσχερῆ ταυτ' ἦν ἄντικρυς, καὶ μηδέποτε πρὸ ἡμῶν ἑτέροις, μήτε σπουδασθέντα, μετ' ἀνυθέντα, τὴν γὲ παρὰ τοῦ Πνεύματος συμμαχίαν οὐκ εὔλογον ἀπελπίζειν, ᾧ καὶ κατὰ τῶν ὡς ἀληθῶς ἡμῖν ἀδυνάτων ὑπερβάλλουσα πρόσεστι δύναμις. Geo. Scholar. *de Pace in Concilio Florentino*. Bin. *T*. 8. *p*. 898.

FINIS.

Index Rerum Alphabeticus.

Adamus Integer, p. 83, 84, &c. *lapſus*, 104, 105, &c.

Æterna Dei Decreta, p. 40, 41, &c.

Angeli in genere, p. 69. *Nomen*, 70. *Natura*, 71. *Hierarchia*, 72. *Bonorum natura & Electio*, 73. *officia & opera*, 74. *Multitudo*, 75. *Uſus Triplex*, 76. *de Reprobis*, 77. *V. Diabolos.*

Antinomi & Anabaptiſtæ cur maximè fugiendi, p. 152, 153.

Animæ immortalitas, p. 85. *non repugnat rationi*, 87. *qualis animæ Origo*, 88. *quibus vexetur difficultatibus*, 89. *diſſidentium de ea Conciliatio*, 89, 90.

Apocryphi libri Biblici, p. 13, 14, 15.

Appetitus ſenſitivus qualis fuerit in Adamo, p. 84.

Arbitrium, vide Liberum.

Arbor Vitæ & Necis, p. 93, 94.

Baptiſmus multiplex quoad Nomen, unicus quoad Naturam, utut Chriſti Baptiſmus Baptiſmo Johannis perfectior eſſet, p. 225, 226. *Infantibus concedendus, nec iterandus*, 227. *nunquam malus utut per malos adminiſtretur*, 229. *diſſidia de eo componi poſſunt, aut ſepeliri*, 230, 231.

Bona opera quo ſenſu neceſſaria, p. 183, 184, 207, 208, &c.

Cœnæ Dominicæ Natura per ejus nomina innoteſcit, p. 231, 232. *partim etiam per typos atque Elogia*, p. 234, 235. *præcipue per conſenſum Diſſentientium univerſalem*, 235, 236, &c. *Inductione irrefragabili*

gabili comprobandum, 238, 239. *via unica & aperta ad pacem ubique ineundam*, 239, 240, &c. *facilior facta per conceſſiones Diſſidentium*, 241, 242. *ad finem capitis* 23.

Charitas fide præſtantior, neque tamen dicimur per charitatem juſtificari, ſed per fidem, p. 195, 196, &c.

Chriſtus in perſona & officiis conſideratus, cap. 18. *ad finem uſque. Ejus Nomen & Cognomen*, § 2. *Natura duplex*, § 3, 4. &c. *Actus & Status unionis quid differant*, § 6. *Unionis hypoſtaticæ rationes motivæ*, § 7. *Ex unione Communio*, § 8. *Communicatio Proprietatum*, § 9. *Hæreſes precipuæ adverſus Chriſtum*, § 10. *Tria ejuſdem munera*, § 11, 12, 13. *Satisfactio*, ib. *Interceſſio*, ib. *Regnum*, § 14. *concluſio practica*, § 15.

Cleri Totius jus ad ineundum connubium, p. 332, 333.

Conſilia Evangelica, p. 175, 176.

Converſio, quid ad eam conducat, aut non conducat voluntas libera, p. 134.

Confeſſio cujuſmodi neceſſaria in Eccleſiis, p. 188, 189.

Concordia inter Theologos quomodo ineunda de articulis maximè Controverſis, p. 46, 47. *ad* p. 58. p. 134, 135. *ad* p. 139. p. 161, 162, 163, 167, 168, 174. *&* p. 188, 189. *&* p. 198, 199, 200, &c. *de Baptiſmo*, 230, 231. *de Cœna Dominica*, 235, 236, &c. *ad finem Capitis* 23. *de Miniſtris Eccleſiaſticis*, p. 263. *ad* 268. *&* p. 276. *ad finem cap.* 24.

Conjugium quoad nomen & quoad Rem conſideratum, p. 317, 318, &c. *in gradibus & conceſſis & interdictis*, 325, 326, &c. *toti Clero conceſſum*, 333, 334, &c.

Creatio in genere conſiderata, p. 58, 59. *Efficiens & Finis*, 60, 61. *Ordo Hiſtoricus*, 62, 63. *ad* p. 65. *Creandi modus graduſque*, 65, 66. *Creatorum bonitas non obſtante malo morali*, 67, 68. *à quibus Erroribus abhorrendum*, 68, 69.

Decalogus 13 *Regulis exponenda*, p. 144, 145, 146.
Decreta Dei de homine Abſoluta & Reſpectiva eodem redeunt adhibitâ rectè diſtinctione, p. 48, 49. *Ex Dei operibus æſtimanda*, ibid, & p. 51, 52, 53.
Deus quo ſenſu Notiſſimus ſimul & Ignotiſſimus, p. 23, 24, 25. *unitas*, 27, 28. *Trinitas*, 31, 32. *reverenter ſanctéque & cum tremore tractanda*, 33, 34. *ex ſolo ſuo ipſius verbo*, 35, 36. *myſterium omnibus, perſpicaciſſimis licèt, impervium*, 37, 38. *humili fide & obſequio colendum reſtat*, 39, 40. *Attributa & Nomina*, 28, 29, 30. *Decreta*, 40. *Voluntas una & uniformis*, 50, 52, 53.
Diaboli Natura & Nomina, p. 77, 78. *Pravitas ſumma & voluntaria, non concreata*, 78, 79. *Potentia permagna ſed determinata*. 80. *Opera & effecta*, 80, 81. *gratiâ divinâ fruſtra ſunt*, 82.
Divortia quibus de Cauſis admittenda, p. 330, 331, &c.
Eccleſia quouſque Autoritativa, p. 20, 21. *Significatus nativi & Tropici*, p. 279, 280. *Titulis variis inſignitur*, 282. *præſertim in Symbolo Apoſtolico & Nicæno*, 283. *Definitio Triplex*, 284. *Notæ propriæ quibus Vera dignoſci queat*, 286. *Quouſque ſit Indefectibilis*, 288, 289. *ſed Erroribus obnoxia*, 289. *Quanta ſit autoritas Conciliorum Generalium*, 291. *Quod Caput infallibilis falli nequit*, 293.
Electio Dei æterna, p. 43, 44, &c.
Epiſcopatus, V. Miniſterium Eccleſiaſticum.
Evangelium abſolutè & relativè conſideratum, p. 155, 156, &c. *definitio quoad Nomen & Naturam*, 157. *in V. & N. Teſtamento*, 158, 159. *Ex utroque definitur Evangelium*, 161. *Conciliatio diſſidentium de ejus Natura*, 162, 163, 164. *Evangelii Beneficia*, 165, 166. *litigantium de re præcipua Conceſſiones*, 167, 168. *quomodo differat à lege*, 169, 170. *Uſus ejus*

ejus & Abuſus, 172, 173. *Abuſus morbo Medicina*, 174, 175, 176. *Conſilia an præcepta nova in Evangelio ſint, necne*, 175, 176, 177.

Euchariſtia, *vide* Cœnam Dominicam.

Fides ſola & ſolitaria valde differunt, p. 192. *qualis ſit ea quâ dicimur juſtificari*, 193, &c. *à charitate disjungi nequit*, 207, 208.

Homo qualis fuerit ante Lapſum, p. 83. *Appetitus quàm purus*, 84. *Immortalitas*, 85, 86. *tranſmiſſa ad poſteros*, 86, 87. *Origo animæ quantis vexetur difficultatibus*, 88, 89. *Quî fieri poſſit litigantium Conciliatio*, 90, 91, &c. *de hominis lapſu*, &c. p. 104. *ad* p. 110. *de libero ejus arbitrio in ſtatu quadruplici*, 129, &c.

Hypoſtatica unio, *v.* Chriſtus.

Jeſus. c. 28. § 2. *v.* Chriſtus.

Jeſuitarum Doctrina Magiſtratui infeſta, p. 309, 310.

Immortalitas protoplaſti ut tranſmiſſa ad poſteros, p. 85, 86.

Imago Dei in homine quid ſit, p. 83, 84.

Infallibilitas Eccleſiæ quoad Caput, p. 293, 294.

Infantibus paganorum aut non baptizatis quomodo queat ſuccurri, p. 115, 116.

Interceſſio Mediatoris, cap. 28. § 13.

Interpretatio SS ut ſit ritè facienda, p. 21, 22.

Juſtificatio. Condonatio peccatorum quo ſenſu, p. 190, 191. *per fidem ſolam, non ſolitariam*, 192, 193, &c. *Evangelica quot in ambitu ſuo contineat*, 193, 194. *Difficultatis primariæ Enucleatio*, 195, 196, &c. *Via ſternitur ad Conciliationem*, 198. *per Conceſſiones utrinque factæ*, 199, 200. *& per abſtinentiam ab ambiguis*, 201, 202. *& per decem theſes de quibus convenit inter omnes*, 204, 205, &c.

Lapſus hominis unde fuerit, p. 105, 106, &c.

Lex Dei quid & quotuplex ſecundum dici, p. 140.

ſecundum eſſe, ut à Deo per Moſen lata, 141, 142. *ſpecialiſſimè Moralis ante Moſen ab æterno*, 142. *totum genus humanum tangit*, 143, 144. *Regulæ* 13 *ad mentem totius Decalogi facientes*, 144, 145. *multiplex finis uſuſque legis*, 147, 148. *Poſitivæ*, 153, 154.

Liberum hominis arbitrium in quadruplici ſtatu conſiderati, p. 129, 130, &c. *Uſus præcedentium ad pacem tendens*, 133. *Excerpta ex Autoribus ad concordiam facientia*, 136, 137, &c. *Lex & Evangelium ut differant*, 169, 170.

Malorum uſus ſæpe optimi, p. 128.

Magiſtratus, Origo & Neceſſitas, p. 297. *derivatio ad hominem è ſupernis*, 300. *per Electionem & Succeſſionem occupationem & ſortem*, 301, 302. *Deſcriptio tam in abſtracto, quàm in Concreto*, 303. *officium multiplex*, 303, 304. *Privilegia*, 305, 312, 313. *poteſtas circa Sacra*, p. 313, 314. *& ſpeciatim apud Anglos*, 314, &c.

Matrimonium, v. Conjugium.

Methodi ratio unde petenda, p. 6.

Mediator, c. 28. § 2, 3, 4, &c. *v.* Chriſtus.

Miniſterium & Miniſtri Eccleſiaſtici. Eorum neceſſitas, p. 247, 248, &c. *Appellationes in abſtracto*, 251, 252. *ad* p. 255. *Ex Miniſt. Eccl. Tres ſunt tantum jure divino*, 256. *ad* p. 262. *de quibus non eſt cur litigetur*, 263, 264, &c. *ad* 268. *Vocatio divinitùs inſtituta*, 269, &c. *quibus mediis à Deo data*, 272. *Interna quouſque requiſita*, 275. *Qualem habeant qui Epiſcopis carent*, 276, 277. *Concluſio ad pacem exhortativa*, 278.

Mors ante lapſum protoplaſti nullum potuit habere locum, p. 85, 86. *immortalis*, 86.

Mundus non æternus, p. 68, 69.

Natura ſuam ſemper habuit Theologiam, p. 2, 3.

Ordinationes Tranſmarinorum Miniſt. Quid de iis ſentiendum, p. 276, 277, &c.

Ordo hominum triplex, p. 317.

Paradiſus, qualis & ubi fuerit, p. 91, 92. *ejus arboribus duabus poteſtas vitæ & necis Deo dante competebat*, 93, 94.

Pax in Eccleſiis ut facile ineunda, v. Concordia.

Peccatum quid ſit in genere, p. 104. *quotuplex in ſpecie*, 105. *a Diabolo externè, internè à Protoplaſtis*, 106, 107. *quàm eſſet inexcuſabile*, 108. *conſequentiæ*, 109. *quid ſit Originale*, 110, 111, 112, &c. *Secundum magis & minus in hoc articulo erratur*, 114. *quid de Infantibus Paganorum ſentiendum*, 115. *quæſtiones utiliter omittendæ*, 116. *fructus inde pullulantes*, 117. *Actuale quid & quotuplex*, p. 119, 120. *Veniale & mortale*, 121, 122. *maximè quod peccatur in Sp. S.* 123. *ejus ſtipendium, malum pœnæ*, 124, &c.

Pelagianis occurritur, p. 149, 150, 152.

Pœnæ multorum capitum, p. 125. *aliter pios, aliter impios reſpiciunt*, 126. *uſus*, 128.

Pœnitentia & Reſipiſcentia quid differant, p. 179. *vide Reſipiſcentiam.*

Polygamia duplex, p. 320. *ad* 323.

Providentia, Præſcientia, Prædeſtinatio *Dei quid differant*, p. 42, 43.

Prædeſtinatio *Angelorum & Hominum*, p. 43, 44. *de objecto ejus diſſidia*, 44, 45. *quomodo poſſint componi*, 46, 47. *in quibus conſentiant plerique omnes*, 47, 48. *ad* p. 51. *Poriſmata ad Pacem facientia*, 51, 52. *uſus & vis*, 52, 53. *excerpta ex Autoribus ad pacem tendentia*, 55, 56, &c.

Providentia *deſcribitur*, p. 94. *demonſtratur*, 95. *Partes ejus*, 97, 98. *objecta etiam viliſſima*, 99, 100. *Imperium contra Naturæ curſum*, 101. *ut ſe habeat circa mala*, 101, 102. *Dictorum praxis*, 103.

Rebelles Societatis humanæ Peſtes, p. 306, 307, &c.

Remiſſio Peccatorum, v. Juſtificatio.

Reprobatio hominum Angelorumque, p. 43, 44, &c.

Religio Naturalis & Revelata, p. 2, 3, 4.

Reſipiſcentia. Deſcriptiones, p. 179, 180. *Definitiones uberiores cum explicatione*, 180. *Ejuſdem Gradus*, 181, 182. *Bona opera effectus ejus inſeparabiles*, 183. *Errores maximè cavendi*, 185, 186, &c. *Conciliatio Diſſidentium*, p. 188.

Rex, vide Magiſtratus.

Sabbatum inſtituitur, p. 66.

Sacramenta in genere conſiderata, p. 211, 212. *Quid ſit Nominis, quid rei*, 213, 214. *deſcribitur potiùs quàm definitur*, 215. *idque per* 10 *conditiones quarum ingens eſt uſus*, 115, 116. *Materia & Forma Sacramenti*, 217. *Quotuplex ſit*, 218, 219, &c. *Veteris & Novi Teſtamenti*, 223, 224, &c. *uſque ad* p. 246.

Satisfactio Chriſti pro peccatis, cap. 28. § 13.

Scriptura, ſeu ἄγραφος, *ſeu* ἔγγραφος, *divinitùs data*, p. 7, 8. *Cur in literas redacta*, 9. *Autoritas quanta.* 10, 11. *Partes*, 12, 13, &c. *Fines & Fructus*, 15, 16. *Perfectio*, 17. *Perſpicuitas*, 18. *Judex & Regula Doctrinarum & Morum*, 19, 20. *Interpretatio unde petenda & quibus Regulis*, 21, 22.

Sponſaliæ unde, p. 318.

Subditi eorum officia, p. 296, 297, &c. p. 306. & p. 312.

Teſtamentum V. & N. quomodo differant & quot modis, p. 158, 159, &c. 170, 171.

Theologia in Theſi, p. 1, 2. *in hypotheſi*, 4, 5. *deſcribitur facilius quàm definitur*, 2. *Principia*, 4. *Partes*, 5. *Subjectum circa quod*, 6.

Traditio prior ſcriptis literis, p. 8, 9.

Trinitas in unitate reverenter ſanctéque tractanda, p. 33, 34. *ex ſolo Dei verbo petenda*, p. 35. *Myſterium omnibus impervium*, p. 37, 38, &c.

Verbum dei, v. Scriptura.

Vocatio Miniſtrorum Eccleſ. Externa & Interna, vide Miniſterium Eccleſiaſticum.

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

ERRATA.

PAg. 9. Lin. 15. Lege *literæ*. p. 12. li. 25. le. *compurantur*. p. 18. li. 3. le. *Prov.* 30. 16. p. 20. li. 5. in Marg. le. *Mat.* 18. 17. p. 21. li. 2. in Marg. le. *Act.* 4. 13. p. 32. li. 2. le. *amputarent*. p. 34. l. 11. in Marg. adde *vot. pro pace* p. 15. p. 45. li. 1. le. *inciderint*. Ibid. li. 2. in Marg. adde 1. *p.* 58. p. 66. li. 6. le. *præparatâ*. p. 92. li. 25. le. *translati sunt* (post *præstitique*). p. 95. li. 11. in Marg. le. *1. 2. c.* 29. p. 100. l. penult. le. *censu*. p. 116. li. 5. le. *redintegrato*. p. 118. li. 10. le. 6. p. 125. li. ult. le. *facit*. p. 163. li. 25. πολιτευόμενοι. p. 175. l. 18. le. *ibique*. p. 195. li. 1. le. *debita*. p. 210. li. 14. le. *Toti*. p. 216. li. 29. le. *concedit*, & dele *credit*. p. 220. li. 1. le. *pretiosissimas*. p. 225. li. 10. le. *Catechumenis*. p. 235. li. 14, 15. le. *panem*, & *panem cinericium*. p. 238. li. 3. in Marg. le *comprehensum*. p. 255. li. 1. le. *Hyperasprites*, & (lin. 3. ab imo) *Heb.* 1. 14. p. 261. li. 17. in Marg. p 137. & (lin. 22.) post XI. adde b. p. 282. li. 24. le. *devoret*. p. 305. li. 28. adde *Rex* post—*Custos sit*. p. 309. li. 16. le. *confessum* p. 315. l. 25. le. *acuendas*. p. 316. li. 13, 14, 15. le. *supplicia feriunt*; *& judicia quo potentius in ordinem redigunt flagitiosos*. p. 325. l. 1. le. *conjugantur*. p. 327 li. 18. le. *Affinitates*. p. 337. li. 3. in Marg. le. 2 *Cor.* 5. 19. p. 342 li. 9. in Marg. le *quo pacto & Natura* p. 348. li. 31. le. *rationem*. p. 352. l. ult. in Marg. le. *Luc.* 6. 19.